FRANCISCI FLORENTIS

JURISCONSULTI,

AURELIANENSIS PRIMUM, DEINDE PARISIENSIS ANTECESSORIS,

OPERA JURIDICA;

Studio J. DOUJATII *Ant. Parif. collecta*,

ATQUE IN DUAS PARTES DIVISA.

Quarum Prima complectitur Tractatus vivo Auctore variis temporibus editos, qui nunc ex ipsius autographo emendati & aucti prodeunt.

Secunda vero continet opera inedita, sive posthuma.

In quibus fuse & exacte ex certis Conciliorum, Decretalium atque Historiarum monumentis explicantur, quæ tum ad veterem, tum ad recentiorem Ecclesiæ universæ, atque in primis Gallicanæ disciplinam pertinent.

Accedunt Indices varii, Tractatuum, præcipuorum Capitum, Auctorum, ac Rerum & verborum.

Adjecti sunt ad calcem primæ Partis duo Tractatus, alter de Officio Archidiaconi auctore NIC. JANUARIO; *alter de Absolutione ad Cautelam, auctore* J. TOURNET.

TOMUS SECUNDUS.



NEAPOLI.

EXPENSIS ANTONII CERVONII.

PUBLICA AUCTORITATE, AC PRIVILEGIO.

MDCCLXXI.

INDEX OPERUM
SECUNDÆ PARTIS,

qua continentur Tractatus nondum editi.

SYNOPSIS TRACTATUUM SECUNDÆ PARTIS.

Ad Gratiani Causæ xi. Quæstionem primam.

TRACTATUS

De Jurisdictione Ecclesiastica.

PRÆFATIONIS.

Ad Can. 2. 3. 6. 17. 25. 42. 43. 44. & 47.

Ad Can. 4.

Ad Can. 5. & 41.

Ad Can. 7. & 14.

Ad

Ad Gratiani Causas XVI. XVII. XVIII. XIX. & XX.

TRACTATUS

De statu Regularium.

PRÆFATIONIS.

Ad Quæstionem I. Causæ XVI.

Ad quæſtionem II.

Ad Quæſtionem V.

Ad Quæſtionem III. & IV.

Ad Quæstionem VI.

Ad Quæstionem VII.

Ad Quæst. I. & II. Causæ XVII.

Ad Quæst. III. & IV.

Ad Quæst. I. Causæ XVIII.

Ad Quæst. II.

Ad Quæst. I. II. & III. Causæ XIX. & ad Quæst. IV. Causæ XX.

Ad Quæst. I. II. & III. Causæ XX.



Ad Causæ XVI. Canones aliquot & nonnulla Decreti loca.

TRACTATUS

De Antiquo Jure Patronatus.

PRÆFATIONIS

De origine & antiquitate Juris Patronatus.

Inopi



Ad Gratiani Causas XXVII. & sequentes ad XXVI.

TRACTATUS.

De Sponsalibus & Matrimonii.

PRÆFATIONIS.

Ad Quæst. I. Causæ XXVII.

Ad

Ad Quæst. III.

Ad Quæst. I. Causæ XXIX.

Ad Quæst. II.

Ad Quæst. I. III. & IV. Causæ XXX.

Ad Quæst. II.

Ad Quæst. V.

Ad Quæst. I. Causæ XXXI.

Ad Quæst. II.

Ad Quæst. I. Causæ XXXII.

Ad Quæst. II. & III.

Ad Quæst. IV.


Ad Quæst. V. VI. VII. & VIII.

Ad Quæst. I. & II. Causæ XXXIII.

Ad Quæst. I. & II. Causæ XXXIV.

Ad Causam XXXV.

Ad Causam XXXVI.



Ad Libri I. Decretalium Titulos tres.

XXIX. *De Officio & Potestate Delegati.*
XXX. *De Officio Legati.*
XXXI. *De Officio Judicis ordinarii.*

Præfationis generalis & communis tribus Titulis.

Ad Tit. XXIX. de Officio & Potestate Judicis Delegati.

Ad Lib. I. Decretalium Tit. XXX. de Officio Legati.

Cau-

Ad Lib. I. Decretalium Tit. XXXI. de Officio Judicis Ordinarii.

Ad Cap. I.

Ad Cap. II. & III.

Ad Cap. IV.

Ad Cap. V.

Ad Cap. VI.

Ad Cap. VII.

Ad Cap. XVIII.



Ad Libri III. Decretalium Tit. V. de Præbendis & Dignitatibus.

TRACTATUS.

PRÆFATIONIS.

Ad Cap. I. & III.

Ad Cap. II. IV. XVI. & XXIII.

quod

Ad Cap. V. VI. VII. XIII. XIV. XV. XVIII. XXVIII. & XXXIII.

Con-

Ad Cap. VIII. XX. XXI. XXV. XXVI. & XXVII.

Ad Cap. IX. & XIX.

Ad Cap. X. XII. XXX. & XXXI.

Ad Cap. XI.

Ad Cap. XV.

Ad Cap. XVII.

Ad Cap. XVIII.

Ad Cap. XXI.

Ad Cap. VI. XXII. XXIV. XXVII. XXXIV. & ult.

For-

Ad Cap. XXIX. XXXV. & XXXVII.

Ad Cap. XXX.

Ad Cap. XXXII.



Ad Libri III. Decretalium Tit. XXXVIII. De Jure Patronatus.

TRACTATUS.

PRÆFATIONIS.

Ad Cap. I. II. & III.

Ad Cap. IV.

Ad Cap. V. partem I. & ad Cap. XXIV. & XXIX.

S. Pon-

Ad §. 1. Cap. V. & ad Cap. VIII. XVIII. & XX.

Ad Cap. VI. & XV.

Ad Cap. VII. & XIX.

Ad Cap. IX.

Ad Cap. XII. XXII. & XXVII.

Ad Cap. XIII. XIV. XVI. & XXIII.

Ad Cap. XVIII.

Ad Cap. XXI.

Ad Cap. XXII. & XXVII.

Ad Cap. XXIII.

Advo-

Ad Cap. XXV. & XXX.

Ad Cap. XXVIII.

Sequuntur Notæ ad Alex. Chassanæi in Decretalium libros Paratitla, quæ summariis non egent.



Ad Titulum de Solutionibus & Liberationibus Dig. & Cod.

TRACTATUS.

PRÆFATIONIS.

Ad L. I. II. III. IV. &c.

Præpo-

Ad L. IX. X. XI. &c.

Ad L. XII. XIII. XIV. XV. &c.

Qua-

Ad L. IX. §. 1. XVI. XVII. &c.

Mora

Ad L. XXXVIII. XLIII. LXXV. &c.

FRAN-



FRANCISCI FLORENTIS

JURISCONSULTI CELEBERRIMI,

AURELIANENSIS PRIMUM, DEINDE PARISIENSIS ANTECESSORIS

OPERA INEDITA, SIVE POSTHUMA.

PARS SECUNDA.

AD GRATIANI CAUSÆ XI. QUÆSTIONEM PRIMAM

TRACTATUS.

De Jurisdictione Ecclesiastica.

PRÆFATIO.



HÆc Causa XI. in narratione facti, sive facta hypothesi docendi gratia proposita a Gratiano, tres illustres quæstiones complectitur, quas deinde explicat singillatim hac methodo adhibita, ut relatis in utramque partem, quæ dici possunt, & quæ videntur pugnare invicem, auctoritatibus conciliatis, suam postremo sententiam depromat & confirmet. Primam quæstionem ita proponit; utrum Clerici ad civilem Judicem, sive secularem sint producendi. Secundam si vocandi non sint, utrum Clericus, qui Clericum vocaverit ad judicem secularem, suspensione dignus sit propter hanc culpam. Tertiam, si hæc

hæc culpa ſuſpenſionem non meruerit, & tamen ab Epiſcopo fuerit ſuſpenſus Clericus, qui interim ſuſpenſione contempta miniſtraverit, vel ſuum officium exercuerit; utrum hic Clericus, inquam, deponendus ſit, quia ſuſpenſione neglecta, nihilominus divina celebraverit officia poſt ſuſpenſionem, antequam ab Epiſcopo veniam impetraſſet.

Primæ quæſtionis tractatio huc ſpectat, ut conſtituatur quodnam ſit forum congruum, ſive competens Clericorum, & ubi, & apud quos judices debeant conveniri in quibuslibet cauſis, vel ſpiritualibus & Eccleſiaſticis, vel Civilibus & pecuniariis; vel etiam criminalibus.

Dividit autem hanc cauſam Gratianus in tres partes. Primam partem incipit a 1. *can.* & deſinit in *can.* 26. in cujus *can.* fine concluſionem iſtam ſubjicit ex canonibus ante relatis, ut ſibi videtur. Ex his auctoritatibus patet, Clericos ante Civilem Judicem non eſſe producendos, niſi prius vel depoſiti & degradati fuerint, vel incorrigibiles deprehenſi.

Secundam partem incipit *a can.* 27. uſque ad 30. incluſive, cui ſubjicit concluſionem in modum objectionis, hanc nempe: ex his omnibus datur intelligi in civilibus cauſis Clericos coram judice publico vel ſeculari eſſe conveniendos; in ſpiritualibus vero & Eccleſiaſticis, vel etiam criminalibus apud Eccleſiaſticos tantum judices, niſi cum conſenſu Epiſcopi ſui, veluti quando ſunt incorrigibiles, tradantur Curiæ ſeculari. Sed poſtea reſpondet ad objectiones; & ad finem uſque Cauſæ relatis pluribus canonibus, ad *can.* 47. generalem concluſionem ſubnectit, non tantum in ſpiritualibus & Eccleſiaſticis, aut criminalibus negotiis, ſed etiam in civilibus Clericos apud judices Eccleſiaſticos eſſe judicandos; niſi forte civilem cauſam Epiſcopus decidere noluerit; vel in criminali cauſa prius Clericum honoris cingulo denudaverit, regradaverit, & reliquerit poſtea curiæ ſeculari.

Præterea in hac cauſa admiſcentur multæ celebres quæſtiones de variis criminibus Clericorum, maxime de conjurationis crimine; itemque de variis negotiis, etiam ſecularibus, ad quæ Epiſcopi & Clerici tanquam patroni & protectores Laicorum admittuntur, v. g. quando agitur de defenſione & protectione pupillorum, orphanorum & viduarum, & ſimilibus.

Antequam ſingulorum Canonum verba & ſententiam explicemus, neceſſario videtur præmittenda celebris quæſtio, utrum Epiſcopi juriſdictionem habeant ex legibus Romanis. Et quidem videtur hæc quæſtio decidi *Novella* Valentiniani III. *de Epiſcopali judicio in Cod. Theod.* in qua nominatim dicitur, *conſtare Epiſcopos forum legibus non habere*, & in Codice tam Juſtiniani, quam Theod. Epiſcopalis audientia & Epiſcopale judicium tantum conceditur Epiſcopis, non autem juriſdictio. Et præterea cum nulla ſit juriſdictio abſque parte aliqua Imperii, ſine qua non poteſt explicari juriſdictio, nullam legibus noſtris Imperii partem tributam fuiſſe Epiſcopis reperimus: nec enim nolentes & invitos prehendere poſſunt, injecta manu, nec etiam ullos apparitores vel executores habent. Quin etiam proprias exequi ſententias non poterant; ſed erat recurrendum ad Magiſtratus, qui eas exequerentur; multoque minus pignora capere, in vincula conjicere, & corporalibus pœnis afficere?

re: ideoque potius vel datis judicibus, qui non jurisdictionem, sed notionem tantum & judicationem, sive facultatem habent judicandi; vel arbitris comparantur *dicta Novella de Episcopali judicio*, *lege* 7. & 8. *Cod. de Episcopali audientia*. Et si verum amamus, legibus Romanis nunquam habuerunt jurisdictionem talem, qualem habebant Magistratus populi Romani, vel Urbani, vel Provinciales. In qua etiam sententia præcipui Juris Romani Interpretes perseveraverunt. Quod itaque passim dicitur & tractatur de Jurisdictione Ecclesiastica, & quod asseritur Jurisdictionem habere Episcopos; de alia quam de Magistratuum Jurisdictione intelligendum. Nec enim in civilibus, vel criminalibus negotiis, quoties delicta sunt communia sive publica, non autem Ecclesiastica, plenam jurisdictionem habuerunt ne quidem in Clericos.

Quærenda est itaque alia species jurisdictionis, quæ competat Episcopis, præcipue quidem in Clericos & Monachos, etiamque aliquando in Laicos: ea est nempe de negotiis & causis spiritualibus, de sacris & cæremoniis, & omnibus aliis, quæ fidei Religionique constituendæ conservandæque causa fuerunt sancta & decreta tam sacris Scripturis, quam Canonibus Conciliorum & constitutionibus Principum Christianorum. Et hanc quidem sive jurisdictionem, sive potestatem & auctoritatem plenissimam habent, & cum imperio. Citare enim, judicare, sententias suas exequi & pœnas infligere possunt tam in Laicos, quam in Clericos. Laicos quippe excommunicare, sacris interdicere, Clericos etiam suspendere, interdicere, deponere seu degradare possunt; pœnas tamen vel pecuniarias vel corporales infligere non possunt. Unde eleganter S. Chrysostomus *lib.* 2. *de Sacerdotio cap.* 3. initio ita comparat utramque jurisdictionem. *Expedit quidem judices, cum homines facinorosos leges transgressos fuisse deprehenderint, magna se præditos auctoritate & potestate ostendant, eosdemque vel invitos suos ipsorum mores mutare cogant: hic vero non vim afferre, sed suadere tantum oportet, atque hac ratione meliorem efficere, quem emendandum susceperis. Neque enim nobis facultas tanta a legibus data ad delinquentes coercendos: ac ne si dedissent quidem, haberemus, ubi vim hujusmodi potentiamque exercere possemus; cum Christus eos æterna corona donet, non qui coacti, sed qui certo animi proposito a peccato abstinent*. Et quidem Ecclesiasticam illam jurisdictionem, quæ circa fidem, ritus & mores, vel politiam Ecclesiasticam versatur, ad solos Episcopos pertinere, & Magistratus civiles sive publicos non debere se immiscere, plerisque constitutionibus Christianorum Imperatorum sæpius constitutum fuit, ut constat ex *lege* 23. *Cod. Theod. de Episcopis & Clericis*, cujus auctores sunt Valens, Gratianus, & Valentinianus; qua constitutum, *ut si qua ex quibusdam dissensionibus ad religionis observantiam pertinentia nascerentur*, locis suis & a suæ Diœceseos Synodis audirentur. S. Ambrosius *epist.* 32. *lib.* 3. *scripta ad Valentinianum II.* ita de ea re scribit. *Nec quisquam*, inquit, *contumacem me judicare debet, cum hoc asseram, quod augustæ memoriæ Pater tuus non solum sermone respondit, sed etiam legibus sanxit, in causa fidei, vel Ecclesiastici alicujus Ordinis eum judicare debere, qui nec munere impar sit, nec jure dissimilis (hæc enim verba rescripti sunt). Hoc est Sacerdotes voluit de Sacerdotibus judicare. Quin etiam si alias quoque argueretur Episcopus, & morum*

esset examinanda causa, etiam hanc voluit ad Episcopale judicium pertinere. Et postea. *At certe si vel Scripturarum seriem divinarum, vel vetera tempora retractemus, quis est qui abnuat in causa Dei, in causa*, inquam, *fidei Episcopos solere de Imperatoribus Christianis, non Imperatores de Episcopis judicare?*

Quoniam autem parum est scire circa quæ versetur Jurisdictio Ecclesiastica; nisi breviter subjiciamus, per quos exerceatur: observandum primo Episcopos tanquam apices dignitatum Ecclesiasticarum præesse judiciis Ecclesiasticis. Meminerunt etiam leges & canones audientium Presbyterorum, quando nempe ab Episcopis deputantur judices. Et quidem olim Corepiscopi, Archipresbyteri, Archidiaconi hujusmodi Jurisdictionem ab Episcopis mandatam obtinebant; in quorum locum postea successerunt, qui vulgo vocantur Vicarii, vel Officiales Episcoporum, quibus nempe ab Episcopis generaliter vel universa jurisdictio, vel pars demandatur. Et hic est primus Jurisdictionis Ecclesiasticæ gradus.

Secundus vero gradus, ab Episcopis ad Metropolitanos appellatur. Tertius a Metropolitanis ad Primates, vel in partibus, in quibus non erant Primates, aut esse desierant, a Metropolitanis ad Patriarchas appellabatur, v. g. in Oriente, sublatis Exarchis, qui similes erant nostris Primatibus, cœpit a Metropolitanis appellari ad Patriarcham Constantinop. In Occidente vero a Primatibus ad summum Pontificem jure antiquo semper appellatum fuit: at in Oriente vix admissæ fuerunt appellationes a Patriarchis ad summum Pontificem, nisi in gravioribus causis, & quoties religio & fides periclitabatur.

Quæstionis hujus primæ & Canonum, qui sub ea continentur, divisionem, secundum mentem Gratiani, sic conficiunt Glossæ & Interpretes. Et quidem primum recte distinguunt causas omnes Clericorum in criminales, in civiles, sive pecuniarias, & in spirituales vel Ecclesiasticas. Criminales appellant, quando agitur de crimine, & quidem indistincte, sive illud crimen sit Ecclesiasticum, sive commune. Spirituales vero sive Ecclesiasticæ ab iisdem dicuntur, (quas evangelicas & canonicas vocant Concilia) quæ scilicet, ut diximus, ad fidem & religionem pertinent; ideoque secundum Evangelium & canones decidendæ sunt: quales sunt quæstiones de hæresi, de Sacramentis, vel de Ritibus & Cæremoniis Ecclesiasticis, de dissentionibus & rixis exortis ex causa religionis, de decimis & primitiis, de Electionibus, de jure Patronatus, de Usuris: qui tamen duo postremi casus novo tantum jure Decretalium tribuuntur Ecclesiasticæ Jurisdictioni. In his omnibus causis conficere tentant Interpretes auctoritate Canonum in hac *Quæstione* 1. relatorum, Clericum nunquam debere conveniri apud Judicem secularem, sed apud Judicem Ecclesiasticum tantum, sive ab alio Clerico, sive a Laico Clericus conveniatur, aut accusetur, juxta notissimam juris regulam, ut Actor forum Rei sequatur. Excipiunt tamen causas feudales, in quibus Jura feudorum prævalere debent, quæ sunt hujusmodi, ut causæ feudales, in Curia Domini feudi, Paribus Curiæ assidentibus & judicantibus, disceptari & judicari debeant *cap.* 5. & celebri *cap.* 13. *extra de judiciis, & cap.* 6. *&* 7. *extra de foro competenti*. Itemque addunt, nisi Clericus sit incorrigibilis; vel in causa reconventionis; vel nisi Papa causam spiritualem, vel aliam Laico Judici committeret contra

tra Clericum. Quem tamen casum probatione destitui ex ipsis Canonibus, quos allegat Glossa (si recte intelligantur) suo loco notabimus; & satis indicat *cap. 2. extra de Judiciis*. Laicum vero ex eadem regula, qua dicitur actorem sequi forum rei, dicunt conveniri debere coram judice seculari, sive actor & petitor sit Clericus, sive sit Laicus; quinque tamen casibus exceptis, quos ibi Glossa refert; ex quibus unum tantum aut alterum usus admisit, puta si de spiritali causa tractetur, v. g. de causa fidei & Sacramentorum: tunc enim Laici coram judicibus Ecclesiasticis conveniuntur. Reliqui omnes novis constitutionibus summorum Pontificum introducti fuerunt, sed non recepti. Casus vero, qui notatur ex *Novella 86.* Justin. explicandus est ex integra Novella, ut quoties suspectus foret litigantibus Rector provinciæ, Episcopus civitatis simul cum Præside judex adjungeretur. Itemque si quis ab ipso Præside injuriam, aut damnum se fuisse passum contenderet, ea de re, pendente etiam administratione, Episcopus cognoscebat. Quæ ideo constituta fuerunt a Justiniano, ne extra provinciam, vel ad Comitatum, vel ad peregrinos & extraneos judices litigantes traherentur.

Observandum postremo, quæ supra retulimus ex Gratiano, de foro competenti Clericorum & Judicibus congruis tam Episcoporum, quam Clericorum, in criminalibus vel civilibus negotiis, probari recte non posse ex canonibus ab eo relatis, maxime si supposititios & mutilatos Canones distinguamus a veris, & ad fontes ipsos & historiæ veritatem recurramus.

AD CANONEM 1. ET 46.

EX subscriptione auctorem novimus Cajum Pontificem, qui sedit circa annum 283. Imperante Diocletiano, sub quo martyrium tulit & capite plexus fuit. Desumptus vero dicitur ex *epistola* Caji *ad Felicem Episcopum cap. 2.* cujus verba sunt hæc. *Nemo unquam Episcopum apud Judicem secularem, aut alios Clericos accusare præsumat.* Quod incredibile merito videtur Episcopum Rom. sibi tantam auctoritatem sub Imperatore pagano & persecutore vindicasse; cum ne quidem sub Christianis Imperatoribus tantum Juris sibi tribuerent, sicut in præfatione docuimus supra, & in sequentibus *can.* accuratius notabimus. Præterea notandum Christianorum Imperatorum constitutionibus inter Episcopos & Clericos semper constitutam fuisse differentiam. In causis criminalibus Episcoporum ex constitutione Constantii, idest ex *l. 12. Cod. Theod. de Episc. & Clericis*, constat eos accusari apud Episcopos tantum & in Conciliis potuisse: de reliquis Clericis nil simile proditum reperitur generaliter; sed hoc tantum ut in delictis, quæ vocantur Ecclesiastica, apud solos Episcopos, vel Presbyteros vocentur, & ab illis judicentur *lege 41. Cod. Theod. de Episc. & Clericis*. Et in *l. 1. Cod. Theod.* de Religione, cujus sunt auctores Arcadius & Honorius, sic aperte constituitur, ut *quoties de Religione agitur Episcopi judicent; cæteras vero causas, quæ ad ordinarios cognitores, vel ad usum publici juris pertinent, legibus oportet audiri*. Quare merito iste canon supposititius & falsus esse creditur, sicut & alii plerique, qui in hac quæstione occurrunt, ut ad singulos notabimus. Et re vera si integram epistolam Caji ad Felicem

licem paulo attentius legamus, nec illius temporis disciplinæ & moribus convenit, & ipse sermo multa post sæcula confictam manifeste arguet, ut plenius admonuimus in generali nostra Præfatione.

Antequam vero reliquos Canones explicemus, præmittenda est explicatio *can.* 46. qui desumptus est ex Concilio generali Chalcedon. *can.* 9. & quem Gratianus retulit ex antiquissima versione: cujus Canonis hæc est sententia, ut si Clericus habeat litem aut negotium aliquod civile adversus alium Clericum, non statim procedat ad publica, sive secularia judicia, sed prius adeat Episcopum, apud quem lis illa agitetur; vel ex ipsius Episcopi sententia & auctoritate apud Arbitros ab utraque parte electos audiatur negotium. Quod si Clericus vel adversus suum Episcopum, vel alium Episcopum litem aliquam habeat, apud Metropolitanum & ejus Synodi provincialis Episcopos actionem suam proponat. Si vero contra ipsum Metropolitanum Episcopus, vel Clericus controversiam habeat, adire debet totius Diœcesis Primatem, aut Patriarcham Constantinop. Quæ postrema verba ostendunt hunc canonem ad Orientales Ecclesias proprie pertinere, & de pecuniariis vel civilibus causis tantum agere. Et notandum, si spectemus tempora & constitutiones Principum, quæ super eadem re tempore Concilii Chalced. obtinebant, deprehendemus causas civiles vel pecuniarias Clericorum & Episcoporum potuisse agitari, inter tamen consentientes & volentes, apud Episcopos, ut in dicto canone continetur; vel etiam, si mallet actor, apud Judices publicos vel seculares indistincte, sive actor esset Clericus, sive Laicus. Iniquum enim videbatur invitos compelli tam Clericos, quam Laicos primum agere apud Episcopos. Quod tamen in hoc *can.* Clericis tantum actoribus, adversus Clericos vel Episcopos litigantibus, injungitur.

Ex superioribus itaque colligimus juxta decretum Chalcedonensis Concilii, si adversus Clericos agant Clerici, non licere publicos, idest seculares judices adire, sed prius adeundos esse Episcopos, & vel eorum judicium experiri, vel ex Episcoporum sententia, & communi consensu litigantium judices esse eligendos: idque videtur additum ad jus commune Principum, quod eo tempore obtinebat; quo nempe liberum erat tam in civilibus, quam in criminalibus causis actori vel accusatori, seu foret Clericus, seu Laicus, Clericum vel ad Episcopos, vel ad seculares judices vocare; exceptis tantum Ecclesiasticis negotiis & delictis, in quibus soli judices Ecclesiastici competentes fuerunt semper. Quin & notandum anno sequenti post Chalcedonense Concilium, Valentinianum III. in celebri *Novell. de Episcopali judicio* desiderasse præterea vinculum compromissi, ut in causis civilibus ad audientiam Episcopalem vocari possent Clerici, sive actor foret Clericus, sive Laicus: quam compromissi necessitatem remisit Majorianus, secutus antiquiorum Valentiniano III. Imperatorum Constitutiones, quæ & retinentur & probantur a Justiniano *l.* 7. & 8. *Cod. de Episcopali audientia*, ut plenius dicemus ad *can.* 25. 26. & 27. *hac nostra* 1. *Quæstione*.

Observanda itaque inter Jus Canonicum & Civile differentia: Jure namque civili actores aut accusatores Clericorum non compellebantur vel in civilibus vel in criminalibus causis, aliis quam Ecclesiasticis ad Episcopalia judicia publicis judicibus relictis accedere; ut constat tam ex dicta No-

Novell. Valentin. quam ex *Lege* 13. *Cod. de Episcopali audientia*, *juncta Lege* 25. *Cod. de Episcopis & Clericis*, quæ duæ Leges eundem habent auctorem Martianum Imperatorem, & quatuor annis post Concil. Chalced. fuerunt promulgatæ; qui Martianus convocaverat, & interfuerat Concilio Chalced. Illud tamen singulare Martianus induxit in gratiam Clericorum, qui Patriarchæ Constantin. suberant in *dicta Lege* 25. *Cod. de Episcopis & Clericis*, ut Clericorum causæ omnes civiles, aut criminales apud solum Præfectum prætorio Orientis tractarentur, non apud alios Magistratus. Addidit deinde Leo Imperator, ut in provinciis apud solos provinciarum Rectores, in quibus Clerici constituti essent, convenirentur; eosque extra propriam provinciam prohibuit ad peregrina judicia trahi, *Lege* 33. *Cod. de Episc. & Clericis*. Justinianus vero in *Lege* 29. §. 4. *Cod. de Episc. aud.* Ecclesiastica negotia nominatim excepit, de quibus apud solos Episcopos & Episcoporum Synodos disceptari voluit, secundum veteres anteriorum Principum Constitutiones, quas in Præfatione retulimus.

In dicto vero can. 9. Concilii Chalced. apud quos conveniri debeant Episcopi vel Metropolitani, definitur hoc modo, ut nempe si Clericus adversus Episcopum suum vel alienum litem habeat, introducatur apud Synodum provinciæ, cui nempe præest Metropolitanus: si vero adversus Metropolitanum agatur, vel apud Primatem, quem Græci Ἔξαρχον vocant; vel apud Constantinopolitanum Patriarcham negotium disceptetur: scilicet defertur arbitrium & electio, ut si adversus Metropolitanum agatur, vel apud Diœcesis Primatem, vel apud Constantinop. Patriarcham judicium accipiatur. Quæ postrema pars canonis pertinet ad Ecclesias tantum Orientis, & in Gratiam Patriarchæ Constantinop. inducta fuit. Nam ante Concil. Chalced. Metropolitani, qui suberant Ἐξάρχοις, agnoscebant in prima instantia Judicem legitimum solum Primatem Diœcesis suæ, sive Ἔξαρχον, non autem vel Patriarcham Constantinop. vel alium Patriarcham, ut constat ex Constantinopolitani Concilii canonibus, ex quibus & ex historiæ fide constat in Oriente tres tantum Primates Diœcesis, sive Exarchos fuisse, Exarchum Diœcesis Thraciæ, nempe Heracleæ Episcopum; alterum Exarchum Asianæ Diœcesis, nempe Ephesinum Episcopum; 3. Exarchum, sive Primatem Ponti, cujus sedes Cæsarea Cappadociæ. Quibus tribus Exarchis Metropolitani trium illarum Diœcesium subditi erant, non autem ullis Patriarchis, saltem in prima instantia. Procedente tamen tempore, ambitione & fastu Patriarcha Constantinopolitanus sensim ad se traxit auctoritatem trium illorum Exarchorum, primum relicto arbitrio eligendi, vel judicio Exarchorum, vel Patriarchæ Constantinopolitani, si quis aliquod negotium haberet adversus Metropolitanum subditum alicui ex illis tribus Exarchis: & tandem Dignitatem Primatus, solo nomine relicto tribus illis Exarchis, totam in se Patriarcha Constant. transtulit; ideoque factum ut Zonaras ad dictum *canonem* 9. ignoret, quid sit Exarchus. Balsamo vero in *eundem can.* intelligit quid sit Exarchus; sed ingenue quidem fatetur suis temporibus, tribus hujusmodi Exarchis antiquis ademptam fuisse omnem auctoritatem Primatus, solo titulo & nomine relicto.

Eoque magis observandus est dictus *canon*, quod & in *cap.* 1. *de foro competenti* sit relatus a Gregorio IX. ut etiam hac nostra *Causa Quæst.* 1. *can.* 46. cum hac tantum differentia, ut Gratianus ex antiquissima versione refe-

referat; ſed in Decretalibus ex verſione Dionyſii Exigui referatur. Et quod præcipue notandum, in celeberrimo Capitulari Aquiſgranenſi auctoritate Caroli Magni publicato ejus regni anno 21. edito ſuper reformatione totius Cleri, *Canon* iſte 9. Chalcedonenſis inſeritur de verbo ad verbum, & ejus ſumma bis verbis comprehenditur, *ut ſi Clerici inter ſe negotium aliquod habuerint, a ſuo Epiſcopo dijudicentur, non a ſecularibus*. Ex quibus verbis notandum, Canonem Chalcedonenſem de Cauſis civilibus Clericorum, & inter ſolos Clericos loqui; quamvis etiam per Leges liberum eſſet Clericis eligere, vel Epiſcopalem audientiam, vel ſecularia judicia *dicta Lege* 25. *Cod. de Epiſcopis & Clericis*, ut ſupra diximus.

Quod autem ait canon adeundos eſſe prius Epiſcopos, non ſic intelligendum, ut male quidam, ita ut ſi non acquieſcant Clerici judiciis Epiſcoporum, aut judicum electorum auctoritate Epiſcopi, liceat eis redire ad publica vel ſecularia judicia: ſed hanc potius habet ſententiam, ut prius Clerici debeant adire Epiſcopos, ſi agant adverſus Conclericos; ita ut ſi Epiſcopus vel diſtulerit judicare, aut judices dare; vel omnino noluerit forte vel propter difficultatem negotii perplexi, vel propter litigantium aſperos & contentioſos mores: tunc Clericis etiam in Clericos agentibus ſeculares judices adire licebit, nec incurrent in pœnas canonicas. Quod confirmari poteſt *Novell.* 83. Juſtiniani.

Ex his itaque colligimus aliud dicendum, ſi alter ex litigantibus Laicus fuerit, & alter Clericus. Nam ſi actor fuerit Laicus, ex legibus ſupra citatis eligere poteſt vel Judicem Epiſcopalem, vel publicos judices: ſi vero actor fuerit Clericus, Laicus vero reus, omnimodo dicendum ſecundum communem Juris regulam, apud ſeculares judices agendum eſſe. Actor enim ſequitur forum Rei. Quod procul dubio temporibus Concilii Chalced. ſervabatur: quid deinde ſervatum fuerit, in ſequentibus *Canon.* oſtendemus.

AD CANONES 2. 3. 6. 17. 25. 42. 43. 44. & 47.

CONJUNXIMUS iſtos omnes *can.* hac ratione, quia deſumpſit eos Gratianus ex pluribus Conciliis Gallicanis, diverſis temporibus habitis, ut quod deeſt in Gratiano, qui nulla temporis habita ratione illos retulit, ſuppleamus, ſervato temporis ordine, quo ſingula Concilia convocata fuerunt. Hoc amplius, prætermiſſos a Gratiano pleroſque ex aliis Galliæ Conciliis canones adjungemus, & quos ipſe Gratianus inſeruit, ad ſuos fontes & origines revocabimus hac methodo, ut ab antiquiſſimis incipiamus.

Primum occurrit Concilium Arelatenſe II. *can.* 31. quod Sirmondus non improbabiliter refert ad annum Chriſti 452. ſub Valentiniano III. & Leone I. ſum. Pontifice, ideſt anno uno poſt Chalced. Concilium. In dicto *can.* 31. idem fere, quod in Chalced. *can.* 9. ſupra citato, ſed explicatius declaratur, nempe ut Clerici religionis negotia, vel ſpiritules cauſas, & generaliter cauſas omnes inter Clericos ortas, ad Synodos & Epiſcopos deferant, quorum judiciis terminentur, nec ad ſecularia judicia tranſire præſumant, invito Epiſcopo. Sequitur proxime Concil. Andegavenſe habitum ſub Leone Magno anno Chriſti 453. in cujus 1. *can.* ſtatuitur, ne inconſulti

ti

tis Sacerdotibus, ideſt Epiſcopis ſuis Clerici ſecularia judicia expetant. Cui Concilio Leo Bituricenſis Archiepiſcopus & Euſtochius Archiepiſc. Turonenſis præerant, a quibus epiſtola Synodica ad interpretationem hujus canonis 1. pertinens, ſcripta fuit ad Epiſcopos & Presbyteros omnium Eccleſiarum, quæ ſunt intra provinciam 3. ideſt 3. Lugdunenſem, quæ vulgo Turonica. Hac epiſtola conſtituitur, ut Clerici in omnibus negotiis ſuos Epiſcopos adire teneantur, ſub depoſitionis ſeu degradationis pœna, his elegantibus verbis: *quiſquis ſub obſervatione Clericali, cœleſti ſervire probatur officio; exclerico habendum ſe norit*, ideſt ut ſupra dixerat, *ſacris liminibus expulſus, a cœleſti arceatur altari, ſi prætermiſſo Sacerdotum judicio, ſecularem adierit Poteſtatem*. Et hæc ſi inter utroſque Clericos reum & actorem controverſia verſetur. Quod ſi Laicus agat adverſus Clericum, prius quidem ab Epiſcopo audiri ſe petere debet; tum ſi petitioni ſuæ Laicum viderit obviare, ex permiſſu Epiſcopi ſui in ſæculi moderatoris diſceptatione confligat. Multoque magis ſi Clericus agat adverſus Laicum; tunc enim ſecundum notiſſimam juris regulam, qua dicitur Actorem ſequi forum Rei, Clericus apud ſeculares Judices Laicum convenire debebit, abſque ullo metu pœnarum canonicarum, quæ ceſſant in hoc caſu. Non recte vero multi elegantis hujus epiſtolæ auctorem fingunt Leonem Magnum, & inter ejus epiſtolas referunt, & inſcriptionem corrumpunt. Ut enim diximus, fuiſſe ſcriptam ad Epiſcopos & Presbyteros provinciæ 3. Lugdunenſis, ideſt Turonicæ probant & nomina Epiſcoporum, & comparatio dicti Concilii Andegavenſis, & ſubſcriptiones Concil. 1. Turon. & Venetici, quæ duo Concilia a Perpetuo Turonico Archiepiſcopo convocata fuerunt. Et quidem in *can. 9.* dicti Concil. Venetici habiti anno 465. ideſt duodecim annis poſt dictum Andegav. Concilium, conſtituitur ut Clerici non niſi ex permiſſu Epiſcoporum ſuorum adeant ſecularia judicia. Quod ſi vel ſuſpectum habeant Epiſcopum proprium, aut adverſus ipſum Epiſcopum nata ſit controverſia, aliorum Epiſcoporum audientiam, non autem ſecularem Poteſtatem debent ambire.

Sequitur ordine temporum Concilii Agathenſis celebrati anno Chriſti 506. canon 32. in quo ſtatuitur, ne Clericus Epiſcopo non permittente Laicos apud ſecularem Judicem traheret: ſi vero Clericus ad ſecularem Judicem vocaretur, reſpondeat, ut loquitur Canon, non proponat, ideſt ut ſubjicit, accuſationem de quolibet crimine adverſus quemlibet non audeat apud ſeculares Judices inſtituere. Viciſſim etiam calumniatores Eccleſiarum vel Clericorum, qui victi fuerint, excommunicantur.

Ex quibus colligitur quam multa Gratianus mutaverit & circa ſenſum & circa verba *hujus can.* quem refert mutilatum in *can. 17. & 47. hac C. Quæſtione 1.* adeo ut fere in contrariam ſententiam detorqueat, perinde ac ſi nullus Clericum apud ſecularem judicem poſſit convenire, nec etiam Clericus quemquam poſſit accuſare apud ſeculares Judices. 2. vero pars dicti canonis, qua Clericorum calumniatores excommunicantur, niſi pœnituerint, totidem verbis refertur ab eodem Gratiano *Can. ſi quis vero ſecularium V. Q. 6.*

Sequitur Aurelianenſis tertii habiti an. 538. ſub Childeberto Rege canon. 32. cujus eadem pene ſententia, quæ Concilii Agathenſis, his fere ver-

verbis: *Ut nec Clericus Laicum, nec Laicus Clericum ad seculare judicium, inconsulto Episcopo præsumeret vocare*. Quem can. Gratianus in *can.* 3. *hujus* 1. *Quæst.* refert ex *epist. supposititi*a Marcellini Papæ, quam recte Correctores Romani confictam fuisse ex dicto Concil. Aurelianensi III. notaverunt, verbis tamen in aliam sententiam detortis. Hæc enim verba: *Nec Laico quemlibet Clericum liceat accusare*, omissa clausula sequenti, *inconsulto Episcopo*, repugnant plane Ecclesiasticæ disciplinæ illorum temporum, & canonibus generalibus Conciliorum, ipsique rationi. Ex eodem Concil. Aurelianensi III. *can.* 21. desumptus est *canon.* 25. *hoc titulo* de conjurationibus & conspirationibus Clericorum, de quibus loco suo dicetur.

Triennio post Concil. Aurel. III. sub eodem Childeberto anno Christi 541. habitum fuit Concilium Aurelianense IV. in cujus *can.* 22. definitum est, *ne Clericus Reus a Clerico vel Laico conveniretur, prætermisso Pontifice apud quemcumque Judicem secularem*. Sed eodem can. plenius etiam admonetur, *ut vocatus ad audientiam Episcopi spondeat se affuturum, & respondere nulla calliditate dissimulet*. Quod si Clericus agat adversus Laicum, absque Presbytero, Archidiacono, aut alio Ecclesiæ Præposito judex publicus audire negotium non præsumat. Quod si ex utriusque Clerici & Laici consensu placuerit ire ad judicium fori, idest ad publicos judices (Episcopi namque proprie forum non habent, ut loquitur *Novella* Valentin. *de Episcopali judicio*) permittente Præposito Ecclesiæ, hæc licentia permittitur Clerico. In quo *can.* pro parte tantum servatur juris regula, qua actor sequitur forum rei. Si reus fuerit Clericus, Episcopale judicium aditur: si vero Laicus sit reus, adversus quem agat Clericus, inspector aderit publico Judici Prælatus Ecclesiæ; nisi de communi consensu Clerici & Laici, & annuente Prælato, licentia concedatur litigandi apud Judicem secularem.

Nullum tempore proximius occurrit Concilio Antissiodorensi, quod a solo Episcopo Aunachario cum suæ Diœcesis Abbatibus & Presbyteris habitum est sub Childerico anno 578. *can.* 43. Statuitur *Judicem secularem, qui absque voluntate Episcopi, aut Archidiaconi, vel Archipresbyteri, Presbytero, aut Diacono, aut cuilibet de Clero, aut de junioribus injuriam inferre præsumpserit*, idest eum distringere aut punire, *anno uno ab omnium Christianorum consortio extraneum esse*.

Sequitur notatu dignum Concil. Matisconense I. congregatum auctoritate Guntramni Regis, & ex omnibus regni Burgundici Episcopis anno Christi 581. in cujus Concilii *can.* 7. & 8. ea de re quædam singularia statuuntur. Et quidem Gratianus dictum *can.* 8. refert in *can.* 6. *hac nostra Quæst.* 1. prætermisso *can.* 7. qui præcedit, nec omitti debuit. Utriusque vero canonis hæc est sententia, 7. quidem, ne judex secularis Clericum extra discussionem Episcopi sui distringat, aut custodiæ deputet absque causa criminali, idest homicidio, furto, aut maleficio: quod si præsumpserit, quamdiu Episcopo illius loci visum fuerit, ab Ecclesiæ liminibus arceatur. 8. vero canonis hæc est sententia, ut nullus Clericus quemcunque alium de Clericis ad secularem Judicem vocare audeat, sive in causa civili, sive criminali: sed omne negotium Clericorum, aut in Episcopi sui, aut Presbyterorum, vel Archidiaconi præsentia finiatur. Quem can.

can. Gratianus refert, ut diximus in *can. 6. hac Quæst.* 1. & in eo legendum *junior*, pro *minor*: idemque error est in *cap.* 2. *extra de foro competenti*.

Ex dictis vero canonibus observanda distinctio criminum, & de quibus Clerici criminibus apud judices seculares possunt accusari, a Laicis tamen. Nam in *can.* 8. interdicitur generaliter Clericis accusatio fratrum suorum Clericorum in omnibus negotiis, etiam criminalibus. Et hæc 1. & antiqua criminum origo, quæ vulgo *privilegiata* vocantur apud nos, quæque tria notantur in dicto *can.* homicidium, furtum & maleficium, idest veneficium & sortilegium, ut vocamus.

Concilio vero Matisconensi II. etiam generali totius Burgundiæ regni, habito sub eodem Guntramno anno Christi 585. statuitur in *can. 9. & 10.* ne ex ulla causa Episcopi, Presbyteri, Diaconi & Subdiaconi apud alios quam Episcopos trahantur. Præceptione tamen ejusdem Guntramni ad Episcopos & regni sui Judices, qua dictum Concil. confirmatur, admonentur Judices & Episcopi, *ut Clericorum transgressiones, cum adversario instigante contigerint, quatenus illis pro divino amore major reverentia impenditur, tantum acrius resecentur: quoniam si sancti Pastores, aut instituti Judices, quod nefas est, subjectorum suorum scelera potius occultare, quam resecare tentaverint, se ex hoc amplius reos esse vel noxios non ignorant*. Et sane ex *can.* 9. dicti Concil. colligitur, in causis criminalibus etiam ipsos Episcopos ad judices seculares raptos, & ergastulis publicis addictos fuisse. Et additur in fine. *Nefas est enim, ut illius manibus Episcopus, aut jussione de Ecclesia trahatur, pro quo semper Deum exorat, & cui invocato nomine Domini ad Salvationem corporis & animæ Eucharistiam sæpe porrexit*. Idemque jus trahitur ad Presbyteros, ut diximus, Diaconos & Subdiaconos, non ultra.

Insigne occurrit Concil. Parisiense V. habitum anno 615. Clotarii II. auctoritate ex universis Galliæ Episcopis convocatum; unde appellatur generalis Synodus in *can.* 3. Concil. Remensis. Dictæ itaque Parisiensis Synodi *canones* 4. & 11. notandi sunt ad hanc materiam, quam tractamus. Et quidem in 4. quem sub titulo *Palea* Gratianus ordine citat 2. *hac* 1. *Quæst.* sic definitur. *Ne ullus judicum, neque Presbyterum, neque Diaconum, vel Clericum ullum, aut juniores Ecclesiæ absque scientia Episcopi per se distringat, aut damnare præsumat*, addita excommunicationis pœna, donec judex emendaverit reatum. Idem canon in *cap.* 2. *extra de foro competenti* refertur ex Concil. Paris. sed in eo non *minores Ecclesiæ*, sed *juniores Ecclesiæ* legendum. Præterea in *can.* 11. additur, si Episcopus adversus Episcopum quodcunque negotium habeat, ad judicium Metropolitani & Comprovincialiom recurrat: judices autem publicos non adeat.

Sequitur in fine dicti Concil. Paris. edictum Clotarii Regis, quo confirmat, quæ in ea Synodo ab Episcopis 79. fuerant decreta: frequentissima namque fuit Synodus. Dictum vero can. 4. ita temperat & restringit. *Ut nullus judicum de quolibet Ordine Clericos de civilibus causis per se distringere præsumat, præter criminalia negotia, nisi convincitur manifestus, excepto Presbytero & Diacono. Qui vero convicti fuerint de crimine capitali, juxta Canones distringantur, & cum Pontificibus examinentur*. Scilicet in criminalibus causis, prout de Episcopis dictum fuit, ita de Presbyteris

 & Dia-

& Diaconis, non apud seculares Judices, sed apud solos Ecclesiasticos Judices disceptari voluit: Subdiaconos vero & Clericos de crimine capitali manifeste convictos, communi quodam judicio constituto, simul per publicos & Ecclesiasticos judices judicari. Ex quo insigni Clotarii edicto & plerisque aliis locis colligitur, Canones Conciliorum a Regibus nostris confirmari solere, & Canonibus eorum varias exceptiones & conditiones appositas fuisse.

In Concilio Remensi, habito anno Christi 630. sub Dagoberto Rege, *can.* 3. dicti Concil. Parisiensis V. quod generale vocatur, & studio Clotarii Regis congregatum fuisse dicitur, acta omnia custodienda praecipiuntur. Et in *can.* 6. ejusdem Concil. iisdem fere verbis repetitur & geminatur definitio *can.* 4. Concil. Parisiensis V. additur tantum admonitio ad Episcopos, ut Clericorum negligentias & delicta emendare non tardent. Et in *can.* 18. constat Clericos certis casibus adire debuisse Judices seculares, non tantum in propriis, sed etiam in Ecclesiasticis causis.

Postremo in Concilio Cabilonensi II. habito circa annum 650. sub Clodovaeo Rege ejusque jussu *can.* 11. definitur, *ne judices publici contra veternam consuetudinem per Parochias & Monasteria, quae mos est Episcopis circuire, ipsi discurrere praesumant, & ad id Clericos & Abbates compellere, ut sibi praeparent*, sive *paratas* & Jus procurationis exhibeant, idest alimenta & exhibitionem, aut certam pro eo pecuniae summam.

Ex ejusdem etiam Concil. epistola in fine subjecta constat, quod & ante saepius diximus, Episcoporum causas criminales in Synodis apud Episcopos tractatas fuisse. Nam in ea epistola agitur de Causa criminali Theodosii vel Theodorici cujusdam Arelatensis Episcopi, cui & ob contumaciam suspensio infligitur.

Post Cabilonense Concil. frustra laboraverimus ad inquirenda proxima Concilia eorumque Canones: quoniam per integrum fere saeculum nulla Concilia congregata reperiuntur in Gallia, usque ad Concilium Leptinense sub Chilperico III. anno Christi 743. & Concil. Suessionense anno sequenti, nempe Carolo Magno & Pipino Majoribus domus, in quorum Conciliorum praefatione lex Dei & Ecclesiastica religio in diebus praeteritorum Principum dissipata corruisse dicitur. In dictis Conciliis nihil de jurisdictione Ecclesiastica. Nam & tantum pauca in illis pro necessitate temporum constituta fuerunt. Novem tamen post annis in meliorem statum publicis rebus restitutis, nempe a Pipino Rege, & ejus jussu an. Christi 755. habitum fuit Vernense Concilium, a Palatio regio ibi constituto vocatum, in cujus *can.* 18. deciditur, ut nullus Clericus ad Judicia Laicorum veniat, nisi per jussionem Episcopi sui, vel Abbatis juxta Carthag. Concilii *can.* 9. cujus verba exscribuntur, quae extant in *can.* 43. *hac* XI. C. *Quaest.* 1. Quem canonem accipiendum esse tantum, quoties judicium instituitur inter actorem & reum Clericos, colligitur ex praecedenti *can.* 42. *hac dicta Causa Qu.* 1. Et in fine Conc. Vernensis additur his verbis: *maxime in talibus causis, inquietudinem Regi Domino faciat*. Reliqua quae in dicto can. supersunt, suo loco explicabimus ad canones 42. & 43. hac nostra Quaest. 1.

AD

Ad Canonem quartum.

HUjus Canonis inscriptio, quæ præfert Concilii Nicæni titulum, falsa est. Nec enim in Concilio Nicæno, cujus supersunt viginti canones veri, quidquam simile reperitur. Notant vero Rom. Correctores ex *epistola* Julii *ad Orientales* desumptum fuisse hunc can. Quod verum est: sed etiam illa epistola supposititia est, & ex Isidori mercibus. Sententia vero hujus can. hæc est, arbitrio accusati Clerici relinqui, quos judices eligere velit, aut quos cum suo consensu Sedes Apostolica, aut ejus Primates auctoritate hujus sanctæ Sedis elegerint. Compositus autem & confectus ex parte fuit hic canon ex antiquo more judiciorum Ecclesiasticorum in Africa, qui fuit hujusmodi, ut si adversus Episcopum, vel Clericum Episcopus, vel Clericus in Concilio conveniretur civili vel criminali judicio, ab aliis Episcopis vel Clericis interrogaretur reus, utrum apud Episcopos vellet agere, & quos eligere vellet. Quod inductum videtur, ne derelicto Ecclesiastico judicio, publicis judiciis purgari quæreret, ut colligitur ex *can.* 43. *hac nostra Quæst.* Vel etiam ex communi consensu utriusque partis electi judices dabantur, de quibus inter actorem & reum convenerat. Quod si non consentirent, Primas ipse, idest Metropolitanus dabat judices ex Episcopis, qui intererant Concilio; cum hac tamen differentia, ut a Judicibus, quos communis consensus litigantium elegerat, provocare vel appellare non liceret. Quod si quis appellasset, non audiebatur; sed donec obtemperasset sententiæ, ei nullus in Africa communicabat. Quod si Primas judices ipse solus dedisset, appellare licebat: & tunc alii judices amplioris numeri decernebantur ad causam appellationis judicandam, a quibus iterum appellabatur, & ad sententiam Concilii plenarii totius Africæ res deferebatur, vel etiam, ut brevius lites finirentur, qui appellaverant a prima sententia, ex communi consensu judices eligebant, a quibus amplius provocari non liceret. Quæ omnia desumpta sunt ex Canonibus variorum Concil. Africæ, *Canone* 54. 63. 67. 87. 88. & 89. & Ferrando Carthag. in *Breviario canonum numero* 61. & 64. & Concil. Carthaginensi III. *can.* 7. 8. 9. & 10. Quæ omnia lucem afferunt *can.* 33. 34. 35. 37. & 39. *Causa* 11. *Quæst.* 6. Et quidem in *can.* 34. non recte Gratianus detraxit negationem, ut liceret provocare a Judicibus communi consensu electis adversus ea quæ diximus, & ipsius Canonis veram lectionem. Movebatur forte Gratianus usu contrario sui temporis, quo sicut & hodie, a Judicibus communi consensu litigantium electis licet appellare; sicut & jure civili quoties judices ex communi consensu litigantium a Magistratu fuerunt dati, victus tamen poterat appellare *lege* 23. *ex consensu ff. de appellationibus*. Poterat tamen Gratianus non tantum auctoritate dictorum Canonum, quos citavimus, sed etiam Constitutionibus Christianorum Principum dictorum Canonum sententiam confirmare, & retinere negationem, quam detraxit ex dicto *can.* 34. sicut plenius dicemus ad *can.* 35. 36. & 37. *hac Quæst.*

Ex iis intelligitur facile hujus *can.* 4. sententia, ex dictis can. desumpta, si modo excipiamus affectatam inepte Pontificis Rom. in eligendis judicibus auctoritatem, quæ vel Episcopis, vel Metropolitanis, qui in Africa Primates vocabantur, competebat. Nam & Episcopi & Metropolitani

litani & in prima inſtantia, & in appellationum cauſis propria auctoritate vel judices dabant, vel electos a litigantibus confirmabant; adeo ut omnium, quæ in provinciis gerebantur ſingulis, penes Metropolitanum maneret auctoritas, inconſulto Rom. Pontifice, ut conſtat ex Canonibus Nicænis. Itaque fruſtra affectavit auctor ſuppoſiti canonis Concilii Nicæni auctoritatem, ut initio diximus.

AD CANONES 5. ET 41.

PRIMA pars *canonis* 5. deſcripta eſt ex *l.* 3. *Cod. Theodoſ. de Epiſcopali judicio*, cujus legis Auctores ſunt Valentinianus, Theodoſius, & Arcadius, & ſcripta eſt ad Optatum Præfectum Auguſtalem, cujus legis partem refert Gratianus; ſed in contrarium ſenſum detorquet. Nam poſt hæc verba canonis: *habent enim illi judices ſuos, nec quidquam his publicis eſt commune cum legibus:* omiſit, quod erat præcipuum in lege integra, hanc nempe clauſulam: *quantum ad cauſas tamen Eccleſiaſticas pertinet, quas decet auctoritate Epiſcopali decidi*. Quod & plenius in dicta lege explicatur, ut quæſtiones, quæ ad Chriſtianam ſanctitatem pertinent, & ſacram diſceptationem, ab Epiſcopo Alexandrino Timotheo definiri & judicari ſtatuat; quicquid vero aliunde negotiorum inciderit inter Epiſcopos aut Clericos, a Præfecto Auguſtali decidi. Scilicet eam ſequitur diſtinctionem, quam & aliæ pleræque leges, quas in paratitulo retulimus, ut in omnibus cauſis ad religionem pertinentibus Epiſcopale Judicium adeatur tantum; in reliquis vero negotiis judices publici, ſive ſeculares *lege* 1. *Cod. Theod. de Religione*. Hoc tamen ſingulare privilegium conceditur Epiſcopis & Clericis, ut per univerſam Ægyptum Epiſcoporum & Clericorum cauſæ ſoli Præfecto Auguſtali judicandæ committantur, reliquis Magiſtratibus adempta cognitione; ut & in *lege* 25. *Cod. de Epiſcopis & Clericis*, Clericorum Conſtantinop. cauſæ omnes civiles & criminales (Eccleſiaſticas ſemper excipimus) apud ſolum Præfectum Prætorio Orientis, qui Conſtantinopoli ſedem habuit, introduci & judicari poterant. Ex quibus colligitur, quantum receſſerit Gratianus a vera legis ſententia, detracta ſupradicta clauſula, ut hunc ſenſum efficiat, *nullo caſu Epiſcopos vel Clericos ad publicos, ſive ſeculares Judices poſſe vocari*.

Pars ſecunda hujus Canonis deſumpta eſt ex Hiſtoria Eccleſiaſtica Rufini *lib.* 10. *cap.* 2. a quo lib. Rufinus Euſebii Hiſtoriam Eccleſ. continuavit, ubi plenius enarrat Hiſtoriam, cujus hic tantum ſumma refertur. Sæpius autem iteratur mentio hujus Hiſtoriæ tam apud Scriptores Eccleſiaſticos quam canonum Interpretes. Si quis tamen excutiat auctorem Rufinum, non de gravioribus criminibus, ſed de jurgiis & ſimultatibus tantum, exortis inter Epiſcopos loqui deprehendet, de quibus Conſtantinus judicium recuſavit, non tantum propter ſummum honorem, quem exhibitum Epiſcopis voluit, ſed etiam, ut ipſe pronunciavit Conſtantinus, ut omiſſis hujuſmodi contentionibus, illa, quæ ad fidem pertinerent, tranquillo & pacato animo deciderent. Unde & omnes querimoniarum libellos juſſit exuri, ne ulli hominum innoteſceret Sacerdotum ſimultas. Eademque Hiſtoria refertur in *can. futuram* XII. *Quæſt.* 1. & in *can. Sacerdotibus* 41. *hac noſtra Quæſt.* in quo pleniſſime Gregorius Magnus agit de honore Epiſcopis exhibendo

bendo ab ipsis Imperatoribus. Quod vero dicitur in fine nostri Canonis 5. Constantinum præsedisse Nicænæ Synodo, ita refert Eusebius, huic præsens *lib.* 3. *de vita Constantini cap.* 10. Constantinum in medio Concilii inter Episcopos, aurea sella posita, consedisse; idemque Socrates *lib.* 1. *cap.* 5. quibus locis dicitur non ante voluisse Constantinum sedere, quam innuissent Episcopi. Itemque ex Rufino Socrates hæc verba Constantini refert, non esse conveniens Episcopos de publicis fidei quæstionibus decernere, priusquam ipsi inter se omnes rixas simultatesque deposuissent. Primus itaque narrationis illius auctor est Rufinus; quam & refert Greg. Magnus *lib.* 4. *Registri epist.* 31. ubi expostulatoriam Epistolam scribit ad Mauricium Imperatorem, qui eum fatuum in quibusdam jussionibus per contemptum appellaverat. Quare merito notant Imperatorem illustrissimi & reverendissimi Correctores Rom. sinceritate & libertate Apostolica reprehendi, commemoratis pluribus locis Scripturarum de dignitate Episcoporum, quæ magna ex parte referuntur in hac nostra *Quæst. can.* 41. cujus ultima verba (*hæc ergo non tantum specialiter*) non omnino cohærent cum sequentibus: *quoniam*, inquit, *adhuc nescimus, quis in terribili Judicio Dei qualis sit futurus*. Sed ex integra Epistola repetenda sunt, quæ omisit Gratianus. *Hæc ergo*, inquit G. M. *pietati Dominorum, non pro me, sed pro cunctis Sacerdotibus suggero: ego enim peccator sum*. Et deinde post integram fere paginam subjicit: *quia autem pietas Dominorum illud mihi pavendum & terribile omnipotentis Dei Judicium intentat, rogo per eundem omnipotentem Dominum; ne hoc ulterius faciat quidem: nam adhuc nescimus, quis sibi qualis sit*. Quæ recte inter se cohærent.

Ad Canones 7. et 14.

DESUMPTUS est canon 7. ex *Epistola* 2. Marcellini Papæ ad Orientales, ut recte notaverunt Correctores Rom. usque ad hæc verba: *etsi obedire noluerint*. Adumbratus vero est hic Canon ex *Epistola* 1. sancti Pauli *ad Corinthios cap.* 6. sicut etiam indicat *Canon* 14. *hac Q.* 1. qui desumptus est ex *Epistola* Alexandri Papæ: quamvis utraque epistola sit supposititia, & utraque plurimum recedat tam a verbis, quam a sententia Apostoli, qui in *dicto cap.* 6. increpat fideles, quod apud Ethnicos & infideles, Judices litigarent, eosque hortatur, ut vel omnino non litigent, vel ad lites & negotia secularia judicanda contemptibiles & viles Christianos quosque constituerent. Nec enim Clericos, vel ut loquimur vulgo, Ecclesiasticos viros litibus præponi judicandis præcipit. Quæ tamen aliter referuntur in his duobus Canonibus, nempe solos, ut vocant, Ecclesiasticos viros Tribunalibus præfici statuunt, quos idem Paulus a litibus & strepitu forensi abhorrere maxime debere sæpius insinuat. Excommunicationis vero pœna adversus eos lata, qui apud Judices publicos litigarent, nec reperitur in Epistola Pauli, nec in supposititia Alexandri, cujus fragmentum in *dicto can.* 14. habetur.

Ad

AD CANONEM OCTAVUM.

TRIBUITUR etiam falso hic *Canon* 8. Bonifacio Papæ, ex *ejus epistola ad Episcopos Galliæ* repetitus: est enim ex *Novella* Justiniani 123. *cap.* 8. quamvis Gratianus non referat ejus verba, sed veteris Interpretis, scilicet Juliani Antecessoris, qui Justiniani Novellas in Epitomen redegit; & inter Juliani Novellas refertur ordine 115. ex cujus Novellæ *cap.* 10. exscriptus est totidem verbis hic Canon, omissis tamen his verbis; quæ & in integra Novella, & apud Julianum reperiuntur: *nisi imperialis jussio præcesserit*. Præterea integra sententia Novellæ est hujusmodi, neque pro civili vel criminali causa ad Judicem civilem vel militarem, nec eorum auctoritate Episcopos invitos posse trahi & exhiberi: volentes enim possunt. Quod dictum *Novellæ caput* ut intelligatur, jungendum est cum *cap.* 21. *ejusdem Novellæ*, cujus hæc sententia est, ut in causis civilibus vel criminalibus conveniantur Episcopi apud proprium Metropolitam, ut ibi secundum Canones & Leges judicentur: ideoque merito utrumque *caput dictæ Novellæ* 123. Gregorius I. inseruit *epistolæ* 54. *Libri Registri scriptæ Joanni Defensori*, eunti in Hispaniam, relatis ipsis verbis veteris Interpretis Novellarum.

AD CANONES 9. 10. ET 33.

TRES isti Canones eundem præferunt auctorem Silvestrum, qui & similium Canonum supposititiorum auctor scribitur in *can.* 14. 11. *Q.* 5. *can.* 2. *&* 10. *ead.* C. *Q.* 7. *&* *can.* 2. V. *Q.* 2. Et quidem *canonis* 9. hæc est sententia, Clericum adversus Laicum testem in judiciis publicis citari non posse & exhiberi. 10. vero *can.* anathematizantur Clerici, qui Clericos accusaverunt apud judices seculares: & generaliter *can.* 33. statuitur, ut nullus Clericus propter quamlibet causam in Curiam intret, nec ante judicem cinctum, idest secularem, causam dicere præsumat. Quæ sane ita generaliter posita, pugnant plane cum canonibus & legibus observatis tempore Silvestri, & postea. Nec enim unquam tantum sibi juris vindicaveruut Clerici, ut in omnibus causis civilibus vel criminalibus præscriptione fori uti possent adversus Laicos judices. Nec etiam vel ex scripturis, vel ex veris & probatis canonibus testimonii prohibitio Laicis adversus Clericos interdicitur, vel Clericis adversus Laicos; nisi in certis casibus, legibus & Canonibus exceptis, v. g. si infideles, hæretici, schismatici, infames, vel personæ turpes exhibeantur testes in Clericos, & generaliter omnes, quos ad accusandum publicæ leges non admittunt *can.* 6. Concilii Constantinop. I. in *Græco textu*, & Carthaginensis Concil. VII. *can.* 1. 2. 3. *&* 4. quorum plerosque retulit Gratianus in *Causis* III. *Qu.* 10. *&* IV. *Qu.* 1. *&* 2. quibus plenissime tractatur de testium qualitate, & qui admitti, vel rejici debeant tam ex legibus, quam ex canonibus. Ad *Canonem vero 9. hujus Quæst.* 1. addit Gratianus *leges* 7. *&* 8. *Cod. de Episcopis & Clericis*, & excerpta ex *Novella* 123. *cap.* 7. *&* 20. quarum legum hæc est sententia, Episcopos nec volentes, nec invitos ad testimonium dicendum vocari posse, sed ad eorum domus mittendos esse a judicibus Ministros, qui propositis Evangeliis, testimonia eorum

eorum excipiant (Et hæc Evangeliorum propositio pro jurejurando habetur *L. rem non novam Cod. de Judiciis*): ad differentiam Laicorum, qui non tantum propositis, sed etiam tactis Sacrosanctis Evangeliis jurare tenentur: Quod jusjurandum ideo corporale solet vocari. Reliqui vero Presbyteri, Diaconi & Clerici quomodo testimonium dicere jubeantur, explicatur in *Lege* 8. *Cod. de Episcopis & Clericis*, & *in Novell.* 123. *cap.* 20.

Ad Canones 11. 19. 20. 42. 43. et 44.

Confirmatur istis Canonibus, quod superius diximus, Episcopos vel Clericos, imo & Laicos, non debere vocare ad Judicia publica, sive secularia, Episcopos vel Clericos, exceptis certis casibus, qui in quibusdam ex istis Canonibus annotantur.

In explicandis autem singulis Canonibus sequemur ordinem temporum, & incipiemus a *Canone* 19. & 43. quoniam hi duo Canones editi fuerunt in Concilio Charthag. III. eodem ordine, quo hic referuntur a Gratiano. Habitum vero fuit Concil. III. Carthag. anno Christi 397. frequentia plurimorum sanctissimorum & doctissimorum Episcoporum nobile. Sententia vero *can.* 43. continet regulam quamdam generalem, scilicet Episcopos, Presbyteros, Diaconos, & Clericos vel in civilibus vel in criminalibus negotiis ad judicium Ecclesiasticum vocatos, si neglectis judicibus Ecclesiasticis negotium transferri ad seculares Judices obtinuerint, etsi vicerint, si quidem criminale fuerit negotium, deponi & ejici de Clero; si vero actio civilis & pecuniaria fuerit, eis optio defertur, ut vel rem quam per sententiam consecuti fuerint amittant; vel si eam retinere velint, deponantur & ejiciantur de Clero. Ex quo *can.* non quidem confici potest, quod tentant Gratianus & Interpretes, Clericos generaliter apud civilem & secularem judicem judicari non debere: imo contrarium, eos quidem posse judicari apud seculares Judices, pro arbitrio nempe litigantium; ita tamen ut pœnis Canonicis coerceantur Clerici, qui conventi apud Ecclesiasticos Judices, transtulerint judicium ad judices publicos. Et quidem statuuntur hujusmodi pœnæ adversus Clericos tantum, qui de seculari judicio poscant auxilium in contemptum Ecclesiæ: sententia tamen Judicum secularium non erit minus valida nec enim Ecclesia sententias judicum secularium infringere potuit.

Notandum vero Gratianum in *can.* 44. brevem summam hujus *can.* referre, perinde atque si novus esset Canon: totidem enim verbis reperitur hujus canonis argumentum vel summa ad *can.* 9. Carthag. Concilii in vulgatis codicibus. Refertur etiam dictus *can.* 43. in Concil. Vernensi, habito sub Pipino Rege anno Christi 755. *can.* 18. in quo additur hoc temperamentum, ut nullus Clericus ad judicia Laicorum publica veniat, nisi per jussionem Episcopi sui vel Abbatis; & maxime, ne in talibus causis inquietudinem Domino Regi faciant. Ex quibus verbis constat ex licentia superiorum cessare pœnas hujus *can.* Quod etiam confirmatur ex *can.* 11. *hac nostra Quæst.* 1. quem infra pluribus explicabimus: idemque probat *canon* 19. cujus elegans species repetenda est tam ex *can.* 38. dicti Concilii Carthag. III. quam ex *can.* 14. & 15. Concilii Africani, quibus ex locis desumptus est ille *canon*.

Honoratus & Urbanus Episcopi Legati provinciæ Mauritaniæ Sitiphensis, nomine totius provinciæ conquerebantur de Cresconio Villaregiensi Episcopo, qui propria Ecclesia relicta, Tubuniensem invaserat Ecclesiam. Quamvis autem secundum Canones, ad Ecclesiam quam reliquerat, Aurelii Carthaginensis & reliquorum Episcoporum Africæ sententiis & monitionibus redire jussus fuisset sæpissime, non tamen obtemperaverat. Quare postulant Episcopi, supra nominati a Concilio, ut necessitate cogente, secundum rescripta Imperatorum, Rectorem provinciæ adire possint, ut Cresconius contumax auctoritate judiciaria compellatur ab Ecclesia quam invaserat, recedere & ad primam redire. Quod & Aurelius, qui Concilio præerat, & reliqui Præsules hoc adhibito temperamento decernunt, ut si iterum admonitus ad primam Ecclesiam redire detrectet, a Præside provinciæ, in qua situs erat Episcopatus compellatur. Quod & pluribus Imperatorum constitutionibus convenit, & Conciliorum Canonibus; quibus adversus Episcopos & Clericos contumaces sæpius constitutum, ut compellantur gravioribus etiam pœnis *l. 14. Cod. de Episcopis & Clericis*. Per statuta vero Principum, quæ referuntur in *dicto can.* 19. intellige Arcadium & Honorium Imperatores, quorum imperii anno 3. celebratum fuit Conc. III. Carthag. ex quo desumptus est hic Canon. Et hæc præter pœnas canonicas adversus invasores Sedium constitutas, qui nempe ambitione vel avaritia suadente, Sedes suas sponte mutant, de quibus *can.* 15. *Nicæno*, & *can.* 1. & 2. *Sardicensi*.

Ex *dicto* vero *canone* 11. *hujus Quæst.* conficiunt generaliter Interpretes, & recte, cum Ecclesia non habeat vim coactivam, solere vel ad Imperatores, vel ad Magistratus confugere ad coercendos contumaces Episcopos, Clericos, vel Laicos mandatis Ecclesiæ non obtemperantes. Imperatorum autem & Magistratuum auxilium Africanos Episcopos sæpius implorasse, & ipsa Concilia universæ Africæ per Legatos ad Comitatum directos flagitasse, & literas ex Conciliis ad Judices & Rectores provinciarum dedisse constat; a quibus hoc peti congruum videbatur, ut in hoc adjuvarent communem matrem Ecclesiam Catholicam, in quo Episcopalis auctoritas contemnebatur, auctoritate judiciaria adhibita *canone* 25. 26. 29. 30. 34. & 69. Concil. Africani. Similes extant plurimæ S. Aug. epistolæ ad Proconsulem & Rectores Africæ & Comites extra ordinem ab Imperatoribus in Africam missos; præcipue ad Marcellinum, Donatum & Bonifacium, quibus eos ad tutionem & defensionem Ecclesiæ Catholicæ provocat & hortatur. Nec tantum in Africana Ecclesia, sed etiam in Orientalibus & Occidentalibus idem sæpius factitatum fuisse confirmant plurimi Canones, maxime vero *canon* 4. 20. 21. 22. 23. & 26. *Causa* XXIII. *Quæst.* 5. Et præclare Isidorus Hispalensis in *dicto* 20. *can. Cognoscant*, inquit, *Principes sæculi Deo debere rationem reddere se propter Ecclesiam, quam a Christo tuendam suscipiunt. Nam sive augeatur pax & disciplina Ecclesiæ per fideles Principes, sive solvatur, ille ab eis rationem exiget, qui eorum potestati suam Ecclesiam credidit*. Quem locum merito exscripserunt omnes fere Collectores canonum ante Gratianum. Eamque in rem notatu dignissimum Concilium Paris. VI. sub Ludovico Pio, anno Christi 829. *tomo* 2. Conciliorum Galliæ pag. 523. in *capite* 2. ita inscripto, *quid sit proprie ministerium Regis*, quod ex auctoritatibus Scripturarum veteris

teris & novi Testamenti Patres describunt, & illud primum defensorem esse debere Ecclesiarum & servorum Dei. *Sæpe enim*, ut ajunt, *per regnum terrenum cæleste regnum proficit: qui contra Ecclesiam positi contra fidem & disciplinam Ecclesiæ agunt, rigore Principum conterantur, ipsamque disciplinam, quam Ecclesiæ humilitas exercere non prævalet, cervicibus superborum potestas principalis imponat*. Et iterum Concil. Aquisgraneose anno 856. sub eodem Ludovico Pio *cap.* 2. Quæ omnia lucem afferunt *canoni* 20. *hujus nostræ Quæstionis* 1. qui conjuogi debet cum *can. nec licuit Dist.* XVII. Uterque vero canon desumptus est ex *integra epistola* Pelagii I. *scripta ad Narsem Patritium*. Male uterque canon apud Gratianum ioscriptum habet Gregorium Pontificem auctorem, ut & notaverunt Correctores Rom. Illam vero epistolam refert Baronius integram ad annum 556. *numero* 10.

Conjungi autem debet hic *Canon* cum *can. nec licuit Dist.* XVII. ut supra indicavimus, & *canone* 42. 43. 44. & 45. XXIII. *Q.* 5. qui quidem omnes Canones desumpti sunt ex *variis epistolis* ejusdem Pelagii I. *scriptis eidem Narsæ Patritio & Italiæ Duci*, sicut constat ex editione epistolarum summorum Pontif. & ex Baronio ad eundem annum 556. *numero* 4. 5. 6. & *seqq.* Pertinent illi omnes Canones ad reprimendum & tollendum schisma perniciosissimum, quod occasione trium Capitulorum exortum fuit post V. Synodum generalem sub Vigilio Papæ & Justiniano Magno Imperatore convocatam, quæ tria illa Capitula damnaverat, cujus damnationis occasione, quasi per eam Chalcedonensis Synodus aperte impugnaretur, Africani Episcopi, & Occidentales ferme omnes usque ad ipsos Hibernos recesseraot a summo Pontifice & Orientalibus Episcopis. Quinetiam Vigilius ipse variaverat, & Italiæ prope totius Episcopi. Quare auctoritas Imperatoris & summi Pontificis exerenda fuit sæpius, ad eos reprimendos, ut cogereotur auctoritatem sequi Sedium Apostolicarum, ad quas in citatis Canonibus dicitur esse recurreodum, quoties aliqua dubitatio nascitur de alicujus Synodi universalis interpretatione & auctoritate; non autem oportere seorsim particulares Synodos congregare, contra universalem & ad eam impugnaodam, nempe V. illam Synodum, quæ tria illa Capitula damnaverat. Nempe in V. Synodo damnatus est Theodorus Mopsuestenus ut hæreticus; & quidem post mortem, quamvis in Ecclesiæ pace obdormisset. 2. Damnata est, ut hæretica epistola Ibæ ad Marim Persam. 3. Damnata capitula Theodoreti scripta adversus Cyrillum Alexandrinum Patriarcham; quamvis & Ibas & Theodoretus, ut Orthodoxi in Synodo Chalcedooensi fuissent admissi. Quare merito Gregorius I. illa tria Capitula potius pertinere ad personas, quam ad res ipsas vel ad fidem prudentissime & verissime scripsit *lib.* 2. *Registri epistola* 36. *universis Episcopis scripta per Hiberniam. In Synodo* (nempe V.) *in qua de tribus Capitulis actum est, aperte liquet nihil de fide convulsum esse, vel aliquatenus immutatum. Sed, ut scitis, de quibusdam illic solummodo personis est agitatum, quarum una, cuius scripta evidenter a rectitudine Catholicæ Fidei deviabant; non injuste damnata fuit.* Ad Hibernos vero Episcopos eadem epistola mittit Gregorius librum a Pelagio II. scriptum super tribus Capitulis illis, ut plenius & perfectius iostruantur de tota Synodo V. Quem librum a Gregorio ipso adhuc Diacono nomine

mine Pelagii ſcriptum fuiſſe refert Paulus Diaconus *lib.* 3. *de Geſtis Longobardorum cap.* 20. his verbis: *hic Pelagius Eccleſiæ Aquilejenſi Epiſcopo nolenti tria Capitula ſuſcipere, epiſtolam ſatis utilem miſit, quam B. Gregorius cum eſſet adhuc Diaconus, conſcripſit*. Extat autem *tomo* 2. Conciliorum *parte* 2. *pag.* 123. Binij 124. *& ſeqq.*

Ad placandum itaque illud ſchiſma graviſſimum Epiſcopos ſchiſmaticos, Presbyteros & Clericos compelli poſſe, etiam Imperatoria & judiciaria poteſtate, dicti Canones ſtatuunt; Paulinum vero Aquilejenſem & Honoratum Mediolanenſem Archiepiſcopos, ſchiſmatis præcipuos auctores & defenſores, ad Juſtinianum ſub cuſtodia mittendos & dirigendos exacta Pelagius I. ſuadet Narſæ Patritio *can.* 20. cujus pars eſt *Canon* 4. *Diſt.* XVII. in quo generaliter concludit eos omnes, qui ab Apoſtolicis Sedibus (intellige hoc loco Patriarchales) noluerint edoceri ſuper dubitatione Concilii generalis alicujus, eos ab eiſdem Sedibus Apoſtolicis, aut attrahi ad ſalutem quo quomodo neceſſe eſſe, aut ne aliorum perditio eſſe poſſint, ſecundum Canones per ſeculares Poteſtates eſſe comprimendos.

Occaſione vero ſcribendæ tam ſeveræ epiſtolæ & ſimilium, quas ad Narſem ſcripſit Pelagius I. præbebat maxime, quod Paulinus Aquilejenſis & Honoratus Mediolanenſis ex Iſtriæ, Liguriæ, Venetiarum aliarumque Civitatum Italiæ Epiſcopis Synodum convocare præſumpſerant adverſus V. Synodum Oecumenicam, quam & publicis decretis auſi fuerant damnare & deteſtari, ut colligitur ex *dicto can.* 4. *Diſt.* XVII. Uterque vero ſchiſmaticus, & a ſchiſmaticis ordinatus fuerat, ut dicitur in *can.* 20. *hac Quæſt.* 1. Et præterea inconſulto Imperatore contra receptam in Italia conſuetudinem fuerant Epiſcopi conſtituti; prout ex *epiſtola* 3. conjicitur ejusdem Pelagii ad Narſem Patricium, in qua Honoratus Mediolanenſis videtur deſignari. Quibus addenda, quæ Baronius ad annum Chriſti 550. ſcribit *num.* 16. & ad annum 580. *num.* 26.

Ex dicta vero epiſtola, quæ potiſſimum adverſus Paulinum ſchiſmaticum Patriarcham dirigitur, notandum quod Pelagius I. ad Narſem ſcribens concludit, facientes ſciſſuras in ſancta Eccleſia non ſolum exilio, ſed etiam rerum proſcriptione duraque cuſtodia per publicas poteſtates debere coerceri. In hujuſmodi tamen negotiis clementior Pelagio Narſes fuiſſe videtur: quod & in *cann. ſupra citatis* S. Aug. ſuadet, nempe ut, quam poterit fieri, agatur mitiſſime. Quin & ipſe ſæpius Auguſtinus in Epiſtolis Magiſtratus a durioribus revocat ſententiis, eoſque rogat, ut Schiſmaticorum etiam de graviſſimis ſceleribus occaſione ſchiſmatis confeſſorum & convictorum pœna eſſet præter mortis ſupplicium. *Corrigi eos cupimus*, ait, *non necari; nec diſciplinam circa eos negligi volumus, nec ſuppliciis, quibus digni ſunt, coerceri. Sic ergo peccata eorum compeſce, ut ſint, quos peccaſſe pœniteat can.* 1. 2. 3. *&* 4. XXIII. *Q.* 5. qui omnes fere ex variis Auguſtini deſcripti ſunt epiſtolis: quibus addendi ex eodem Aug. *can.* 1. 2. *&* 3. *eadem Cauſa* XXIII. *Q.* 6. junctis epiſtolis integris & præſtantiſſimis 48. *&* 50. ejuſdem ſancti Auguſtini.

Ex Eccleſiæ etiam Africanæ Canonibus deſumptus eſt *Canon* 11. *hujus Quæſt.* ſcilicet ex Carthag. quodam plenario Concilio, habito Honorio 7. & Theod. 2. Conſulibus anno Chriſti 407. ſicut conſtat ex Africanorum Canonum Collectionibus Græcis & Latinis, in quibus, in Lati-

Latina quidem reperitur hic *Canon* ordine 71. in Græca vero 104. in vulgatis Concilii Milevitani Codicibus extat ordine 19. Male apud Gratianum tribuitur Concilio Carthag. VIII. Pertinet vero ad interpretationem *can.* 43. supra explicati; quo Clericus, qui relicto Ecclesiastico judicio cupit ad publica judicia transferri, deponitur & suum locum amittit. Quod & confirmatur *hoc can.* quo statutum, ut quicunque de Clero publicorum judiciorum cognitionem petierit ab Imperatore, privetur honore & dignitate, quam habet in Ecclesia: ei autem nihil obsit, si ab Imperatore Episcopale Judicium postulaverit. Qualia Episcopalia judicia sæpius petita fuisse ab Imperatoribus in gravissimis negotiis tam ab Orthodoxis, quam a Donatistis in Africa constat vel ex Optati Milevitani *lib.* 1. in illustri causa Cæciliani contra Donatistas, in qua tria celeberrima judicia Episcoporum constituit Constantinus. Duo quidem, quibus absolutus est Cæcilianus; Romanum, cui præfuit Melchiades Papa; & Arelatense: quæ duo Concilia, sive judicia Constantini M. auctoritate constituta fuerant, & ab eo judices Episcopi dati & designati ad postulationem Donatistarum. Quibus & 3. addere possumus, quo absolutus fuit Felix Aptungitanus Episcopus Ordinator Cæciliani per rescriptum, quod dederat Constantinus ad petitionem Donatistarum ad Ælianum Proconsulem Africæ, cui mandaverat, *ut remotis necessitatibus publicis, de vita Felicis Aptungitani publice inquireret*; cujus Proconsulis sententia fuit absolutus Felix a crimine exustionis & traditionis Codicum sacrorum: quod ei crimen falso Donatistæ imposuerant, ut constat ex *dicto lib.* 1. Optati in fine, ubi & ipsa verba sententiæ ab Æliano Proconsule pronuntiatæ retulit, & colligitur ex actis, quæ in fine *Collationis Carthaginensis* inferuntur, in quibus integra refertur sententia. Quare merito idem Optatus ibidem, & post eum sanctus Augustinus adversus Donatistas, qui toties objiciebant Catholicis, *quid Christianis cum Regibus, aut quid Episcopis cum Palatio?* Ita respondet. *Si nota est nosse Reges, vos tota perfundit invidia.* Et in *lib.* 3. *Jam tunc meditabatur Donatus contra præcepta Apostoli Pauli Potestatibus & Regibus injuriam facere, pro quibus Apostolum si audiret, quotidie rogare debuerat.*

Sed ne longius requiramus exempla, in eodem Concilio Carthag. ex quo repetitur iste *Canon* 11. Episcopi Mauritaniæ Cæsariensis protestantur Primosum per principales civitatis Thiganensis conventum literis eorum fuisse, ut secundum Imperatorum rescripta plenario Concilio sui præsentiam faceret, idest rescripto impetrato ab Imperatoribus Honorio & Theodosio præceptum fuerat Primoso, ut Episcopale judicium acciperet in Concilio plenario Africæ, idest eligeret ex Episcopis qui in Concilio confidebant, quos sibi judices optaret.

Elicitur & alia exceptio ex his quæ diximus, nempe adversus contumaces & non obtemperantes Episcopos vel Clericos permittere canones non tantum ad Imperatores, sed etiam Magistratus publicos confugere, facultate tamen prius impetrata a Conciliis, vel Episcopis.

Superest *canon.* 42. ex Concilio Toletano III. *can.* 13. desumptus, quod Concilium fuit habitum sub Rege Recharedo, anno Christi 589. quo idem fere statuitur quod explicatum supra, ne Clerici Conclericos suos, Episcopo proprio suo relicto, ad publica judicia pertrahant: si quis con-

contra fecerit, & causæ amissione punitur, & a communione removetur. Cui Synodo Recharedus ipse interfuit & subscripsit: imo & edicto speciali singulos Canones, quorum indicem edicto subjecit, specialiter confirmavit.

Postremo notandum quod adscribit Balsamo ad *dictum can.* 43. *hujus Quæst.* hunc canonem & similes tempore suo in Oriente non fuisse servatos, præsertim si rescripto Imperatoris permitteretur Clerico apud Episcopos vocato in Jus, litem transferre a judicio Ecclesiastico ad publicum, sive seculare.

Ad Canones 12. 13. 15. et 16.

Canonis 12. & 13. auctor est Gelasius, qui sub Anastasio Imperatore Pontificatum obtinuit, circa annum Christi 492. Sententia vero utriusque ita proponi potest. Silvester & Faustinianus Clerici in Ecclesia Grumentina pluribus annis, ministeriis Ecclesiasticis inservierant; & tamen quasi servi fugitivi a Theodora quadam retrahebantur in servitutem, quæ de illorum statu litem instituerer apud Moderatorem, sive Correctorem provinciæ Lucaniæ, in qua provincia positum est oppidum Grumentum. Conventi vero dicti Clerici se se subduxerant: quare absentium nomine Archidiaconus Ecclesiæ promisit eos se exhibituros coram provinciæ Moderatore. Adversus vero hujusmodi judicium tanquam incompetens apud Gelasium summum Pontif. dicti Clerici deposuerunt querelam, his rationibus freti, quod non tantum a defuncto, cui Theodora successerat, manumissi forent, antequam ordinarentur Clerici; sed etiam manumissore vivente divinis ministeriis impendissent servitium, ideoque immerito & contra voluntatem defuncti abstrahi se ab Ecclesia. Præterea cum eos esse Clericos dudum constaret; non recte quæstionem de eorum statu agitari apud publicos judices, ideoque translationem judicii a foro seculari ad judicium Ecclesiasticum postulabant a Gelasio Pontif. quia cum Clerici essent Rei, competens eorum forum Ecclesiasticum esse debebat, & illud forum Theodora sequi, non autem apud judices publicos movere litem contra Clericos reos. Quare Gelasius Episcopos Crispinum & Sabinum delegat, qui litem illam judicarent. Quo pertinent illa verba *can.* 12. in fine: *ut si ad delegatorum judicium eorum adversarii venire contempserint* &c. Delegatos vocat Crispinum & Sabinum Episcopos, quos rescripto suo speciali, idest *can.* 13. *sequenti* Judices dat Gelasius, & rogat Ezechiam Comitem, ut auctoritate sua qua pollebat, dictos Clericos tueretur & defenderet.

Et quidem supra docuimus ex *lege* 25. *Cod. de Episcopis & Clericis* tam in causis civilibus, quam in criminalibus, Clericis patere Episcopalem audientiam tanquam forum proprium & competens, volentibus tamen Actoribus, ut nominatim in *dicta lege* additur, ut & in *Novella* Valentiniani junioris Cod. Theod. *de Episcop. judicio:* quibus legibus in civilibus quidem causis actori, & in criminalibus accusatori liberum erat Clericos vel ad Episcopos, vel ad publicos judices vocare. Sed observandum Gelasii Papæ tempore, qui auctor est *can.* 12. & 13. *hujus Quæst.* Theodorico Rege Italiam obtinente, Causas omnes Clericorum apud solos Epi-

Episcopos agitatas fuisse, Magistratibus Ordinariis adempta cognitione, sicut constat ex *lib. 1. variarum* Cassiodori *epist. 9.* Theodorici nomine scripta Eustorgio Mediolanensi Episcopo, ad quem Theodoricus criminalem causam quorumdam Clericorum Augustanæ Diœcesis transmittit ordinandam, publicis judicibus cognitione adempta. Ex eodem tamen Cassiodoro *lib. 3. epist. 37.* scripta cuidam Petro Episcopo colligitur, si negligentiores Episcopi forent, vel remissiores in causis Clericorum. Principem eos officii sui admonere solitum, & si perstarent in negligentia, ad judices publicos litem transferre.

Quare manifeste ex istis duobus Canonibus constat, tentasse Clericos paulatim in causis quibuslibet sive a Clericis, vel a Laicis convenirentur, apud solos Ecclesiasticos Judices experiri, & in hoc articulo aliquantulum recedebant a legibus Imperatorum, quæ tam actori, quam accusatori Clericorum liberum permittebant arbitrium eligendi, vel audientiam Episcopalem, vel publicum judicium & forum. Quod & confirmatur *can. 15. & 16. hac Quæst. 1.* in quibus hæc regula statuitur Clericos agentes adversus Laicos, Laicorum forum sequi debere, & vicissim Laicos agentes adversus Clericos Episcopale forum, secundum notissimam utriusque juris regulam, qua definitur actorem sequi forum rei debere.

Ad illustrationem autem *can. 12. & 13.* notandum non tantum servos, sed etiam Originarios & ascripticios; imo & Curiales in Clericos ordinari non potuisse, nec inter Monachos recipi, nisi volentibus dominis, eorumque voluntate specialiter sub scripturæ testimonio declarata, sicut idem Gelasius scribit in *can. 9. 10. & seqq. Dist.* LIV. & constat ex *can. 4.* Concilii Chalced. Alioquin si contra voluntatem dominorum, vel patronorum vel ad Clerum, vel ad Monachismum admissi fuissent, aut etiam ignorantibus dominis, retrahebantur in servitutem veluti servi fugitivi, & restituebantur dominis vel patronis. Eamque in rem notanda *Dist.* LIV. apud Gratianum, & maxime in ea *can. 11. & 20.* qui sunt ejusdem Gelasii, juncto *cap. 1. & 2. extra de servis non ordinandis*; quæ per omnia fere conveniunt cum *legibus 37. & 38. Cod. de Episcopis & Clericis*, juncta *lege 21. & 53. eod. tit.*

AD CANONES 18. 21. 22. 23. 24. 25. ET 31.

SENTENTIA Canonum istorum est, conjurationes & conspirationes insidiantium Clericorum & Monachorum adversus proprium Episcopum & Abbatem, vel alios Conclericos suos aut Monachos, inhibendas omnino esse & damnandas: Clericos vero vel Monachos in tanto crimine deprehensos gradu proprio movendos esse & deponendos. Addit & *canon. 22.* Laicos occasione hujus criminis communione privari; omnesque simul utriusque Ordinis Viros infamia notari, & non solum facientes, sed etiam consentientes eandem subire pœnam.

Conjurationes autem hujusmodi appellat Concilium Chalced. *συνωμοσίας*, quia etiam Sacramento hujusmodi conspirationes & congregationes fulciebantur. Quare recte Zonaras ad *can. 18.* Concil. Chalced. qui in *hac quæstione* refertur ordine 21. conjurationem definit, quoties aliqui inito consilio & societate contracta adversus aliquos, decreverint inter-

ve-

veniente juramento, nunquam se destituros, donec cogitata perfecerint. Quare merito hujusmodi Conspiratores non admittuntur testes adversus eum, cui parant insidias, & quem ex compacto accusant, ut exprimitur in *can.* 31. *hac Quæst.* 1. cujus hæc est sententia. Si quis Clericus Episcopo proprio infestus, aut insidiator fuerit, eumque accusare voluerit, non tantum non admittatur ad accusationem, sed statim a Clero submotos tradatur Curiæ, cui toto vitæ suæ tempore deserviat, & infamis absque ulla restitutionis spe permaneat. Quod a jure civili videtur desumptum, quo servi & liberti a dominorum & patronorum delationibus repelluntur, & in eos testimonium ferre prohibentur, excepto solo crimine majestatis *lege* 2. *de Jure fisci & l.* 6. *Cod. de delationibus lib.* 10.

Sed ut redeamus ad dictos Canones, quibus conjurationes sive conspirationes prohibentur; addunt isti illa etiam crimina legibus externis fuisse prohibita. Per leges externas intelligunt Canones publicas leges Romanorum & civiles, origine repetita ab ipsa lege 12. tabularum, quæ & ex antiquiori lege Solonis desumpta fuit, quam exscribit Gajus in *lege ult. ff. de Collegiis*, in qua cœtus, conventus, fraternitates, congregationes, sive Collegia prohibentur, nequidem religionis causa, nisi publice permissa fuerint. Quod si de re publica fiant hujusmodi conventus, illi qui coeunt, tenentur crimine legis Juliæ majestatis *lege* 1. §. 1. *ff. ad leg. Jul. majest.* Quod si de re alia qualibet cœtus & concursus hominum fiant, turbæ seditionisve faciendæ causa, incidunt in Legem Jul. de vi publica, *lege* 3. *&* 5. *ff. ad legem Jul. de vi publica*.

Notandum postremo quod addit Balsamo ad *can.* 34. Synodi VI. in Trullo, etiam propter aliquam causam bonam coierint & conjuraverint aliqui; cœtus tamen & concursus hujusmodi legibus & canonibus improbari & puniri: tum quia raro accidat, ut pro re aliqua bona aliqui conjurent: tum ne boni alicujus prætextu plures, idemque leviores, incidant in gravissima pericula; maxime vero quod absque publica Principis auctoritate cœtus & commeatus inire non liceat *lege* 1. *ff. de Collegiis.* Ad Illustrationem Canonum, quos explicavimus pertinent multi Canones Concil. Galliæ. *Canon.* 5. Concil. Narbonensis, in quo non Nicænum, ut in contextu scribitur, sed Chalced. Concilium intelligitur, nempe *can.* 18. Concilii Chalced. item Remensis Conc. *can.* 2. Hujusmodi vero conjurationes & conspirationes vel inter Laicos, vel inter Clericos factæ, in Capitularibus Regum nostrorum *Geldoniæ* vocari solent, quas & *Collectas* interpretantur, & alibi *Collectas manus*, *Capitul.* Caroli Magni *lib.* 3. *capit.* 64. *& lib.* 5. *cap.* 130. & in *Capitul.* Caroli Calvi *pag.* 471. *cap.* 14. *Volumus ut Presbyteri & Ministri Comitis villanis præcipiant, ne collectam faciant, quam vulgo geldam vocant, contra illos qui aliquid rapuerint; sed causam suam ad illum Presbyterum referant, qui Episcopi Missus est, & ad illos, qui in illis locis Ministri Comitis super hoc existunt, ut omnia prudenter & rationibus corrigantur.* Et in ejusdem Caroli M. *Capitulis cap.* 12. 9. *Ut Sacramentum pro geldonia non fiet*; idest ut conjuratio non fiat, & ne juramento invicem præstito supra aliquare plures conspirent. Eadem dictio *geldonia* tribuitur congregationibus vel confratriis, quæ vel pietatis prætextu, vel simulatione solent aliquando suscipi. De quibus ita scribit Hincmarus Rhem. Archiepiscopus in *Capitulis*

pitulis ad Presbyteros Parochiæ suæ anno Christi 852. scriptis : ut de Collectis, quas Geldonias vel confratrias vulgo vocant, tantum fiat, quantum ad auctoritatem atque rationem pertinet.

Ad Canones 26. 29. 30. 32. 33. et 34.

CONJUNXIMUS hos Canones, quia Gratianus ex illis nititur probare summam auctoritatem & amplitudinem Jurisdictionis Ecclesiasticæ non tantum in Clericos, sed etiam in Laicos. Qui tamen Canones vel interpolati sunt, ideft quibus admixta sunt quædam falsa; vel etiam falsis auctoribus adscribuntur, & sunt suppositi. Et quidem *Canon* 26. recte habet inscriptum Innocentium I. qui fretus auctoritate Concilii Nicæni constituit, causas & contentiones, quæ vel inter Clericos ordinis cujuscumque, superioris aut inferioris oriuntur, in Synodo provinciali terminandas esse. Verba tamen Canonis ejusque sententia pertinent ad illas appellationum causas; quas occasione excommunicationum, quas Episcopi Diœcesani protulerant, Clerici vel Laici excommunicati apud Synodum provincialem proponebant, ut in ea Synodo discuterentur & examinarentur excommunicationum causæ, utrum Canonicæ & justæ fuissent, vel non. Extat autem hic Canon in *Cod. Ecclesiæ universæ* inter Innocent. I. *decreta ordine* 1. ubi tamen, sicut & in editionibus melioribus, merito deest hæc clausula (*vel inter Clericos & Laicos*) : quod & Correctores Romani animadverterunt.

Canon autem 29. 30. & 32. conjungendi sunt, quod ex eodem fonte emanaverint, nempe ex prima parte vulgatæ & suspectæ epistolæ Clementis ad Jacobum fratrem Domini. Tres autem illi Canones attinent ad Interpretationem *cap. 6. Epistolæ* 1. *ad Corinth.* in qua Paulus Christianos omnes, vel Clericos vel Laicos, quantum valet a litibus deterret, tum multis de causis, tum hac præsertim ratione, quod apud Paganos & infideles necesse haberent litigare, sicut ostendunt hæc verba : *frater cum fratre contendit; & hoc apud infideles*. Et postea eodem loco : *judicia secularia si habueritis: contemptibiles, qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad judicandum*. Itaque merito in *can.* 29. & 30. Petrus inducitur alloquens Clementem, ut ab omni strepitu Judiciorum abstineat, & soli Ecclesiæ vacet. Impietatis enim crimen esse ait, Episcopum, neglectis verbi Dei studiis, sollicitudines suscipere seculares, & de causis pecuniariis judicem sedere. Unde merito notari potest, velut suspectus *Canon* 32. qui nomen præfert ejusdem Clementis, in quo hujusmodi negotia secularia apud Presbyteros Ecclesiæ admonet debere dirimi; non autem apud cognitorem seculi judicari : perinde ac si Paulus Episcopis judicandi Potestatem vel Presbyteris reliquisset. Quin etiam obstant maxime verba Pauli : *contemptibiles, qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad judicandum.* Præterea cum hæc verba Pauli temporale præceptum contineant, conveniens temporibus quibus ipse scriberet; merito ad ea tempora restringenda sunt, nec extendi debent ad tempora, quibus Christiani Magistratus & judices constituti fuerunt. Alioquin omnes omnino Judices & Magistratus abdicandi forent. Quare frustra Gratianus *ad can.* 47. *hac C. & Q.* laborat, ut Clementis locum, quem retulimus, conciliet; Ejusque

que falsam esse interpretationem manifeste convincunt verba, quæ supra retulimus ex eadem epistola: & maxime verba Græca epistolæ Clementis, quæ generaliter loquuntur de omnibus negotiis temporalibus & secularibus. Canon vero 33. qui tribuitur Silvestro, desumptus proponitur ex epilogo Concilii Romani; de cujus Concilii fide & actis merito dubitant viri docti. Nec enim verba semibarbara, nec disciplina temporum illorum patiuntur, ut vel Silvestro, vel ulli Concilio illorum temporum tribuatur ille Canon, quo statuitur ut nullo casu Clerici litigent apud civilem judicem. Nam sicut supra probavimus; Constantini & sequentium Imperatorum constitutionibus inducta fuit illa celebris distinctio, ut in rebus, quæ ad Religionem & fidem, aut disciplinam Ecclesiasticam pertinerent, Episcopi soli cognoscerent tam inter Clericos quam Laicos, cujuscumque dignitatis forent. In reliquis vero negotiis Magistratuum tribunalia omnes omnino Clerici adire tenebantur. Solis Episcopis Constantius primum indulsit, ne coram publicis Magistratibus convenirentur; nisi jussu Imperatoris nominatim Judices delegarentur in causis Episcoporum gravioribus, criminalibus præsertim. Quod plenius docuimus in nostra *præfatione*, & ad *can.* 5. & præterea in *seqq. can.* explicandis probabimus.

Ad Canones 27. et 28.

HI duo Canones habent Ambrosium auctorem, in quibus juxta præceptum & exemplum Salvatoris & Apostolorum, quorum auctoritates in illis referuntur, jubet ut tributa ratione possessionum & prædiorum quæ possidentur ab Ecclesia, præstentur, idest solvantur, itemque census vel capitatio; quæ regulariter omnes Regibus & supremis Potestatibus solvere tenentur propter subjectionem, ut loquitur Apostolus, & conscientiam. Ut enim ait sanctus Ambrosius, si censum Filius Dei solvit, quis tu tantus es, qui non putes esse solvendum? Et hæc de temporalibus.

In his vero, quæ ad fidem & religionem pertinent, insigne & liberum est Magni Ambrosii dictum in *epist. ad Marcellinam Sororem*, cum urgeretur a Valentino II. & Justina ejus matre, quæ favebat Arianis, ut eis traderet Ecclesias. *Allegatur Imperatori licere omnia, ipsius esse universa. Respondeo Noli te gravare, Imperator, ut putes te in ea, quæ divina sunt, Imperiale aliquod jus habere. Noli te extollere: sed si vis diutius imperare, esto Deo subditus.* Et deinde in fine, quod pertinet ad argumentum nostrum. *Si de meis*, inquit, *poesceretur aut fundus, aut domus, aut aurum, aut argentum, id quod mei juris esset, respondi me libenter offerre; templo Dei nihil posse decerpere. Can.* 21. & 22. *Causa* XXIII. *Q.* 8. Et ut loquitur dictus *Canon* 22. *de exterioribus Ecclesiæ. Quod constitutum est antiquitus pro pace & quiete, qua nos tueri & deffensare debent, Imperatoribus est solvendum.* Imperatorum tamen Christianorum Regumque nostrorum liberalitate & munificentia tam Ecclesiasticis & religiosis personis, quam bonis & possessionibus Ecclesiarum immunitates & privilegia plurima concessa fuerunt, ut constat ex *titulis Cod. de Episcopis & Clericis, & de sacrosanctis Ecclesiis*. Hoc amplius æquissimum judicaverunt

verunt Reges nostri in gratiam Parochiarum Rusticarum, ut unicuique Ecclesiæ unus mansus integer absque præstatione census & servitii attribueretur: qui Mansus nomine speciali in *Capitulis* Regum nostrorum dos Ecclesiæ vocatur. Quæ omnia colliguntur ex *can.* 23. 24. *&* 25. *Causa* XXIII. *Q.* 8. *& can.* 40. §. *Novarum* XVI. *Q.* 1. *& cap.* 1. *&* 2. *extra de censibus*. Mansus autem dicebatur certus agri modus cum ædificio ad mansionem in Libris juris. Italis scriptoribus agri massa, *une masse de terre*. Mansus autem ille continebat certam arabilis terræ portionem, quasi jugerum 12. qua de re vide Glossarium legum antiquarum in dictione, *mansus*, & in dictione, *dos Ecclesiæ*, & notas in Capitula Caroli Calvi pag. 23. *&* 24. 99. *&* 100.

AD CANONES 35. 36. ET 37.

TRES istos Canones melius in unicum Canonem conjicerentur: nec enim ullus Canon, sed lex antiqua Constantini Magni, ad honorem & Episcoporum reverentiam pertinens, refertur in *duobus primis Canonibus*: & in 3. *can.* dicta lex Constantini confirmatur per Constitutionem novam Caroli Magni, in cujus *Capitularibus* extat *lib.* 6. *cap.* 281. ubi citatur & refertur recte ex *lib.* 16. *Cod. Theodosiani titulo* 12. & totidem verbis hodie scripta extat in *Cod. Theodos. lib.* 16. *titulo* 12. Et scripta reperitur a Constantino Magno ad Ablavium Præfectum Prætorio. Quare non recte Gratianus in inscriptione *Canonis* 35. eam constitutionem tribuit Theodosio; cujus errorem sequitur Innocentius III. *in celebri capitulo Novit ille qui nihil*, *extra de Judiciis*. Certissimum enim est ex locis supra citatis auctorem esse Constantinum Magnum. Occasionem vero errandi Gratiano dedit, quod lex illa in *can.* 37. dicatur sumpta ex 16. Theodosii Imperat. *libro*. Nam in *Cod. Theodosii*, sicut in *Cod. Justiniani*, non ipsius tantum Justiniani, vel Theodosii constitutiones inseruntur, sed aliorum etiam Imperatorum, qui eos præcesserunt. Et quidem in suum Codicem Theodosius junior, auctor Cod. Theodosiani, retulit Constitutiones Imperatorum præcedentium, & a Constantini Magni Constitutionibus incœpit.

Sententia vero legis Constantini est hujusmodi. In quacumque lite & inter quoslibet, Clericos vel Laicos mota, absque ætatis distinctione, sive majores, sive minores fuerint, in quocumque statu litis, ante vel post litis contestationem: imo etiam si cœperit promi sententia, & alteruter ex litigantibus ad Episcopale judicium provocarit, negotium omne a publico Judice ad Episcopos remittendum est, etiam altera parte contradicente. Tantam autem vim & auctoritatem tribuit Episcopali sententiis, quantam Imperatorum vel Præfectorum Prætorio decretis; adeo ut retractari non possint, sed perpetuo stabilitatis Jure firmentur, earumque sententias a publicis Magistratibus executioni tradi præcipit. Addit & illud eximium privilegium, ut quoties vel unicus Episcopus testis allegatur ab alterutro litigantium, ejus solius testimonium sufficiat; nec alius audiatur, cum semel alicujus Episcopi testimonium ab alterutra parte fuerit repromissum. Et quidem de veritate & fide legis illius Constantini dubitare non sinunt Sozomenus, qui hujus legis sententiam re-

tulit *lib.* 1. *Hist. Eccles. cap.* 9. & Nicephorus Callistus *lib.* 7. *Hist. cap.* 46. Verumtamen magna illa privilegia ipse postea Constantinus & sequentes Imperatores ex parte temperarunt, & ex parte revocaverunt omnino. Et quidem ipse Constantinus constitutione, quam primus edidit doctissimus Sirmondus in *Appendice Cod. Theod. ordine* 17. addidit hoc temperamentum, ut quamvis, altera tantum parte postulante, lis omnis transferri debeat a publicis judiciis ad Episcopalem audientiam; non debere tamen, unico tantum ex litigantibus audito, sententiam proferri: sed, ut loquitur, Episcopus Judex praesentis causae integre debet habere arbitrium, ut omnibus accepto latis pronunties, idest utraque parte audita, & probationibus & rationibus ex utraque parte relatis & discussis, tandem sententiam pronuntiare. Sequentes Imperatores Arcadius & Honorius magna ex parte legem Constantini immutaverunt, ut constat ex *Lege* 7. & 8. *Cod. de Episc. audientia*: quibus duabus legibus decernitur ut communi consensu litigatorum, perinde atque arbitri sponte residentes, de omnium non tantum Clericorum, sed etiam Laicorum negotiis, civilibus duntaxat, judicarent. Nam, ut in integriori *Lege* 8. dicitur, *cum possint privati inter consentientes, etiam judice nesciente, audire; his licere id patimur, quos necessario veneramur*. Quae verba recte explicant, quod dicitur in *Lege* 7. praecedenti, *more arbitri sponte residentis*, idest adeo ut compromisso non foret opus, ut in reliquis Arbitris. Unde sequebatur, ut Episcopi sponte resideant: quia non poterant compelli judicare sicut privati, qui arbitrium ex compromisso partium suscepissent; qui quidem a Magistratibus omnimodo judicare compelluntur *Lege* 3. §. 1. & *Lege* 11. §. 1. *ff. de receptis*.

Notanda sunt etiam verba dictae *Legis* 7. *quod iis etiam obesse non poterit, quos ad praedicti Cognitoris examen conventos potius absuisse, quam sponte venisse constiterit*. Quae ita intelligenda videntur. Sicut Episcopus ex communi consensu litigatorum susceptum Judicium semel potest omittere sponte, nec cogi potest judicare: similiter etiam liceat litigatoribus ab Episcopali judicio impune recedere; adeo ut inter volentes judicem & litigatores totum negotium usque ad sententiam disceptetur. Prolata vero sententia retractari non poterat: sed omnimodo executioni mandari debebat a Magistratibus, eorumque Apparitoribus. Quod & in *dicta Lege* 8. retinetur ex illa antiqua Lege Constantini. Rectissime vero constat, ut notant, hoc singulare in Episcopis, ut non possint cogi iudicare in hoc casu, imo &, ut diximus, absque ullo compromisso possint adiri ex solo consensu partium, nullo vinculo compromissi poenalis interveniente. In quo potiores fuerunt Patriarchis Judaeorum, quos iidem Imperatores in civilibus duntaxat judiciis a Judaeis, sed interveniente compromisso, permiserunt adiri, & judicare inter Judaeos *Lege* 8. *Cod. de Judaeis* & *Lege* 10. *Cod. Theod. de Jurisdictione*, ex qua *dicta lex* 8. desumpta est. Utraque tamen lex in civilibus duntaxat negotiis locum habet exemplo Arbitrorum, quibus comparantur, & in quos de criminalibus negotiis non licet compromittere *Lege* 32. *non distinguemus* §. *Julianus ff. de receptis*.

Observandum tamen Conciliorum praecipue Africanorum Canonibus, quos supra retulimus ad *can.* 4. etiam in causis criminalibus Clericorum Episcopos ex communi consensu judices sumi solitos, nec ab iis licuisse pro-

provocare *can.* 15. Concilii Carthag. Quod tanquam valde ſingulare notavit ad *dictum can.* Balſamo. Notandum etiam illos judices electos, fuiſſe judices Ordinarios, non autem arbitros; nimirum ex communi quidem partium conſenſu electos, ſed tamen auctoritate Concilii datos & confirmatos; ſicut in Jure civili plerumque utriuſque partis conſenſu a Prætoribus & Magiſtratibus judices dabantur *Lege* 18. *ff. de Judiciis*, *Lege* 57. *ff. de re judicata & Lege ex conſenſu ff. de Appellationibus* (in qua recte Contius & Cujacius legunt ſecuti veteres, *citra compromiſſum*, ideſt abſque compromiſſo): a quibus tamen appellari poſſe in dicta lege dicitur; ad differentiam nempe arbitrorum, a quibus non appellatur. Nec enim eorum arbitria ſententiæ nomen & auctoritatem habent; unde nec ex illis naſcitur actio vel exceptio Judicati: ſed ſolo metu pœnæ promiſſæ continentur litigantes *Lege* 2. & 11. §. 2. *ff. de receptis*.

Præterea hoc in Epiſcopis Judicibus ex communi conſenſu ſumptis ſingulare eſt, ut quamvis dicantur ſimiles Arbitris, ab eorum tamen ſententia nec provocari, nec recedi poſſit *dicta Lege* 8. quam in hoc articulo ſequuntur Canones Africani. Quare quod Balſamo notat ad *can.* 99. & 123. *Carthaginenſes, cum jure civili pugnare hos Canones: quoniam a Judicum ex communi conſenſu partium datorum ſententiis appellare liceat dicta Lege ex conſenſu ff. de Appellationibus*, ita diſtinguendum, ut pugnare cum Jure veteri civili intelligantur; non autem cum conſtitutionibus Principum Chriſtianorum, Conſtantini primum, & deinde Arcadii & Honorii, qui hoc privilegium tribuerunt Epiſcoporum ſententiis; ſi tamen ex communi conſenſu partium forent electi judices. Nam ſi altera tantum parte poſtulante electi ſint Epiſcopi, ab eis poterit appellari. Imo etiam ſi a Metropolitano, vel Patriarcha, vel a ſummo Pontifice delegatus fuerit judex, ab ejus ſententia ad eum licuit appellare, qui judicem dederat, ſecundum receptas Juris regulas *dicta Leg. ex conſenſu & Lege* 29. §. 2. *Cod. de Epiſcopali audientia*, & *Novell.* 123. *cap.* 21. *initio*, & *verſiculo ſi tamen*. Quare non recte adjicitur ad *dictam Legem* 8. *authentica ex dicto cap.* 21. quæ ſic incipit, *ſi quis litigantium*: quæ in diverſa ſpecie loquitur, nimirum quoties pars tantum vocat in jus aliquem ad Epiſcopale judicium. Qua de re pluribus dicemus ad *Canones* 38. 39. 40. & 45.

Non ignoramus Valentiniani *Novella de Epiſcopali Judicio* hoc jus immutatum fuiſſe his verbis. *Cum inter Clericos jurgium vertitur, & ipſis litigatoribus convenit; habeat Epiſcopus licentiam judicandi, præeunte tamen vinculo compromiſſi. Quod & de Laicis, ſi conſentiant, permittit auctoritas noſtra. Aliter eos judices eſſe non patimur; niſi voluntas jurgantium, interpoſita conditione, præcedat*. Deſideravit ſcilicet Valentinianus communem conſenſum partium compromiſſo firmari. Sed eam *Novell.* prætermiſit Juſtinianus, & Conſtitutiones Arcadii & Honorii, ideſt dictam *Legem* 7. & 8. prætulit; quæ tamen de ſolis Epiſcopis, non autem de Presbyteris loquuntur, ideoque ad ſolos Epiſcopos reſtringendæ ſunt.

Ex iis quæ dicta ſunt, ſimilitudines & differentias inter dictas illas duas Leges 7. & 8. de Epiſcopali audientia, & inter Canones maxime Africanos colligemus. Dictæ Leges tractant de Epiſcopis more Arbitri reſidentibus; abſque compromiſſo tamen, a quorum ſententiis non appellatur: illud

lud etiam pariter Canones præcipiunt. Leges vero Episcopos velut spontaneos arbitros sedere volunt, nec posse compelli judicare; itemque ab illis ante sententiam latam utrumque vel alterum litigatorum recedere posse definiunt: Canones contra de Episcopis Judicibus Ordinariis, qui judicare tenentur propter auctoritatem Conciliorum, a quibus dabantur judices; sicuti similiter non licebat partibus quæ eos elegerant, recedere ante sententiam latam. Præterea dictæ leges non tantum de causis Clericorum, sed etiam Laicorum loquuntur: Canones de solis causis Clericorum. Leges de civilibus tantum negotiis: Canones etiam de criminalibus negotiis inter Episcopos vel Clericos exortis loquuntur, ut constat ex *can.* a nobis relatis ad *can.* 4. *hoc tit.*

Procedente vero tempore dictæ Leges & Canones non obtinuerunt: Nam sicut notat Balsamo ad *Nomocan.* Photii *tit.* 9. *cap.* 6. dicta *lex* 8. quatenus dicit sententias Episcoporum retractari non posse, in Basilica non fuit relata, & appellationes admissæ sunt ex usu & consuetudine; sicut & Latini Interpretes advertunt, & usus ipse eas deduxit, & inflexit *Novellæ* 113. *caput* 21. ex quo *cap.* desumpta est *authentica*, quæ adscribitur vulgo ad dictam *Legem* 8. In qua etiam fuerunt sententia Juris Canonici Interpretes & ipse Gratianus ad *can.* 33. 11. *Q.* 6. Ex eadem consuetudine & interpretatione Interpretes nostri notant *Canones* 35. 36. & 38. quos explicamus, abiisse in desuetudinem tam circa hunc articulum, quo provocandi facultas denegatur, quam circa reliquos: eamque sententiam summi Pontifices recentiores secuti sunt, ut constat ex celebri specie *capituli* 14. *per tuas de sententia & re judicata*, in cujus specie ab Episcopo qui ex communi partium consensu judex datus fuerat a summo Pontifice, & in quem litigantes usque ad sententiæ pronuntiationem consenserant, appellationem tamen admisit S. Pontifex Innocentius III. Quin etiam summi Pontifices antiquiores illos Canones non omnino videntur probasse; quia derogabant tacite juribus Appellationum ad Sedem Romanam. Qua de re graves aliquando & in Africa controversiæ, & in Gallia inter summ. Pontificem & Episcopos Africanos & Gallos extiterunt. Quæ quæstio proprie pertinent ad tractatum de Appellationibus.

Postrema vero pars dicti Canonis, sive Legis Constantini, qua dicitur unius Episcopi testimonium in qualibet causa sufficere: imo etsi ab aliqua partium unius Episcopi testimonium allegetur, reliquorum testium probationibus præferri, mutavit postea idem Constantinus *Lege Jurisjurandi* 9. *Cod. de testibus*, qua statuitur, ut unius omnino testis responsio non audiatur; etiam si præclaræ Curiæ honore fulgeat, idest etsi sit Senator Rom. vel Constantinopolitanus, ad differentiam Decuriorum, qui in minoribus Curiis municipiorum erant constituti *Lege* 3. *Cod. Theod. de Fide testium & instrumentorum*, ex qua desumpta est *Lex* 9. *Cod. de testibus*. Ideoque Lex prima Constantini in utroque *Cod.* fuit omissa, tanquam abrogata, prælata posteriore ejusdem Constantini Constitutione. Quin imo & Theod. Magnus Episcopos admitti ad testimonium dicendum non decere constituit *Lege* 8. *Cod. Theodo. de fide testium & instrumentorum*, & *Lege* 7. *Cod. de Episcopis & Clericis*, quas Leges exscripsit Gratianus ad *can.* 9. *hac nostra quæst.* & addit præterea ex *Novell.* 123. *cap.* 7. licet Episcopi ad testimonium dicendum compelli non possint, ad eos tamen Judices

dices domum mittere Ministros, qui propositis sacrosanctis Evangeliis eorum testimonium excipiunt. Quare recte Glossa annotat ad dictum *can.* 35. *hac nostra quæstione*, Jure illud mutatum fuisse, ut solius & unius Episcopi testimonium sufficiat: quod confirmat ex *can.* 3. §. *Jurisjurandi* IV. *Q.* 3. qui canon est ipsa *l.* 9. *Cod. de testibus*. Quam etiam sententiam confirmat Innoc. III. in *capite* 23. *extra de testibus*, his verbis: *licet quædam sint causæ, quæ plures duos exigant testes; nulla tamen est causa, quæ unius testimonio quamvis legitimo terminetur*. Quamvis autem dicta Lex Constantini fuerit abrogata, ea tamen Innoc. III. in *celebri cap. novit extra de judiciis* utitur, non ut confirmet legem abrogatam, sed ut ostendat, quantum honoris detulerint Imperatores Episcopis.

AD CANONES 38. 39. 40. ET 45.

CANONUM quidem 38. 39. & 40. auctor est Gregorius I. cum quibus jungendus *can.* 15. *hac* XI. *C. Q.* I. cujus *Canonis* 15. auctor est Pelagius II. Gregorii Decessor. Et hic *Can.* 15. sicut & *Canones* 38. & 39. & *cap* 4. *de foro competenti*, quod ad hanc materiam pertinet, ad Ecclesiæ Rom. Defensores scripti sunt, qui solebant in orbis Christiani varias provincias a summis Pontificibus mitti, non tantum ad patrimonium sancti Petri administrandum, ut loquebantur; sed etiam cum quibusdam mandatis & jurisdictione in Episcopos, qua tamen potestate aliquando abutebantur. Canon vero 45. descriptus est ex *Novell.* 83. Justiniani, saltem ex epitome & ipsis verbis Juliani Antecessoris. Gregorius tamen primus, neglecta dicta *Novell.* 83. *in can.* 38. & 39. sequitur in eadem materia *Novellam* 123. Justiniani, sicut & Pelagius II. ejusdem Greg. I. antecessor; quoniam Justinianus abrogaverat ex parte dictam *Novell.* 83. Observandum enim per id temporis & multis post annis Pontifices Rom. Imperatorum legibus obtemperasse, quibus & ipsi erant subditi: & secundum eorum leges causas Clericorum & Monachorum aut Sanctimonialium tam civiles, quam criminales dirimere consueverant. Quoniam autem Justinianus *Novell.* 79. & 83. ex parte abrogaverat per dictam *Novell.* 123. quam Gregorius sequitur, parum prudenter Gratianus in eodem argumento Gregorium I. qui *Novell.* 123. sequitur, retulit in dictis *Canonibus* 38. & 39. & simul adjunxit *Canonem* 45. ex anteriori *Novell.* 83. quæ fuit abrogata per *Novell.* 123. Sed ut hæc planius intelligantur, ex legibus in *Cod.* Justiniani relatis constat, tam in causis pecuniariis, quam in criminalibus Episcoporum, vel Clericorum, aut Monachorum liberum fuisse Actoribus & accusatoribus apud Episcopos, vel apud publicos judices agere vel accusare. Illud tantum privilegium concessum fuit Clericis, qui sub Constantinopolitano Patriarcha constituti erant, ut apud Præfectum Prætorio Orientis convenirentur. Idemque tributum & Episcopis & Peregrinis Clericis, qui Constantinopoli deprehendebatur. In provinciis vero apud solos Præsides provinciarum, non autem apud Decemviros & defensores, aut alios Magistratus municipales; nec extra provincias a minoribus Magistratibus trahi poterant. Et hæc in negotiis civilibus vel criminalibus: nam in Ecclesiasticis negotiis apud

apud solos Episcopos conveniebantur *Lege* 22. 25. *&* 33. *Cod. de Episcopis & Clericis*, *& Lege* 29. *Cod. de Episcopali audientia*.

Verum Justinianus tribus Novellis jus illud varie commutavit, nempe 79. 83. *&* 123. quæ duas priores in quibusdam immutavit.

Septuagesimæ nonæ hæc est sententia, ut omnes Monachorum & Monialium causæ apud solos Episcopos, aut ex eorum delegatione tractari & judicari possint; per universum orbem Rom. in Monachos & Sanctimoniales publicis judicibus adempta jurisdictione.

Octogesimæ tertiæ vero *Novellæ* sententiam Gratianus retulit in *cap.* 45. non quidem ex veteri Interprete, sed ex epitome Juliani, quibusdam etiam detractis. Integræ vero Novellæ hæc est sententia, ut Clericorum causæ pecuniariæ prius apud Episcopum tractentur. Si vero vel propter causæ naturam, quæ forte obscurior est & implicatior; vel propter litigantium morositatem & contumaciam Episcopus noluerit, aut non potuerit judicare, ad publicos judices redire teneantur. Quod si Episcopus hujusmodi causas suscipiat, sine sumptu & expensis & absque scripto sententiam definitivam proferat, nisi placuerit partibus ut in acta referatur. Si vero de criminibus & communibus delictis agatur, judices publici competentes, nempe in urbe Constantinopolitana Præfectus Prætorio, & in provinciis Præsides provinciarum cognoscent. Antequam vero puniatur Clericus, Sacerdotio, vel Clericatus honore ab Episcopo proprio nudari debet. Quod si delictum Ecclesiasticum fuerit, ab Episcopo proprio & solo examinatio causæ fiet, & pœna secundum Canones infligetur; secularibus Judicibus omni cognitione interdicta in hoc casu.

His duabus Novellis derogatum fuit, *Novella* 123. cujus pars refertur in *can.* 38. *hac Quæst.* qui sumptus est *ex Epistola* 54. *lib.* 11. *Epistolarum Gregorii I.* Integra vero sententia *cap.* 21. *dictæ Novellæ* est hujusmodi, ut si quis in Clericum, vel Monachum, vel Sanctimonialem aut Deo devotam fœminam habeat aliquam actionem, prius adire debeat Episcopum proprium; cujus sententia, si utraque pars acquiescat, executioni mandetur. Male Gratianus addit negationem contra verba Novellæ, & ipsius Epistolæ textum. Quod si quis litigantium intra decem dies contradiceret sententiæ, Præses provinciæ cognoscebat: & si sententiam Episcopi confirmaret, executioni mandabatur, nec secundo appellare licebat. Si vero contrariam Episcopali sententiam tulisset, iterum appellare licebat secundum morem judiciorum. Quod si Episcopus ab initio judicare distulisset, & moras necteret, licebat statim adire Judices seculares. Et hæc in civilibus causis. In criminalibus vero liberum erat accusatori, vel publicum judicem, vel Episcopum adire. Quod si prius adiisset accusator Episcopum, damnatum Clericum Episcopus honore & gradu privabat, si gravius crimen foret secundum Canones; post vero degradationem judex secularis iterum de crimine cognoscere, & pœna legitima punire solebat. Quod si prius accusator Clericum reum peregisset apud Judicem secularem, non tamen pœna statim infligebatur; sed expectanda erat degradatio, quæ ab Episcopo proprio fieri debebat; examinatis antea & discussis actis totius Judicii. Quod si Episcopus non rite prolatam sententiam conquereretur; tunc licebat ei differre degradationem, & interim Reo

Reo sub custodia facto, ad Imperatorem tam ab Episcopo, quam a Judice seculari referebatur, qui super hoc articulo pronuntiaret.

Quod si Ecclesiasticum negotium foret, omnis cognitio secularibus Judicibus interdicebatur, & a solis Episcopis illud negotium terminabitur: quod & perpetuum fuit circa hunc articulum, nec a Christianis Imperatoribus, aut rarissime immutatum. Episcopus itaque proprius competens est Judex Clericorum, Monachorum & Sanctimonialium secundum distinctiones supra allatas; adeo ut interdiceretur omnis cognitio & Jurisdictio in eas personas, etiam ipsis Defensoribus, missis a summo Pontifice, ne confundatur ordo juris ut loquitur *can.* 39. *hac Quæst.* Solebant enim multa in Episcopos Defensores hujusmodi præsumere. Quam in rem elegantes sunt *Canon* 39. & 15. *hac Quæst.* & *Epistola* 32. 33. & 34. *lib.* 9. *Registri* Gregorii I. Sicut autem contra Defensorum usurpationes tuetur Episcopus Gregorius; ita & in *can.* 40. *hac Quæst.* ab usurpationibus Judicum secularium eos defendit.

AD CANONES 48. ET 49.

DESUMPTI sunt hi *Canones* 48. & 49. ex *Capitulis* Hadriani datis Angilramno Episcopo Metensi, quæ extant *tomo* 3. Conciliorum Binii, & *tomo* 2. Conciliorum Galliæ. Et quidem *Canonis* 48. hæc est sententia, sæpius supra explicata, ut tam in causis civilibus quam criminalibus Clerici Rei in foro Episcopi litigarent, non alibi, & similiter Laici Rei apud solos publicos judices, juxta illam regulam juris, qua actor sequitur forum rei. Et hic Canon refert in *Capit.* Regum nostrorum *lib.* 7. *cap.* 25.

Sententia vero *Canonis* 49. est, Clericum non teneri sententia, quam Judex incompetens, v. g. secularis tulerit. Quod confirmatur *cap.* 4. *extra de Judiciis*; adeo ut quamvis apud secularem judicem convictus vel confessus fuerit, non ideo tamen apud Ecclesiasticum judicem sit condemnandus; sed lis de novo erit integranda. Quod etiam ex jure civili repetitum est, nempe ex *Lege ultima Cod. si a non competenti judice*: quam etiam legem exscripsit Gregorius I. *lib.* 9. *Registr. epist.* 54.

AD CANONEM ULTIMUM.

CANONEM ultimum rectissime Glossa explicat, cujus est sententia apertissima, ad quem præter utiles notas Glossæ, adde Cujacium in *paratit. Cod. de Litigiosis*.

AD GRATIANI

CAUSAS XVI. XVII. XVIII. XIX. ET XX.

TRACTATUS

De Statu Regularium.

PRÆFATIO.



UONIAM Gratianus more suo & absque prævia præparatione aggreditur statim tractationem Causarum & Quæstionum, quæ ad Regulares pertinent, confuse sæpius & pro suo arbitrio; operæ pretium visum est aliquid nos de Origine & variis Institutis Eremitarum, Monachorum, Cœnobitarum, Anachoretarum cæterorumque Regularium, tam in Oriente quam in Occidente delibare. Occasionem potius & illustrationem quam veram originem & historiam multi e sanctis Patribus repetunt, sanctus Basilius, sanctus Chrysostomus, maxime vero Lugdunensis Archiepiscopus Eucherius in libello elegantissimo de laude Eremi ad Hilarium, ab Elia, Elisæo & filiis Prophetarum, qui relictis urbibus solitudines & secessus expetebant, & ut eleganter loquitur; *Eremum recte inscriptum Dei nostri templum dixerim, quem certum est habitare in silentio, credendum gaudere secreto; sæpius se illic videndum Sanctis suis præbuit, & conciliante loco, congressum non est aspernatus humanum.* Et paulo post: *Hoc igitur Eremi habitaculum dicam non immerito quandam fidei sedem, virtutis arcam, caritatis sacrarium, pietatis thesaurum, justitiæ promptuarium: sicut enim in magna domo pretiosa quæque clausisse obsignata in remotis habentur; ita magnificentia illa Sanctorum abditorum eremo, quam difficultatibus suis natura obseravit, deponitur intra quoddam conclave deserti, ne conversationis humanæ usu obsolescat.*

Ex Eremo itaque, velut ex celeberrima Christianæ Philosophiæ Schola prima Monasteriorum & Cœnobiorum fluxerunt principia, & incrementa deducta; quorum Principes in Oriente Paulus Thebæus, & Antonius agnoscuntur ab Hieronymo, qui verissime initio vitæ Pauli scribit. *Inter multos sæpe dubitatum est, a quo potissimum Monachorum Eremus habitari cœpta sit. Quidam enim altius repetentes a B. Elia & Joanne sumpsere principium, quorum & Elias plus nobis Propheta fuisse videtur quam Monachus; & Joannes ante prophetare cœpisse quam natus est. Alii autem (in quam etiam opinionem vulgus omne consentit) asserunt Antonium hujus propositi caput: quod ex parte verum est. Non enim tam ipse ante omnes* ... *fuit,*

fuit, quam ab eo omnium incitata fuut studia. *Amathas vero & Macarius, Antonii discipuli, quorum superior corpus Magistri sepelivit, etiam nunc affirmant, Paulum quemdam Thebaeum principem istius rei fuisse. Quod non tam nomine; quam opinione nos quoque comprobamus*. Hilarionem vero Antonii discipulum primum in Syria Monachos instituisse idem sanctus Hieronymus testatur in *Hilarionis vita*, *& in epist. ad Paulinum, de Institutione Monachorum*. *Nos habemus propositi nostri principes Paulos, Antonios, Julianos, Hilariones, Macarios &c.* Et sane origo verior, quam quae a Marco usque Evangelista origo Monachorum, Coenobiorum & Monasteriorum tam hominum, quam foeminarum repetitur: cujus commenti primus auctor Eusebius *lib. 2. Hist. Eccles. cap.* 16. deceptus Philonis libro *de Vita Contemplat.* quem de Monachis Christianis scriptum putavit; eumque plerique veteres & novi secuti sunt. Quamvis manifeste & ex ipso Philone tam in dicto tractatu quam in aliis, & ex Josepho constet Philonem scripsisse de secta Essaeorum inter Judaeos, qui etiam apud Judaeos ipsos & seorsim sacrificabant in locis, in quibus consistebant. Quod & ipse Eusebius *lib. 8. de praeparatione Evangelica* retractavit; nempe *Essaeos Judaeos, & vitae genus austerius sectatos fuisse, & a reliquis secessisse*. Decepit Eusebium, quod scripserit in eo tractatu Philo, *Essaeos Monasteria habuisse, & vitam communem coluisse, & pleraque similia habuisse*, quae postea Monachi Christiani servaverunt. Quod perspicax Photius viderat *Cod.* 101. *Bibliothecae*, Essaeos sectam fuisse Philosophorum Judaeorum, qui vel colebant vitam communem & practicam, & erant Coenobitae; vel theoreticam sive contemplativam; *quos*, ait, *nostrorum Monachorum conversationis quamdam formam praesignificasse*.

Sed & haec obscuriora sunt principia. Vera quae diximus. A Paulo, Antonio, & Antonii discipulis, Hilarione, Macario, Pachomio & Orsiesio fundamenta Monasteriorum jacta; & a tribus postremis primum regula tradita & conscripta. Postea mirum in modum per universum Orientem vita Monastica propagata, & dispersa fuit usque ad Basilium, qui ubi primum Anachoreticam vitam coluisset in Ponti solitudinibus, tandem transtulit in urbes Monasteria, & sanctissimis regulis fundavit & firmavit, ut pluribus in ejus vita individuus comes Basilii Gregorius Nazianzenus. De hujusmodi variis institutionibus & Coloniis Monasticis non tantum per Aegyptum, Palestinam & Syriam, sed etiam per universum Orientem, Scriptores Ecclesiasticos praeter Eusebium, quem supra citavimus, praestabit adire Socratem *lib. 4. Historiae Ecclesiasticae cap.* 18. 19. 20. 21. Theodoretum *ejusdem Hist. lib.* 4. *cap.* 24. 25. 26. & Sozomenum *lib.* 3. *cap.* 13. *& lib. 6. cap.* 28. 29. *usque ad cap.* 35. ex quibus fere omnia delumpsit Nicephorus Callistus *lib.* 2. *Hist. Eccles. cap.* 15. *&* 16. Et iterum plenius *lib.* 8. *cap.* 39. 40. *&* 41. *& lib.* 11. *cap.* 34. *usque ad capitulum* 44. Extat & ex professo Palladii Historia Eccles. Monachorum Lausiaca, & Theodoreti Historia Religiosa Graece & Latine, & volumen integrum inscriptum, *vita Patrum*, cum Commentario doctissimi Rosvei.

Quod pertinet ad Occidentem, observandus locus Sozomeni, qui sub Theodosio juniore vixit in fine *cap.* 13. *lib.* 3. *Hist. Eccles.* apud Thracas,

cas, Illyricos & cæteros Europæ populos tardius vitam Cœnobiticam & & Monasticam innotuisse, eamque primum Martinum intulisse in Occidentem, Sarbaria Pannoniæ Oppido oriundum. Educatus tamen fuerat Ticini & institutus, ut ait Sulpitius Severus. Et quidem primum Monasterium constituit prope Mediolanum, Auxentio Ariano Episcopo Sedem tenente Mediolanensem, eodemque Arianorum Principe, a quo vexatus & cæsus, secessit in Gallinariam Insulam. Postea Hilarium secutus Galliæ redditum, apud Pictavos secundum Monasterium ædificavit, & postea electus Turonensis Episcopus, duo celebria Monasteria ibi constituit.

Ab iis initiis mire propagari cæpit vita Monastica vel per Occidentales Monachos; qui a Martino profecti, vel in Oriente instituti, in varias Europæ partes pietatis semina diffuderunt, quorum plerique ab initio in Sylvis & in Insulis remotis sedes figebant. Inde nota Monasteria Insularum per Italiam & Galliam scriptis Patrum. Et in Italia quidem celebris Gorgon & Capraria, de qua Rutilius Numantianus in *Itinerario lib.* 1.

Processu Pelagi, jam se Capraria tollit,
Squallet Lucifugis Insula plena viris.
Ipsi se Monachos Græco cognomine dicunt,
Quod soli nullo vivere teste volunt.

Majoris pietatis sensu de sanctis Patribus Italiæ Monachis antiquioribus scripsit Gregorius Magnus in *dialogis*.

Quod ad Galliam pertinet, Martinum I. Monasteria diximus construxisse ex Sozomeno: quod & apertius elegantiusque Sulpitius Martini discipulus tractavit ex professo *lib. singulari de vita Martini cap.* 4. 5. 6. & 7.

Cœnobiticæ itaque institutionis gratiam debet universus Occidens Martino Archiepiscopo nostro. Postea vero ab iis initiis Lerinense Monasterium in Lerino insula celeberrimum extitit, cujus conditor & auctor Honoratus circa annum 375. institutus ipse a sene Caprasio, Orientalium Monachorum disciplinis apprime instituto: quibus non contentus Honoratus, & ipse experimentis, quæ semel didicerat, confirmare voluit, susceptis in Orientem peregrinationibus. In Stœchadibus Insulis tribus Massiliæ vicinis frequentissima etiam eodem tempore Monasteria memorat Joannes Cassianus, qui & ipse Massiliæ & in vicinis locis Monasteria virorum & fœminarum instituit, & de Institutionibus Renuntiantium elegantissimos Libros conscripsit. Sidonius Apollinaris *lib.* 4. *epist.* 25. & *lib.* 7. *epist.* 17. suo tempore Lerinensia, Jurensia & Grinincensia Monasteria nominat, quæ postrema, nempe Grinincensia, ut & alia præterea multa, in Viennensi Provincia posita refert Auctor vitæ sancti Clari cap. 2. Jurensia vero in Monte Jura; ubi civitas, quæ Burgundiam ab Helvetia separat, a Scriptoribus passim celebratur; quorum quidem auctores primi memorantur Romanus & Lupicinus, & eorum successor sanctus Eugendus, qui Monasteriis illis præfuerunt, & regulas ac instituta; præcipue vero Eugendus tradiderunt: ex cujus vita, quæ ab ejus discipulo scripta est in *cap.* 14. hæc notanda sunt. *Iste etiam* (Eugendus) *refutato Archimandritarum more, utilius omnes univit in medium. Destructis namque mansionum ædiculis uno cunctos secum Xenodochio quiescere fecit;* *ut*

ut quos causa unita refectionis una claudebat ædicula, discretis quoque lectulis una ambiret mansio. Recenset postea omnem conversationem Cœnobiticam & institutiones ejus, eamque ita concludit. *Inter hæc autem omnia omnibus adempta proprietatis causa solum legere licuit, aut orare.* Et sub finem agens de variis regulis Patrum. *Sic namque quod non omnino illa, quæ quondam Sanctus & præcipuus Basilius Cappadociæ urbis Antistes, vel ea, quæ Sancti Lerinensium Patres, Sanctus quoque Pachomius Syrorum priscus Abbas, vel illa, quæ recentior venerabilis edidit Cassianus, fastidiosa præsumptione calcemus: sed ea quotidie lectitantes, ista pro puritate loci & instantia laboris inducta potius, quam Orientalium perficere affectamus; quia procul dubio efficacius hæc faciliusque natura, vel infirmitas exequitur Gallicana &c.* In eodem Burgundiæ regno plura licet observare antiquissima Monasteria, velut Antissiodorense sub Germano Episcopo Antissiodorensi; sancti Joannis Reomaensis in Episcopatu Lingonensi in territorio Tornodorensi sub Clodoveo I. Et circa eadem tempora sancti Sequani, Joannis Reomaensis discipuli in pago Segestrensi, & sancti Benigni. Divionensis, cujus primus Abbas Eustasius. Ex prædicti vero Joannis Reomaensis vita, quam scripsit Jonas sancti Columbani discipulus in *lib.* 1. *cap.* 3. hæc verba notanda. *Eum Monasteria Galliæ perlustrasse, ut ex singulis optima quæque præcepta & regulas seligeret, & suis Monachis imitandas & servandas proponeret.* Et in *cap.* 7. *Macarii regulam suis tradere cœpisse.* Circa eadem tempora apud Aurelianos Eusipicius Viridunensis Archipresbyter, adjuvante Clodoveo primo, celebre Monasterium fundavit in agro Miciacensi; cui postea ex ejus successore sancto Maximino nomen impositum fuit, Aimoinus *cap.* 1. *cap.* 17. Possemus ei addere Luxoviense a sancto Columbano Hiberno Monacho fundatum sub Sigeberto I. qui & Bobiense in Italia profugus fundavit; cujus discipulus sanctus Gallus celeberrimum apud Helvetios Monasterium instituit. Hæc sufficiant ad comprobandam & antiquitatem & pietatem majorum nostrorum circa Religiosarum domuum liberalitatem & ædificationem.

Observandum vero ex locis supra relatis, primos illos Monasteriorum fundatores in Occidente suas institutiones & regulas partim ab Orientalibus Monasteriis repetiisse, partim etiam singulos Abbates pro modo ingenii, doctrinæ & peritiæ propriæ conscripsisse varias regulas; promptiores aliquando propriorum inventorum custodiam exigere, quam examinatam majorum servare doctrinam. Qua de re conqueritur Cassianus *lib.* 2. *cap.* 3. *sub finem*, longe aliter quam per universam Ægyptum & Thebaidem, ubi ait; *Monasteria non pro uniuscujusque renuntiantis instituuntur arbitrio, sed per successiones ac traditiones majorum usque in hodiernum diem vel permanent; vel permansura fundantur.* Rectissime tamen idem Cassianus in *fine præfat.* hoc temperamentum subjicit. *Ut ea quæ secundum Ægyptiorum regulam, vel pro asperitate aerum, seu pro difficultate ac diversitate morum, impossibilia in his regionibus, vel dura & ardua comprobavero in institutis Monasteriorum, quæ per Palestinam vel Mesopotamiam habentur, aliquatenus temperem; quia si rationabilis possibilium mensura servetur eadem, observantiæ perfectæ est etiam in impari facultate.* Quod non tantum circa habitum, vestitum & victum servari debere idem vir elegantissimus observat *lib.* 1. *cap.* 3. *hac addita ratione, quia omnis summa*

ma nostri vestitus non in novitate habitus, qui possit offendiculum hominibus hujus sæculi inferre, sed in honesta utilitate consistere debet. Sed etiam in orandi & psallendi modo temperandum esse docet *lib.* 2. *cap.* 5. & id debere statui ait, *quod generaliter plenitudini fratrum sit possibile, in qua necesse infirmorum quoque partem maximam reperiri*. Non valde dissimilia scribit Cassiano paulo antiquior Sulpitius Severus in Dialogis, in quibus Orientales Monachos cum Occidentalibus comparat.

Non immerito post Pachomii, Basilii & Hieronymi varia scripta super institutis & vita Monachorum, de quibus diximus, & quæ ipse Cassianus in præfatione Librorum suorum commemorat, Cassianum ipsum annumerabimus, cujus scripta antiqui fere omnes Monasteriorum Conditores, veteres & novi; potissimum vero, circa sæculum quintum sanctus Benedictus, accuratissime perlegerunt, & pleraque desumpserunt. Nec tamen omittemus, quæ vulgo tribuuntur Regulæ Monachorum Hieronymo & Augustino, non ab illis fuisse scriptas, sed tantum quædam ex eorum scriptis decerpta fuisse. Nam & Lovanienses Doctores inter supposititia scripta numerant: etsi verum amamus, desumpta fuit illa magna parte ex *epist.* 109. ejusdem sancti Augustini, in qua formam & modum vivendi Sanctimonialibus præscribit.

Sequitur ut de diversis speciebus Monachorum tractemus, de quibus in hoc toto tractatu sæpius fiet mentio. Et quidem si præter supra citatos Hist. Eccles. Scriptores, consulamus S. Hieronymum *epist* 22. Sulpitium Severum in *Dialogis*, Cassianum *Collatione* 18. & S. Benedictum in 1. *cap. regulæ;* ex quibus omnes reliqui hauserunt, in quatuor genera dividemus.

Primum genus est eorum, qui in unum conveniunt, & vitam communem colunt sub Abbatibus & Præpositis & sub certa regula, nihil habentes proprium: qui & Cœnobitæ & Synoditæ vocari solent.

Secundum genus est eorum, qui contemplationis & majoris causa perfectionis vitam singularem in Eremo & secretioribus locis ab omni humana communione remoti degunt; unde Anachoretæ, *ησυχασται*, εγκλεισται: recentiores Latini vocant Inclusos & Reclusos; qui quidem de Cœnobitarum numero profecti, desiderio sublimioris profectus contemplationisque divinæ; solitudines sectantur, eamque vitam, non temere nec proprio arbitrio, sed Episcoporum & Abbatum suorum accedente consensu amplectuntur: Anachoretæ ut loquitur Cassianus, idest *Secessores* nuncupati, eo quod nequaquam contenti victoria, qua inter homines occultas insidias diaboli caverint, aperto certamine & manifesto conflictu dæmonibus congredi cupientes, vastos Eremi recessus penetrare non timent. Et ut sanctus Benedictus loquitur eleganter, *qui non conversationis fervore novitio, sed Monasterii probatione diurna didicerint contra diabolum, multorum solatio jam docti, pugnare, & bene instructi fraterna ex acie ad singularem pugnam Eremi, securi jam sine alterius consolatione, sola manu vel brachio contra vitia carnis vel cogitationum, Deo auxiliante sufficiunt pugnare*.

Tertium genus est eorum, qui nulla regula approbati, fugientes obedientiam, Abbates & regulam; bini, terni, aut quaterni habitabant; & partem laboris aut bonorum in commune conferebant, partem subducebant

cebant & recondebant: quos his verbis eleganter cum veris Cœnobitis comparat, & distinguit Cassianus *Collat.* 18. *cap.* 17. „ Illi nihil de crastino cogitantes, gratissimo Deo sudoris sui offerunt fructus; isti vero non „ solum in crastinum, sed etiam in multorum annorum spatia infidelem „ sollicitudinem prorogantes, aut mendacem Deum (ignoscat ipse nobis) „ aut inopem credunt, qui promissam quotidiani victus atque indumentorum „ sufficientiam præbere eis, aut non possit, aut nolit. Illi hoc omnibus „ expetunt votis, ut ἀκτημοσύνην, idest nuditatem omnium rerum paupertatemque „ possideant; isti ut omnium copiarum affluentiam consequantur. „ Illi ob hoc certatim statutum transcendere Canonem firmis & diurnis „ operibus elaborant, ut quicquid Monasterii sanctis usibus redundaret, „ vel Carceribus, vel Xenodochio, vel Nosochomio, vel indigentibus „ pro Abbatis dispensetur arbitrio: isti ut quicquid quotidianæ superfuerit „ gulæ, aut profusiori proficiat voluptati, aut certe Phylargyriæ vitio „ recondatur „. Quos Sarabaitas vocatos ajunt Ægypticæ linguæ proprietate: quoniam ut ait Cassianus, semetipsos a Cœnobiorum congregationibus sequestrarent, ac singillatim suas curarent necessitates.

Quartum genus est eorum, qui vocantur Gyrovagi, qui Anachoretarum similitudine sibi blandientes, vitæ monasticæ regulam, humilitatis ac potentiæ jugum & imperium seniorum subire dedignantur, sed expetunt separatas. Cellas, & solitarii sedere desiderant, ut a nemine lacessiti, patientes, mansueti & humiles possint ab hominibus æstimari; ideoque vocati Gyrovagi & Circumcelliones, quia ut ait sanctus Augustinus in *Psal.* 132. *circum Cellas vagantur: solent enim ire hac atque illac, nusquam habentes sedes*. Et plenius in *lib. de opere Monachorum cap.* 28. „ Tam multos hypocritas sub habitu Monachorum usquequaque dispersos, „ humani generis circumeuntes provincias, nusquam missos, nusquam fixos, „ nusquam stantes, nusquam sedentes. Alii membra Martyrum (si tamen „ Martyrum) venditantes. Alii fimbrias & ephilacteria sua magnificant. „ Alii parentes vel consanguineos suos in illa vel illa regione se audivisse „ vivere, & ad eos pergere mentiuntur, & ab omnibus petunt, omnes „ exigunt aut sumptus lucrosæ egestatis, aut simulatæ sanctitatis; cum „ interea ubicumque in factis suis malis deprehensi fuerint, vel quoquomodo „ innotuerint, sub generali nomine Monachorum vestrum propositum „ blasphemantur, tam bonum, tam sanctum, quod in Christi nomine „ cupimus, ut per alias terras, sic per totam Africam pullulare „. Isidorus vero Hispalensis sex genera Monachorum refert *lib.* 2. *de divinis Officiis cap.* 4. quæ & ad illa quatuor reduci possunt. Nam Circumcelliones eosdem esse cum Gyrovagis verius est: & Eremitæ iidem sunt cum Anachoretis; loco potius quam vitæ genere distincti; quos Latini nostri Inclusos & Reclusos vocant, qui olim in Occidente frequentes fuerunt, ut constat tam ex dialogis Gregorii Magni Papæ, quam Greg. Turonensis, Vitis Patrum, aliisque Scriptoribus,

Duplicis vero generis erant hujusmodi Eremitæ. Vel enim post longa sanctioris vitæ experimenta in Monasteria prodita, permissu Episcopi & Abbatis in aliqua Cellula, in ipso Monasterio includebantur, vel seorsim in cella a Monasterio separata degebant; & utrique de Monasteriis, in quibus manserant, ad victum necessaria suppeditabantur: qui quidem ab omni

omni habitu & conversatione & hominum & Monachorum secreti vivebant. De his notandus 22. *Canon* Concilii Aurelianensis primi, & *Canon* 12. Concilii Francfordiensis sub Carolo Magno his verbis. *Ut Reclusi non fiant, nisi quos ante Episcopus provinciæ atque Abbas comprobaverint, & secundum eorum dispositionem in Reclusionis locum ingrediantur.* Et ut sæpius supra diximus, ἐγκλειστοι, κιονιται, idest Columnarii, notissimi in Hist. Eccles. tam apud Græcos Scriptores Historiæ Eccles. quam apud S. Chrysostomum, Theodoretum, Palladium & reliquos; de quibus plenissime agitur in Synodi VI. in Trullo *can.* 41. Vide Zonaram & Balsamonem. Et in *can.* 42. ejusdem Synodi condemnantur Circumcelliones & Gyrovagi quidam Eremitæ, qui nullo vitæ religiosæ experimento comprobati, circumcursabant, quos jubet Synodus tonderi, & reliquorum Monachorum habitum & tonsuram suscipere.

Ex iis itaque colligimus duas tantum Monachorum species veras & usitatas recenseri Cœnobitas, qui in communi vivunt sub Abbate & Regula; nihil proprium habentes; & Anachoretæ, qui post probationem plurium annorum Episcopi & Abbatis consensu vitam solitariam, ut diximus, amplectuntur. Reliquæ duæ species reprobantur & rejiciuntur, nempe Sarabaitarum & ut diximus, Gyrovagorum. Unde sicut in Canonibus, ita & in Legibus Imperatorum Christianorum duæ tantum species Monachorum memorantur, Cœnobitarum, quos & Synoditas appellant; & Anachoretarum *L.* 57. *Cod.* Theod. de Appellationibus, *Lege* 16. & 57. *eodem Cod. de pœnis, & in Lege 6. Cod. de Episcopali audientia & in Lege 52. Cod. de Episc. & Clericis*, in qua separantur Monachi a Clericis, & notantur Divagantes Monachi. Item in *L.* 43. *raptores eodem tit.* Monasterii vel Asceterii fit mentio, non distinctionis, sed explicationis causa; sicut Ascetæ & Monachi pro iisdem appellantur passim; & ασκησις, & μοναστικη, πολιτεια, sive φιλοσοφια, permixtim sumitur. Unde in *Novella* Majoriani *de Sanctimonialibus*, Monachismus vocatur *observatio Philosophiam religiosam suscipiens*. In *tit.* vero 3. *lib.* 16. *Cod. Theod. L.* 1. Omnes omnino Monachi ab urbibus facescere jubebantur: quod tamen eis postea remissum *Lege* 2. *eodem tit.* Proprium enim est Monachorum captare secreta & solitudines *Lege* 26. *Cod. de decurionibus*. Unde vulgatum illud sancti Hieronymi. *Quid facit Monachus in urbibus?* Primum autem S. Basilium de solitudine Monachos in urbes deduxisse, & Anachoretas cum Cœnobitis conjunxisse, *in ejus vita* scribit S. Greg. Nazianz. *Cum igitur solitaria vita, & ea quæ societate gaudet, ut plurimum inter se dissiderent ac pugnarent, neutraque omnino vel commoda vel incommoda sua plura & non permixta haberet; verum illa quidem magis tranquilla & composita esset, ac Deo animos copularet; cæterum ob eam causam fastu non careret, quod virtus non exploraretur, nec in comparationem venirent; hæc autem* (idest Cœnobitica) *magis quidem actuosa & utilis esset, verum a tumultibus minus libera: præclare eos inter se reconciliavit ac permiscuit, pietatis Asceteria & Monasteria extruens, non longo tamen intervallo ab iis, qui in sodalitio vivunt, remota, nec velut muro quodam interjecto ea distinguens, atque a se invicem separans; verum prope conjungens, ut nec contemplatio communicationis indigeret, neque vita Cœnobitica contemplationis: sed quemadmodum terra & mare, ita etiam hæ duæ vitæ commoda sua inter se communi-*

municantes, ad unicam Dei gloriam concurrerent. Quod & ante sanctum Basilium præstitisse sanctum Athanasium scribit idem Gregorius *Orat.* 21. Denique hunc Tractatum concludere possumus verbis Cassiani *Collat.* 18. *cap.* 7. in fine: *Hodie Cœnobiorum disciplinam, qualem apud veteres viguisse scripsimus, rarissimam occurrere; Anachoretarum vero apud pios vix nomen auditum. Distant enim plurimum ab Anachoretis, qui vulgo nomen Eremitarum affectant, absque ulla probatione & experimento religiosæ vitæ; sed potius adscribendi sunt Gyrovagis & Circumcellionibus.*

AD QUÆSTIONEM I.

Causa decimasexta.

IN explicatione hujus quæstionis, quæ latissime diffunditur (continet enim 68. Canones) ita procedemus, ut primo Gratiani methodum aperiamus. Et quoniam interest plurimum singulorum auctores Canonum & tempora scrutari, quos sæpissime Gratianus absque ullo delectu congerit, singulos Canones ad suas origines revocabimus, quantum licebit; hoc scilicet ordine, ut primo annotemus quæ ex Conciliis generalibus vel particularibus desumpta sunt. Secundo quæ ex Summorum Pontificum Decretis. Tertio quæ ex Scriptis Patrum. Quarto quæ ex Legibus. Postremo apocrypha, idest quæ vel dubiæ sunt fidei, vel quorum Auctores incerti sunt & falsi. Quibus breviter præmissis, in singulis quæstionibus excutiendis ad Gratiani ordinem & methodum revertemur, adhibita etiam obscuriorum Canonum interpretatione.

Gratianus more solito proponit facti cujusdam fictam narrationem, quam vocat *Causam*, *controversiam*, sive *thema*, in quo septem quæstiones vel articulos difficiles includit; & ad faciliorem singulorum interpretationem septem. Quæstiones separatim subjicit, & examinat, hac methodo ac forma, ut singulis in utramque partem disputatis, & relatis integris capitibus Canonum & locis Patrum, quod sibi probabilius videatur, decidit; illamque decisionem pluribus locis & Canonibus allatis confirmat, & quod in contrarium attulerit, qua valet arte & industria, resolvit.

Antequam vero hujus *Quæst.* 1. tractatum aggrediamur, & singulorum Canonum interpretationes attingamus; maximi momenti videtur esse & prope necessarium, breviter indicare Auctores, fontes & origines singulorum Canonum, non quidem secundum ordinem, quo referuntur singuli, sed secundum eam, quam diximus seriem; ita ut primum locum Conciliis; secundum Decretis Summorum Pontificum; tertium Scriptis Patrum; quartum Legibus Imperatorum tribuamus. In ultimum ordinem rejiciemus Canones incertos & dubiæ fidei, v. g. qui ex apocryphis Scriptoribus & incertis Auctoribus desumpti fuerunt, & in singulis ordinibus temporum seriem sequemur.

Ex Conciliis generalibus sumpti sunt *Canons* 12. & 16. ex Concilio Chalced. sub Martiano Imperat. & Leone Magno anno Christi 451. *Canon* 64. ex Concil. VII. *Can.* 4. sub Constantino & Irene & Hadriano I. an. 787.

Ex particularibus vero Conciliis desumptus *Canon* 33. Ex Concilio Agathensi sub Alarico an. 506. *Can.* 35. ex Taraconensi an. 507. *Can.* 34. ex Ilerdensi an. 524. *Canon* 43. quod Cabilonensi Concilio, & 46. quod Moguntinensi Gratianus tribuit. Extat hodie *Canon* 43. in Arelatensi VI. *Can.* 20. an. 813. & iisdem verbis repetitur in Moguntino sub Arnulpho an. 888. & *Canon* 46. extat in Cabilonensi *Can.* 19. sub Carolo Magno an. 83. *Canon* 16. ex Concil. Triburiensi sub Arnulpho an. 895. & *Canon* 44. ex quodam Concilio Vormaciensi *Can.* 6. ut refert Burchardus Vormaciensis Episcopus. Ignotum nobis, quo tempore convocatum.

Plures vero Canones hujus Quæst. ex decretis Summorum Pontificum fuerunt quidem desumpti, quos similiter ordine temporum connectemus: *Canon* 29. ex Siricio: *Can.* 3. ex Innoc. I. *Canon* 19. ex Leone I. *Canon* 15. 28. & 31. ex Gelasio; non alcripto primo an. 2. itidem *Canon* 18. & 20. Pelagio I. vel II. nec enim de eo constat. Plures vero Canones, nempe 2. 12. 14. 32. 37. 38. & 48. ascribuntur Greg. I. *Can.* 25. Bonifacio IV. Canon 23. & 24. Greg. quidem Papæ, sed recentiori tribuendi videntur: *Canon* 11. Alexandro II. *Canon* 9. & 47. Paschali II. *Canon* 10. Callisto II. *Canon* vero 22. qui tribuitur Innocentio, si propius inspiciamus rem & verba, Innocentio II. tribuendus est; & *Canon* 8. videtur pariter Eugenii II. quamvis numerus non sit ascriptus.

Ex scriptis vero Patrum *Canon.* 4. 5. 6. 7. 26. & 27. ex sancti Hieronymi Libris desumpti sunt; *Canon.* vero 30. & 36. ex sancto Augustino.

Ex apocryphis vero & dubiæ auctoritatis Scriptoribus sumpti fuerunt *canon* 1. quem falso Gratianus existimaverat desumptum ex Concil. I. Oecumenico; & ideo honoris causa statim in limine hujus Quæst. præposuerat: quamvis nec in Concil. Nicæno I. nec in II. reperiatur. Item *canon* 21. falso tribuitur sancto Ambrosio; sicut & *canon* 41. Clementis I. suppositis epistolis, & *canon ult.* falso sancto Hieronymo tribuitur; ut Correctores Romani notaverunt.

Ex Legibus vero Imperatorum retulit *canonem* 48. & hodie extat in *Cod. de Episc. & Clericis Lege* 52. quæ male tribuitur Leoni & Gratiano, cum sit Justiniani, & ad eundem Canonem aliarum legum auctoritatem citat Gratianus.

Hactenus Auctores Canonum hujus Quæst. 1. recensuimus usque ad *canonem* 48. a quo usque ad finem hujus Quæst. diversi argumenti Canones proponuntur, quorum explicationem omittemus, duobus exceptis 64. & *ult.* in quibus aliquid de Monachis inseritur. Universam vero Quæst. Gratianus in sex partes dividit, quas singillatim suis locis interpretabimur. Prima pars incipit a *can.* 1. usque ad *can.* 21. in qua prima parte quæritur, utrum Monachis liceat populis Officia celebrare, pœnitentiam dare, & baptizare. Et quidem *duodecim primis Canonibus*, quos ipse refert, significare videtur Gratianus non posse Monachos Ecclesiis Parœcialibus præfici: ad finem vero *canonis* 12. solutionem hanc affert ad *can.* 1. prohiberi quidem Monachos de Monasteriis exire, & more Clericorum ad exequias cujuslibet celebrandas concurrere & confluere; cæterum si apud Monasterium aliquis elegerit sepulturæ locum, non esse prohibendum. Quod confirmat *can.* 13. 14. & 15. Canonis vero 16. & 18. longe alia est sententia, quam arbitretur Gratianus. In *can.* vero 19. ad reliquos Canones,

nes, qui obstare videbantur, hac distinctione adhibita respondet. *Quamvis Monachi in dedicatione sui Presbyteratus, idest quando Presbyteri ordinantur, sicut & cæteri Presbyteri, baptizandi, prædicandi, pœnitentiam dandi, peccata remittendi, &c. vim & potestatem accipiant, ut amplius & perfectius agant ea, quæ sacerdotalis sunt officii; illius tamen potestatis executionem, exercitium & administrationem non habent, nisi a populo fuerint electi, & ab Episcopo cum consensu Abbatis ordinati.* Subdit vero, quod maxime notandum: *Ecclesiasticas atque sæculares actiones attingere prohibentur, ut non præsumant sibi causarum patrocinia, nisi ab Episcopo commoniti fuerint; nec sæcularibus causis occupentur, ut resideant cognitores litium dirimendarum.* Quod confirmat *can.* 20. cujus explicationem infra proponemus.

In secunda vero parte a *can.* 21. usque ad *can.* 37. pluribus Canonibus probare nititur, Monachos officiorum Clericalium administrandorum & habere potestatem, & exercere posse; itemque quales ex Monachis, quibus conditionibus, & quibus ex causis ad hujusmodi officia Clericalia debeant assumi, accedente tamen prius, ut diximus, Episcopi & Abbatis consensu. Et hæc usque ad *can.* 37. Quod & pluribus auctoritatibus confirmat ad *can.* 39. & 40. ubi hanc distinctionem affert. Si Monachus, quatenus est Monachus tantum, simpliciter consideretur, & nullis ordinibus decoratus, ei non licet ea tractare, quæ sunt Clericorum: si vero Monachus ad ordines promotus, in Clericalem militiam fuerit ascriptus; tunc quoniam ut verus Clericus spectatur, ea quæ sunt Clericorum peragere poterit. Nec enim aliud in eorum consecratione perficitur, quam in aliorum, qui non sunt Monachi. Concludit vero in notis ad *can.* 40. in fine, absque Episcoporum licentia non solum Monachis, sed etiam omnibus Clericis generaliter potestatis interdici executionem. Qua in re, ut deinde dicemus, potius spectavit ad usum suorum temporum, quam ad tempus & disciplinam Ecclesiæ quæ obtinebat, quando Canones quos ipse refert promulgati fuerunt.

Extra ordinem tamen ait, Monachos etiam nec promotos ad Ordines, aliquando divina gratia intus commonitos, idest Spiritu sancto inspirante, docendi munus assumpsisse. Quod exemplis Equitii & sancti Benedicti confirmat, qui prædicandi & docendi munus, cum tantum essent Monachi, aliquando sumpserunt, ut constat ex *dialogis* S. Gregorii. Quod vero notat ad *dictum can.* 39. ex Historia Eccles. usque ad tempus Eusebii, Zosimi & Siricii (prior hic, ille posterior ætate) Monachos simpliciter & non Clericos fuisse (quam in rem utitur auctoritate sancti Hieronymi) explicatione indiget. Quamvis autem Monachi fuerint consecrati, non poterant tamen a primo proposito recedere, ut idem Gratianus notat ad *can.* 39. ex auctoritate *can.* 3. *hac Quæst.* Et hæc est brevis summa eorum, quæ in 1. 2. & 3. parte hujus Quæstionis proponuntur; ad quorum intellectum necessaria est progressus istius Juris planior explicatio,

Observavit recte Gratianus Monachos ad Clericalia munera & officia non posse admitti, nisi prius in Clerum asciti fuissent. Sunt enim diversa proposita & vivendi instituta Monachatus atque Clericatus. Clericus constitutus est ad præsidendum, regendum & deserviendum Ecclesiæ &

omnibus fidelibus : Monachi vero ad obediendum & vitam ſingularem, ſecundum pietatem & ſummam Philoſophiam Chriſtianorum, in propriam utilitatem ponendam. *Alia*, inquit ſanctus Hieronymus de ſeipſo loquens, *Monachorum eſt cauſa, alia Clericorum. Clerici paſcunt oves : ego paſcor. Illi de altari vivunt : mihi quaſi infructuoſæ arbori ſecuris ponitur ad radicem :* quamvis certe, ut loquitur in *epiſt. ad Joannem Hieroſoly. Epiſc. Clericatus honore non debeant Clerici abuti in ſuperbiam, ſed cuſtodia mandatorum Dei & obſervatione diligentiſſima niti hoc eſſe quod dicuntur,* dicti Jeremiæ *cap.* 12. memores, *Cleri eorum non proderunt eis :* (in quem locum Origenes: *Noſſe debetis non ſtatim in eo eſſe ſalvandos, quia Clerici ſunt ; multi enim & Presbyteri pereunt, & Laici beatiſſimi reperiuntur*). Utiliter tamen in Eccleſia paulatim conjungi cœpit Monachatus cum Clericatu, & vice mutua cum Clericatu Monachatus. Quod primum in Ægypto, duce & auctore Athanaſio magno, introductum, qui plurimos ſummæ pietatis & eruditionis Monachos e ſolitudinibus & eremo in civitates & urbes extraxit, refugientes & invitos non tantum ſacris ordinibus initiavit, ſed etiam plures ad ſummum Epiſcopatus apicem cum ſummo populorum applauſu promovit, ut ipſemet memorat in elegantiſſima *epiſt. ad Dracontium Abbatem*, qui juraverat ſe nunquam Epiſcopatus dignitatem ſuſcepturum, & quem Electum in Epiſcopum Monachi fere omnes deterrere conabantur, quibus ita reſpondet. *Ne igitur te impediant Monachi, quaſi ſolus adhuc ex Monachis conſtitutus fuerit Epiſcopus ; neque excuſationem hanc prætendas, quaſi te ipſo deterior ſis futurus: poteris enim etiam melior fieri. Et Paulum Apoſt. imiteris. & Sanctorum facta emuleris : noſti enim eos, qui ita creati ſunt diſpenſatores myſteriorum, magis ad ſcopum collimare, ut bravium ſupremæ vocationis obtineant. Quando Paulus conteſtatus eſt, & coronam ſe accepturum expectavit, niſi eum miſſus eſt ad docendum ?* Et poſtea. *Quapropter cum iſtiuſmodi habeas exempla, dilectiſſime, ea diligere debes. Nec dicas, nec dicentibus credas, Epiſcopatum eſſe cauſam peccati, aut quod inde naſcatur occaſio delinquendi. Licebit tibi in Epiſcopatu eſurire, ſitire, &c. Sicut Paulo licuit ; & vinum non bibere, ut Timotheus fecit ; & jejunare frequenter, ut Paulus ſolet : ut ita ſecundum illum jejunans alios ſermonibus enutrias, & ſitiens abſtinendo a potu aliis potum doctrinæ præbeas.* Perinde ac ſi diceret Athanaſius Monachum ad Epiſcopatum promotum, monaſticæ vitæ auſteritatem poſſe retinere: ut & contra Epiſcopi, qui non fuerunt Monachi, poſſunt tamen in Epiſcopatu monaſticæ vitæ formam & diſciplinam imitari, & communem cum ſuo Clero vivendi formam ſervare, ſicut de Euſebio Vercellenſi Ambroſius in *epiſtola* 82. loquitur. *Hæc primus in Occidentalibus partibus diverſa inter ſe Euſebius ſanctæ memoriæ conjunxit, ut & in Civitate poſitus inſtituta Monachorum teneret, & Eccleſiam regeret jejunii ſobrietate. Multum enim adjumenti accedit ad Sacerdotis gratiam, ſi ad ſtudium abſtinentiæ & normam integritatis juventutem aſtringas, & verſantes intra urbem abdices uſu urbis & converſatione.* Et iterum. *Hæc igitur patientia in ſancto Euſebio Monaſterii coaluit uſu, & durioris obſervationis conſuetudine hauſit laborum tolerantiam. Namque hæc duo in attentiore Chriſtianorum devotione præſtantiora eſſe quis ambigat, Clericorum officia & Monachorum inſtituta ? iſta ad comitatem & moralitatem diſcipli-*

næ:

na: illa ad abstinentiam assuefacta atque patientiam. Hæc velut in quodam theatro; illa in secreto spectatur ista; absconditur illa. Exemplo Eusebii & Ambrosii sanctus Augustinus a Possidonio dicitur Monasterium induxisse in Ecclesiam, idest in Clero suo, sicut in Monasteriis, vitam communem Clericis suis observandam proposuisse, abdicata omni proprietate; nulla licet præcise necessitate imposita Clericis refractariis, qui privatim & seorsim vivere præoptabant, etiam sportulis & diariis illis separatim & extra communitatem administratis, ut constat ex ejusdem sancti August. *Sermonibus duobus de vita communi Clericorum*. Et ab iis exemplis renovata est origo & institutio Clericorum, sive Canonicorum, quos Regulares vocamus, qui diligenter sunt a Monachis separandi.

Ex his itaque observamus in Ægypto primum sub sancto Athanasio Monachos promotos fuisse ad Ordines; imo & ad Episcopatum. Quod post sanctum Athanasium & in Ægypto & per totum Orientem frequentari cœpit, ut constat ex *Hist. Eccles. & pluribus* sancti Hieronymi *locis*, *& ex lib.* 3. S. Chrysost. *de Sacerdotio*. Quin & ipsum sanctum Chrysostomum non tantum antiqui & recentes ejus vitæ Scriptores ex numero Monachorum ad Episcopatum Constantinopolitanum evectum fuisse testantur; sed etiam loco valde singulari Justinianus notavit in *edicto celebri de fide*, in V. Synodo composito & promulgato, quo loci ait, Joan. Chrysostomum cum Theodoro Mopsuestiæ postea Episcopo, in eodem Monasterio simul vitam monasticam coluisse, cujus sodalitatis memor eundem Theodorum, lapsum a proposito, duabus elegantissimis exhortationibus revocare nititur, ut ex fine secundæ exhortationis constat, ubi ait. *Speramus quod iterum te videbimus, iterum te in grege Christi &c. tomo 4. pag. 674.* Ex Monachis autem electos fuisse Clericos etiam primis Ecclesiæ temporibus constat ex *Lege 16. Cod. Theod. de pœnis in fine*, quæ est Arcadii & Honorii, his verbis. *Ex quorum numero, si quos forte sibi deesse arbitrantur*, Episcopi scilicet, *Clericos ordinabunt*. Quæ pars reperitur plenius in *Lege 32. eod. Cod. Theod. tit. de Episcopis & Clericis*. Imo & Justinianus *Novell. 6.* nominatim constituit ut Episcopus assumatur vel ex Clero, vel ex Monasterio, & *Novell.* 133. *cap.* 1. *&* 2. in quibus duabus Novellis fere universus status Monachorum explicatur.

Quod pertinet ad Occidentem, quia sicut diximus, monastica & Cœnobitica vita paulo tardius, quam in Oriente recepta & comprobata est, consequens etiam fuit tardius in Occidente ex Monachis Clericos eligi. Quare antiquiores super ea re nullos Canones reperimus, quam Siricii *can. 29.* & Innocentii I. *can. 3. hac Quæst. nostra*: frequentissimi vero occurrunt SS. Pontificum recentiorum canones in eam rem, de qua Gratianus Zosimum Pontificem laudat, nempe alicubi ad *can. qui Ecclesiasticis Dist.* XXXVI. *& ad can. 2. Dist.* LIX. in quibus licet nulla fiat mentio Monachorum, verum tamen est, Zosimum nominatim etiam de Monachis idem cavisse: sed Gratianus Monachus detraxit ea, quæ paulo asperiora videbantur. Scribebat Zosimus ad Hesichium Episcopum Salonitanum circa annum 416. *Exegit dilectio tua præceptum Apostolicæ Sedis, in quo Patrum Decreta consentiunt, & significas nonnullos ex Monachorum cœtu, quorum solitudo quasi frequentia major est, sed & Laicos ad Sacerdotium*

festi-

festinare. Hoc autem specialiter & sub prædecessoribus nostris, & nuper a nobis interdictum constat &c. Ut videre est in *integris decretis* ejusdem Zosimi. In quam etiam rem S. August. *can.* 30. & 36. *hac C.* & *Quæst.* imo & Basilius Magnus in *Constitutionibus monasticis cap.* 9. *nulla ratione convenit Monachum vel Clericatum vel Dignitates desiderare: diabolicus est enim morbus & ambitus crimen &c.* Et pluribus in *cap.* 24. Ex quibus dictum Cassiani confirmatur in fine *lib.* 11. *Hæc est antiqua Patrum permanens nunc usque sententia, quam proferre sine mea confusione non potero, qui nec germanam vitare potui, nec Episcopi evadere manus, omnimodis Monachum fugere debere mulieres & Episcopos. Neuter enim sinit eum, quem semel familiaritati suæ devinxerit, vel quieti cellulæ ulterius operam dare, vel divina theoria per sanctarum rerum intuitum purissimis oculis inhærere.* Qua in rem vide Cassianum *cap.* 14. 15. & 16. *dicti libri* 11.

In Gallia vero nostra vitæ monasticæ primum auctorem sanctum Martinum ostendimus, qui ad Archiepiscopatum nostrum Turonensem communibus Populi & Cleri suffragiis invitus a Pictaviensi Monasterio pertractus fuit, ut ex Sulpitio Severo constat in *ejus vita*, qui plures ex Monachis, qui sub Archiepiscopi Martini disciplina vixerant, postea Episcopos petitos ait. *Quæ enim*, ut ipse Sev. Sulpitius subjicit, *esset civitas & Ecclesia; quæ non de sancti Martini Monasterio cuperet habere Sacerdotes?* Circa eadem fere tempora, & adhuc Martino vivente, sanctus Honoratus, qui prima, ut diximus, in Insula Lirino vitæ monasticæ fundamenta jecerat, Arelatensis Episcopus postea fuit constitutus, & ex eodem Cœnobio pariter ejus successor sanctus Hilarius, Lupus Episcopus Trecensis, Eucherius Lugdunensis Episcopus, Maximus & Faustus Rejorum Episcopi in Narbonensi II. Unde Eucherius ipse *epist. de laude Eremi ad Hilarium*, ita loquitur. *De illa insula digna, quæ cœlestibus disciplinis, Honorato auctore, fundata sit, quæ tantis institutis, tantum nacta sit Patrem, Apostolici Spiritus vigore & honore radiantem; digna, quæ illum suscipiens ita emitteret; digna, quæ præstantissimos alat Monachos, & ambiendos proferat Sacerdotes.*

Ex quibus confirmatur aliquando ex Monachorum numero perfectissimos post accuratissimam Episcoporum inquisitionem, & accedente Abbatis consensu, quoties Clerici deessent, vel Ecclesiarum necessitates exigerent, in Clerum adscriptos fuisse. Quod & pluribus *can. relatis in hac Quæst.* manifeste confirmatur; ex quibus colligitur paulatim & per partes Monachis concessa fuisse, quæ sunt Clericalis Officii propria. Et quidem primum in eorum Monasteriis, in quibus scilicet erant ædificata Oratoria (nam & quædam olim erant Monasteria, in quibus nulla Oratoria sed cum reliquis fidelibus in Ecclesias conveniebant Monachi) Ordinabatur Presbyter vel ex Clericorum, vel ex Monachorum numero, qui eis Sacramenta administraret *can.* 8. Chalced. Quales ordinatos fuisse constat ex *epist.* sancti Hieronymi 60. & 61. colligitur. Missas etiam & sepulturas in Monasteriis celebrari permiserunt aliquando SS. Pontifices, inter quos primi Gelasius & Gregorius Magnus videntur, ut constat ex *can.* 13. 14. & 15. Et quidem ad *can.* 12. & 16. recte notat Gratianus: Si quis fidelium apud Monachos sepulturam sibi seligere voluerit, libere a Monachis posse sepeliri. Quod ex indulgentia & privilegio speciali a Gelasio & Greg. I. concessum

cessum videtur. Antea enim prohibitum, ut constat ex *can.* 1. *hac nostra C. & Quæst.* & ex veteri disciplina Monachorum, quam explicuimus. Quare & iterum prohibitum in *can.* 8. *hac C. & Quæst.* cujus auctor videtur Eugenius II. ita quod placuerat Gelasio & Greg. I. Eugenio II. displicuit; nec temere, sed juxta veterem disciplinam Ecclesiæ; nempe intra Monasteria & Claustra Monachos coercuit secundum Concilii Chalced. generalis Canones 4. & 23. quibus Monachi ab omnibus officiis & administrationibus Ecclesiasticis prohibentur; nisi forte his præceptum fuerit propter opus necessarium ab Episcopo eis commissum. Quod & probatur tam ex *can.* 17. *hac Quæst.* qui ex Chalced. Concilio desumptus est, quam ex *tribus seqq.* in quibus Gyrovagi & circumcursantes Monachi per urbes, vicos, & castella coercentur, & gravissime castigantur ab Episcopis, aut Ecclesiarum Defensoribus. Et notandum illos quidem Canones Chalced. ad suggestionem & petitionem Imperatoris Martiani editos fuisse a Patribus, ut constat ex *actione* 6. Chalced. Concilii. Et de hujusmodi Monachis unum sanctus Hieronymus vocat, *Veredarium urbis, inter seculares Monachum, inter Monachos secularem.* Et alium, *Monachum de trivio, de compitis, de plateis, circumforaneum et rumorigerum*, & in *ep.* 34. & 51. Et adversus eosdem Isidorus Pelusiota *lib.* 1. *ep.* 14. Et hos Canones relatos adversus Monachos sui propositi immemores Patres & Concilia sæpius in usum reduxerunt: imo & ipsi Summi Pontifices sæpius instaurarunt adversus arrogantiam & præsumptiones Monachorum, ut constat tam ex *dicto can.* 8. Eugenii II. quam ex *decretis* Alexandri II. Paschalis II. & Callisti II. relatis in *can.* 9. 10. & 11. *hac Causa & Q.* quibus constitutum ne Monachi & Abbates præsumerent baptizare, prædicare pœnitentiam & remissionem peccatorum dare, decimas percipere, infirmos visitare, unctiones facere, Missas publicas cantare; nisi de proprii Episcopi licentia, vel speciali Sedis Apostolicæ auctoritate. Et præterea jubentur Chrisma, oleum & consecrationes altarium & Ordinationes Clericorum ab Episcopis accipere, in quorum Parœciis, seu Diœcesibus morantur. Quæ non tantum de Monachis, qui nullis Ordinibus sunt insigniti, sed etiam ad Ordinatos pertinent; sicut & agnoscit Gratianus ad *can.* 19. *hac nostra Qu.* qui canon sumptus est ex *epist.* 63. S. Leonis an. 450. ad Theodoretum Episcopum Cyri (male Cypri inscribitur, quæ urbs a Cyro conditore denominata, quæ in provincia Euphratensi, Persidi vicina & subdita Antiocheno Patriarchæ. Scripsit vero illam epistolam S. Leo ad Theodoretum statim post Concilium Chalcedonense, in quo Monachi, sicut diximus, ad veterem disciplinam, a qua recesserant, revocantur. Quod & in fine *dictæ epist.* confirmat, cujus verba referuntur in *dicto can.* 19. in quo legendum ex dicta epistola, *quorumdam Monachorum regionis vestræ*, non *Religionis*, ut vulgo male. Illustratur autem valde dicta Leonis *epist.* Theodoreti *ep.* 10. ad Leonem, & ejusdem *epistolis* 116. 117. 118. 119. & 121. *tomo* 3. *Operum* Theodoreti. Apertissime idem sanctus Leo *epist.* 62. *ad Maximum Antiochenum* his verbis: *Illud quoque tuam dilectionem convenit præcavere, ut præter eos, qui sunt Domini Sacerdotes, nullus sibi jus docendi & prædicandi audeat vendicare, sive sit ille Monachus, sive sit Laicus, qui alicujus scientiæ nomine glorietur; quia etsi optandum est ut omnes Ecclesiæ filii, quæ recta sunt & sana sapiant,*

non

non tamen permittendum est, ut quisquam extra Sacerdotalem Ordinem constitutus, gradum sibi prædicatoris assumat; cum in Ecclesia Dei omnia ordinata esse conveniat, ut in uno Christi corpore & excellentiora membra suum officium impleant, & inferiora superioribus non insultent. De præsumptionibus hujusmodi Monachorum eo tempore recentissima exempla Eutychetis Abbatis Constantinopolitani & ejus Monachorum, & multo antea similia notaverat sanctus Epiphanius in *expositione fidei tomo* 1. sub finem; quorumdam Monachorum scilicet, qui etiam nulla suscepta manus impositione & ordinibus ab Episcopis, audebant tamen sacrificium Missæ celebrare, concionari & prædicare. Exceptionem addimus ex ipso Concilio Chalced. nisi Episcopi permissu ad Ordines promoti fuerint, ut in propriis Monasteriis, vel etiam in aliis Ecclesiis & Parœciis Clericalia munera & officia coram populis celebrent *can.* 31. & 33. *hac C. & Q.* Unde recte Gratianus ad *can.* 19. observat Monachos, etsi in dedicatione Presbyteratus sui; sicut & Sacerdotes cœteri, baptizandi, prædicandi, pœnitentiam dandi, peccata remittendi, & beneficiis Ecclesiasticis rite perfruendi potestatem accipiunt; executionem tamen potestatis illius non habere, nisi ab Episcopo & populo cum consensu Abbatis fuerint electi: quod pluribus Canonibus hujus Quæst. confirmatur, maxime vero *can.* 21. 23. 24. 25. & *seqq.*

Quantum vero pertinet ad Ecclesiasticas administrationes, vel temporales actus & gestiones, quæ Clericis deferri solent, v. g. Oeconomi & Defensoris in Episcopatibus & Ecclesiis munia, Monachis non nisi præcedente dispensatione, & quidem rarissime permittebantur: quam in rem elegantissimus est *canon* 20. de Defensore Ecclesiæ in *hac Causa & Qu.* cui jungi debet *Canon* 8. C. 1. *Q.* 3. & *Canon ult. Dist.* LXXVII. Quale vero esset Officium Defensoris, præcipue in Ecclesia Romana, & in *dictis Canonibus* & maxime in *can.* 20. *hac Causa & Quæst.* explicatur, & plenius Baronius explicavit ad *annum* 508. *numero* 16. & 17. & Onufrius in *explicatione obscuriorum vocum*. Ecclesiæ nempe Defensores hujusmodi a Pontificibus Romanis mittebantur in varias provincias, in quibus Ecclesia Romana amplas possessiones obtinebat, cum summa auctoritate, nec tantum ad bonorum administrationem, sed etiam ad auctoritatem in Clericos & Monachos, ut ex supra dictis locis constat. Quin & illius Officii prætextu plura solebant usurpare adversus Episcopos, eorumque auctoritatem imminuere. Qua de re sæpe conquerebantur, ut constat ex *epist.* Gregorii *lib.* 9. *Regesti* 32. 33. 34. & 35. Cui Defensoris officio ab initio Laici, postea vero ex Clero, potissimum autem ex Ordine Subdiaconorum vel Diaconorum aliquis præficiebatur, ne per Laicos res & negotia Ecclesiastica dissiparentur & distraherentur. Hujusmodi vero Defensorum frequens occurrit mentio in Legibus & Canonibus, qui quidem in singulis Episcopatibus constituebantur, & in locupletioribus Monasteriis; quales postea Synodici & procuratores. In Episcopatibus autem, ut diximus, ad hujusmodi Officium Monachi non admittebantur: proprii tamen Monasterii procurator, susceptor & executor jussu Abbatis Monachus constitui potest *can.* 35. *hac C. & Q.*

Quod vero pertinet ad Clericales functiones, vel in Ecclesiis Parœcialibus, vel in Oratoriis, Capellis, & aliis locis extra Monasteria peragendas

das a Monachis, accedente Episcoporum & Summorum Pontificum speciali concessione & indulgentia & Abbatum consensu, eas permissas fuisse constat, sicut & perceptiones Decimarum, Primitiarum, Oblationum & redituum reliquorum; quamdiu nempe in ministeriis hujusmodi Monachi perseverant, probaturque pluribus *can. hujus C. & Quæst.* 21. 23. 24. 25. *& seqq. usque ad can.* 40. In dictis tamen Canonibus sæpius admonentur Episcopi adhibere inquisitionem accuratam, nec quoslibet Monachos adhibere in Clerum, & plebibus præficere; sed eos tantum, quos morum gravitas ac vitæ & fidei institutio sancta commendat, ut loquitur Siricius in *can.* 29. Quam in rem notandi sunt S. August. *can.* 30. & 36. in quo *can.* hæc verba notanda: *Cum aliquando etiam bonus Monachus vix bonum Clericum faciat, si adsit sufficiens continentia, & desit tamen instructio necessaria aut personæ regularis integritas.*

Observandum vero ex *can.* 30. & 38. Monachos ad Clericatus & Episcopatum, extra Monasterium promotos, nullum amplius commodum & utilitatem percipere debere, de quo electi & promoti fuerunt; ut & pariter Clerici semel electi in Abbates nihil amplius possunt in Ecclesia, ad quam ordinati fuerant, compendii & utilitatis accipere, sed ex matricula & Canone Clericorum expungebantur. Quod & supra in *can. nemo* 2. *hac C. & Qu. confirmatur.* Qui tres Canones auctorem habent Gregorium I. cujus integras epistolas consulere præstat ad pleniorem intellectum, quem Glossa non assequitur. Vetus enim est morbus in Ecclesia jam inde a temporibus Greg. I. ut Clerici & Episcopi venarentur & ambirent Abbatias, quas cum Ecclesiis & Episcopatibus simul retinere contendebant. Quos Canones non male Gratianus ad *can.* 36. secundum sui temporis usum nostrique, intelligendos esse ait de iis, qui in numero Cardinalium vel Episcoporum ordinati, Monasterii tamen sui dispensationem, vel dignitates Ecclesiarum administrationemque & reditus sibi retinere contendunt. Quod ferendum non esse ex *dictis Canon.* ait idem Gratianus: ideoque ut huic iretur incommodo obviam, fundatores Monasteriorum in fundatione hanc conditionem apponebant, *ne Abbas in Episcopum eligi posset can.* 39. *hac* C. & Q. qui Canon ex *lib.* 11. *Regist.* Greg. I. *ep.* 10. petitus est, cujus Gratianus Summam tantum brevem suis verbis confecit usque ad verba, *quod privilegium.*

Diximus vero Monachis ad Clericatum promotis, & ab Episcopis constitutis in Ecclesiis, ratione Officii & muneris, quo funguntur, reditus Ecclesiasticos, Decimas, Primitias & Oblationes solemnes, ut reliquis Clericis, jure deberi *can.* 11. 21. 22. & 23. *hac C. & Qu.* dummodo tamen extra Monasteria positi in ipsis Ecclesiis consistant. Utrum vero Monachis, Presbyteris & Clericis, quibus populus ad regendum non committitur, Decimas dare vel eis sit licitum accipere, & quo tempore permissum, & quibus casibus; difficilior occurrit quæstio, quam Gratianus in IV. parte illius quæstionis tractat, nempe a *can.* 42. & *seqq.* usque ad *ult.* insertis pluribus Canonibus, qui alio pertinent. Ratio dubitandi præcipua est ex antiqua Ecclesiæ disciplina, qua Monachi proprio labore manuum victum sibi quærere tenebantur. Quod utrum sit præcepti vel consilii, magna contentione inter Theologos certatur, occasione locorum qui ex *epistolis* B. Paulí 1. *ad Corinth. cap.* 2. & *ad Thessalon. cap.* 4. & 2. *ad*

Thessalon. cap. ult. Et quidem omnes id consilii esse fatentur & etiam præcepti; sed ut B. Thomas, præcepti non quidem simplicis & puri, sed hypothetici, adhibitis pluribus distinctionibus & conditionibus, v. g. si aliunde victum sibi comparare non possint, vel si gravioribus occupationibus detineantur. Quantum vero pertinet ad primam & antiquam institutionem totius Ecclesiæ circa Monachorum conversationem, regulæ omnes sanctorum Patrum & auctoritates Pachomii, Basilii, Hieronymi, Severi Sulpitii; maxime vero sancti Augustini in accurato *tractatu de opere Monachorum*, Theodoreti præterea, Palladii & Joannis Climachi, omniumque qui de re Ascetica scripserunt, sententiæ in unum conveniunt, laboris manuum operationisque corporalis præceptum in Monachis esse necessarium. Quam in rem, præter sancti Augustini opus insigne, scripsit multa summo opificio & eruditione præclara Cassianus *lib.* 1. *cap.* 7. 8. 9. 10. 11. quibus in locis B. Apostoli loca supra citata plenius explicat. Et quidem in *cap.* 7. his verbis. *Nunquam potest nec apud eos quidem, qui sæculi homines sunt, honeste incedere, qui nequaquam claustris cella & operi manuum suarum inhærere contentus est: sed necesse est eum inhonestum esse, dum necessaria victus requirit, adulationi quoque operam dare, novitates etiam rumorum sectari, causarum. Fabularumque occasiones conquirere, per quas sibi ipsi aditum paret ac facultatem, qua diversorum domos valeat penetrare; & non potest non alienis donis & muneribus inhiare, qui non delectatur pio quietoque sui operis labore quotidiani victus parare substantiam.* Idem tamen notat in Occidente non fuisse observatum, ut labore manuum sibi victum Monachi compararent: qua de re conqueritur lib. 16. cap. 23. *Hinc est quod in iis regionibus nulla videmus Monasteria tanta fratrum celebritate fundata, quia nec operum suorum facultatibus fulciuntur, ut possint in eis jugiter perdurare: etsi eis suppeditari quoquo modo valeat victus sufficientia alterius largitate; voluptas tamen otii & cordis pervagatio diutius eos in loco perseverare non patitur. Unde hæc est apud Ægyptum ab antiquis Patribus sancita sententia, operantem Monachum dæmone uno pulsari; otiosum vero innumeris spiritibus devastari.*

Postea in Occidente cœpit ab Institutoribus Monasteriorum labor manuum præcipi; in pluribus locis, in *Regula* sancti Benedicti, maxime *cap.* 48. idque cum reliquis antiquiorum & recentiorum Patrum Regulis convenire ostendit Benedictus Abbas Anianæ, qui sub Carolo Magno & sub ejus liberis vixit in *Concordia Regularum cap.* 55. Quod præceptum semper in omnibus Orientis Monasteriis observatum, hodieque retinetur. Unde in solemni formula mandatorum, quæ Exarchis Monasteria Patriarchica visitantibus dantur, insignis est eadem de re *articulus* 7. his verbis. *Præcipere tua Reverentia debet, ut quotquot habitus monastici cœtibus aggregantur, sacrosanctum Psalterium discant; ita tamen ut non servilem in modum, tempus omne in rerum terrestrium operatione consumant, propter imprudentiam Superiorum, aut propter inobedientiam, aut socordiam subditorum:* Cum itaque in Occidente sæpius objiceretur socordia Monachis & cessatio ab opere manuum; præcipueque Benedictinis, quibus toties in Regula sancti Benedicti opus manuum præcipitur, varias excusationes & exceptiones excogitaverunt illius regulæ veteres novique Interpretes. Et quidem præcipue Petrus Venerabilis *lib.* 3. *epistola* 28. Turrecremata & alii

alii plerique, non absolute sanctum Benedictum præcepisse opus manuum, sed ad vitandam inertiam & desidiam, vel si non habeant, unde se valeant exhibere; ideoque ajunt, si totius diei spatium utilioribus occupationibus possint impendere Monachi, & præterea si absque labore proprio, de liberalitate & beneficii fidelium, lectioni & contemplationi vacantes foveri & sustentari possint, Regulæ sancti Benedicti non esse prævaricatores. Quin & addunt Prælatum ex justa causa Monachos suos, potissimum juniores & validos, honestis quibusdam artificiis, statis singularum dierum horis addicere posse. Quod similiter de omnibus fere Monachis, albis & nigris censendum; cum non tantum sancti Benedicti regula, sed etiam antiquiorum & recentium fere Patrum Occidentalium regulæ in hoc articulo conveniant, ut supra diximus, & constat ex *concordia dicta Regularum* sancti Benedicti *cap.* 55. *de opere Monachorum*.

Quamdiu itaque Monachi proprio labore & industria victum sibi quæsiverunt, inutilis erat hæc quæstio, quæ postea celeberrima fuit; utrum Monachi etiam intra claustra degentes, quæ proprie debentur Clericis, Decimas, Primitias, possessiones recte perciperent; vel utrum de propriis possessionibus liberalitate fidelium donatis, Parœcialibus Ecclesiis decimas persolvere tenerentur. Verum mutata veteri disciplina, utraque quæstio diu multumque inter Episcopos, Clericos & Monachos maxima contentione, nec sine acerbitate fuit agitata: de quibus agitur in *can.* 9. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. *& ult.* Et quidem notandum in quinque primis Canonibus antiquioribus constitutum, nec decimas, nec alia quælibet jura Ecclesiis antiquis adimenda esse, ut tribuerentur novis Oratoriis: imo decimas tantum Plebibus, idest Parœcialibus Ecclesiis debere dari, in quibus Sacramenta percipiuntur & administrantur. Et in *can.* 46. desumpto ex Concilio Cabilonensi II. *can.* 19. Episcopi vel Abbates de agris & vineis, quæ ad suum vel fratrum stipendium habent, decimas ad Ecclesias deferri jubentur. Ad Ecclesias, *inquam*, idest Parochianas Ecclesias, ut Ivo Carnot. in *Decreto* recte interpretatur. De agris vero & vineis quæ per Colonos exercent, ipsi Coloni decimas præstare jubentur Ecclesiis, in quibus Sacramenta percipiunt. Hunc tamen Canonem in *parte prima* Gratianus unica vocula, *suas*, detorsit in contrarium plane sensum, ut nempe Monachi de propriis prædiis, quæ suis sumptibus excolunt, decimas solvere non teneantur. Quod privilegium singulare non tantum Monachis, sed etiam Clericis communiter viventibus communicatum probat Gratianus in *can.* 47. cujus auctor est Paschalis II. Qua de re infra pluribus.

AD QUÆSTIONEM II.

IN hac *Qu.* 2. tractatur de Jure quod non tantum Monachi, sed etiam Canonici Regulares, & qui vocantur Canonici seculares, & Monasteria, vel Capitula & Collegia sibi passim vendicant, tam in Ecclesiis Parœcialibus, quam in Capellis, vel in temporalibus, vel in spiritualibus, vel in utroque jure tam temporali, quam spirituali: Quod ut plenius intelligatur.

Observandum jure communi Ecclesiæ antiquo Episcopos in Ecclesias & Capellas omnes Episcopatus sui omnem potestatem in spiritualibus & temporalibus habere; & ad curam & jurisdictionem eorum plebes, Parochos & Ecclesiarum possessiones & bona subdita fecisse *canon omnes Basilicæ* XVI. *Q.* 7. Procedente vero tempore Monachis, Canonicis sive Regularibus, sive Secularibus, imo & quibusdam Dignitatibus earumdem Ecclesiarum concessæ fuerunt vel annexæ in perpetuum Ecclesiæ quædam Parœciales vel Capellæ *cap.* 30. *extirpandæ extra de Præbendis* Concessiones vero vel uniones hujusmodi diligenter expendendæ sunt, quæ nec aliter ab Episcopis fieri possunt, quam adhibito consensu Capituli: Itemque forma, modus & conditiones appositæ donationi vel unionibus diligenter considerari debent: multiplices enim earum sunt formæ & genera. Quod si simpliciter concessiones vel uniones conceptæ fuerunt ab Episcopo & Capitulo, pleno jure & late accipientur, & pleno jure translatæ intelligentur ad donatarios Ecclesiæ, idest tam in temporalibus, quam in spiritualibus; & per consequens reditus omnes dictarum Ecclesiarum, idest temporalia ad eos pertinebunt, & ipsa institutio & destitutio Clericorum in illis Ecclesiis, idest spiritualia ad eos spectabunt, excepto Cathedratico, sive Synodatico & Episcopali jurisdictione, sive Canonica justitia tam in Ecclesiam, quam in Presbyteros & in plebem ipsam: & aliquando etiam sibi solebant censum annuum Episcopi in concessionibus hujusmodi attribuere; quod & licet *Capit. constitutus extra de religiosis domibus*, & *can. quæsitum prima Q.* 3. sub finem ibi: *salvo Episcoporum censu annuo*. Quæ supra diximus, confirmantur *can.* 1. *hac nostra Qu.* 2. *cap.* 2. *de supplenda negligent. Prælat. cap.* 15. 18. *extra de præscript. cap.* 13. *de Sentent.* & *re judicata cap. Pastorali extra de Donation. cap.* 12. *de Monachis extra de Præbend. juncta Glossa in verbo de proventibus cap.* 13. *de Institutionibus cap.* 1. *de Capellis Monach.* & *cap.* 4. *de jure Patronatus*. Nec tantum de concessionibus & donationibus ab Episcopis factis loquimur, sed etiam de concessione Laicorum, qui scilicet Parœciales Ecclesias, decimas & reditus, & Ecclesiarum possessiones vel qualicumque jure obtinuerant, vel de facto occupaverant. Hujusmodi tamen donationes, ut diximus, Episcopi consensu confirmandæ erant, quoniam jure communi omnes Ecclesiæ in potestate Episcopi sunt constitutæ. Quolibet autem modo ex supradictis ad Monachos vel Capitula pervenerint Ecclesiæ, nisi pleno jure eis concessæ fuerint, tenebuntur Presbyteros Episcopis præsentare, vel eorum Archidiaconis aut Vicariis, qui in dictis Ecclesiis instituantur; in quos & in ipsas Ecclesias & Parochos quod ad spiritualia potissimum Episcopi jurisdictionem obtinent; ideoque hujusmodi Presbyteri non sunt amovendi, nisi auctoritate Episcopi & ex justa causa & canonica: quare & hujusmodi Vicariatus exigunt residentiam, & illis tantum conferuntur, qui constituti sunt in sacris Ordinibus; vel qui in Presbyteros statim ordinandi sunt, saltem intra annum; & animarum curam continent. Unde pluralitas Vicariatuum prohibetur, Tituli veri rationem obtinent, & beneficia vocantur, ut colligitur ex *tit. de officio Vicarii*, & *cap.* 27. *de Rescriptis*. Uno verbo veri sunt Rectores & Plebani, & nomine tenus Vicarii vocantur, cum non possint constitui nec remo-

removeri ad nutum, nequidem ab illis, qui pleno jure Ecclesias obtinent, nisi propter canonicas causas re tota in judicium deducta, perpensa & judicata.

Hactenus de Ecclesiis & Capellis diximus, quæ in rebus temporalibus Monasteriis aut Capitulis subjici debent, in spiritualibus tamen parent Episcopis, de quibus in *can. penult. & ult. hac Qu.* 2. vel de illis Ecclesiis, quæ utroque jure, idest tam in temporalibus quam in spiritualibus Monachis vel Capitulis concessæ fuerunt, in *can.* 1. *hac C. & Q.* scilicet concessæ vel ab ipsis Episcopis cum Clericorum Capituli consensu, vel quoties legitima 40. annorum præscriptione Episcopalia jura sibi quæsiverunt Monachi vel Capitula. Et quidem quatenus tantum vel præscripserunt; vel eis nominatim concessum ab Episcopis, nec ultra. Reliqua vero jura Episcopalia retinent Episcopi, sicut ex locis supra citatis & ex *cap.* 15. & 18. *de Præscript. extra*, colligitur. Sed de præscriptione plenius agemus in *Qu.* 3. & 4. Enumerantur vero præcipua exempla jurium spiritualium, sive Episcopalium, quæ ad eos pertinent, qui pleno jure Ecclesias Parœciales possidere dicuntur in *cap.* 13. *de Sentent. & re judicata*, quod extat integrum in *lib.* 1. *Regist.* Innocentii III. *epist.* 28. & *cap.* 15. & 18. *de Præscript.* & in *cap. constitutus extra de Religiosis domibus*, quibus illustratur *canon* 1. *hujus Qu.* 2. in quo recte Gratianus & Interpretes notant, tractari de Ecclesiis ab Episcopis pleno jure concessis Monasteriis, ideft tam in temporalibus quam in spiritualibus. Hujusmodi Jura sunt præcipue Institutio, Investitura, & destitutio Presbyteri in hujusmodi Ecclesiis, quæ competit Abbatibus vel Capitulis, inconsulto Episcopo, ut in *dict. can.* 1. dicitur; in cujus tamen fine in ipsum Presbyterum animadversio & jurisdictio plenior pertinet ad Episcopum: quod de gravioribus intelligendum. Correctio enim in levioribus culpis, fidelitas, obedientia, repræsentatio ad Ordines, Chrismatis susceptio, & Jus processionis; imo & aliquando jus excommunicationis & interdicti in dictos Presbyteros concessa fuerunt illis, qui pleno jure Ecclesias possident. Quod ita intelligendum, si simul vel ea omnia Jura fuerint concessa nominatim, vel præscripta, ut supra diximus; & probatur *dicto cap.* 15. & 18. *extra de Præscript. & cap.* 2. *de Capellis Monach.* Qualia vero & quæ sint Jura Episcopalia in Parœciales Ecclesias, constat ex celebri *cap. conquerente extra de Officio Jud. Ordinarii*. Glossa adhibita. In Ecclesiis porro quas utroque jure, ideft temporalibus & spiritualibus, vel alterutro tantum, Monasteria & Capitula detinent, vocantur vulgo Curati Primitivi; a quibus distant, qui jus tantum Patronatus obtinent Ecclesiastici vel Laici Patroni. Jus quippe Patronatus consistit potissimum in nominatione, sive præsentatione Presbyteri, qui ab Episcopo, vel ejus Vicariis, aut Archidiaconis post nominationem & præsentationem instituendus est; nec in hujusmodi Ecclesiis ad Patronos pertinent temporalia, v. g. decimæ & alii reditus & proventus Ecclesiæ; quæ omnia ad Presbyterum, qui institutus fuerit, spectabunt, qui etiam solus & verus Plebanus est & Rector. At Vicarii perpetui censendi sunt in 1. casu, quando scilicet pleno jure, ideft tam in temporalibus quam in spiritualibus Ecclesiæ Monasteriis vel Capitulis subjectæ sunt, ut diximus. Et præterea adnotandum in Ecclesiis, quas pleno jure Monachi vel Canonici Regulares possident, eos posse Monachos insti-

instituere, qui plebem regant *cap.* 21. *extra de Privil.* modo in dictis Ecclesiis non soli, sed socio vitæ sibi adjuncto commorentur; nec enim unicus tantum Monachus Ecclesiis Parœcialibus præfici potest *cap.* 2. *&* 5. *de Statu Monach. & cap. penult. & ult. de Capell. Monach.* Quod si in temporalibus tantum Monasteriis subsint Ecclesiæ, & si in dictis Ecclesiis Parœcia consistat; in illis tamen non Monachus, sed Presbyter & Capellanus ab Episcopo ad præsentationem Monachorum institui debet, per quem populus regatur *cap.* 1. *de Capell. Monachorum*. Quod cum aliquo temperamento acceperunt Patres Concilii Trid. *sess.* 25. *cap.* 11. *de reformat.* Quod apte Correctores Rom. adscribunt ad *d. cap.* 1. *de Capell. Monach.* in quo *cap.* agitur tantum de Ecclesiis, in quas Monasteria vel Capitula jus tantum habent in temporalibus; & est postrema pars *cap.* 1. *de Capell. Monach. in* 1. *Collect.* cujus pars prior ideo fuit omissa a Greg. IX. quod Gratianus partem illam retulerat in *Can.* 2. *Causa* XVI. *Qu.* 7. in qua si quid superfit, adjiciemus.

Can. 2. 3. 4. 5. qui de decimis loquuntur, in præcedenti Quæst. explicuimus.

Ad Quæstionem 5.

PRæpostere hæc Qu. 5. numeratur; unde apposite Rom. Correctores superiori *Qu.* 2. notant, in plerisque Codicibus conjungi Canones qui continentur sub hac *Qu.* 5. & merito: nam ad eandem materiam spectant. In fine quippe *Qu.* 2. Gratianus observaverat, quas Ecclesias ædificant Abbates in villis vel Castellis sui Monasterii, quatenus ad regimen & administrationem Ecclesiarum, Presbyterorum & plebium, subditas esse iis Episcopis, in quorum Diœcesibus extructæ erant: quod & confirmatur tribus *Can. hujus* 5. *Qu.* quorum can. brevis hæc est sententia. Quoties Dominus alicujus villæ vel pagi Ecclesiam, sive Oratorium construxerit, etsi Episcopus, vel Abbas, aut Laicus sit dominus, quamvis proprietas & dominium villæ, cui inædificata fuit Ecclesia, ad eum pertineat; potestas tamen & jurisdictio in hujusmodi Ecclesia non ad Episcopum, vel Abbatem, qui ædificavit Ecclesiam vel dotavit, pertinebit, sed ad Episcopum Diœcesis, in cujus territorio posita est *can.* 1. 2. 3. *hac Qu.* Episcopo tamen, vel Abbati, aut Laico qui ædificavit vel dotavit, jus præsentandi & nominandi Presbyterum ad dictam Ecclesiam vel Oratorium competet, idest jus Patronatus consequetur tantum *d. can.* 1. qui ex Concil. Arausicano I. desumptus est, quo nullus locus antiquior reperiri potest. *Can.* vero 2. *hujus Quæst.* sententia ex integro *can.* 34. Conc. Tolet. IV. repetenda est, cujus pars repetitur in *can. sicut Diœcesim infra Qu.* 3. his verbis: *sicut Diœcesim tricennalis possessio tollit; ita territorii conventum non adimit; ideoque Basilicæ, quæ de novo conditæ fuerunt, ad eum Episcopum pertinebunt, cujus conventus esse constiterit.* In iis Canonibus territorii conventus, & conventus simpliciter significat potestatem & jurisdictionem, quam in universum Episcopatum obtinet Episcopus. In Libris Juris *Lex Diœcesana* solet appellari, quod scilicet intra fines Episcopatus tantum exerceatur; extra territorium quippe impune non paretur *L. penult. ff. de Jurisd.* Territorium enim in jure solet definiri universitas agrorum intra fines cujusque Civitatis ob id, quod intra ejus fines jus terrendi & animadvertendi

di Magiſtratus habent *L.* 239. §. *territorium ff. de Verbo ſignif.* vulgo diſtrictum appellamus. Notat Gloſſa ad *can.* 1. in verb. *territorio*, Territorium aliquando ſignificare prædium ipſum & poſſeſſionem, vel, ut barbare loquitur, terram; quod probare contendit ex ultimis verbis *can.* 5. *ſeq. Qu.* ſed fruſtra. Alia eſt enim longe ſignificatio territorii, ut probavimus, & clauſula illa poſtrema *can.* non reperitur in integro *can.* ſed ſuppoſititia eſt. Notandum præterea in *can.* 4. *Q.* 3. Diœceſim non ſignificare univerſum Epiſcopi territorium, ut ſolet; ſed tantum Eccleſiam aliquam ſpecialem, urbanam vel ruſticam, Parœcialem Eccleſiam vel Curam: quibus ita explicatis facile patet ſententia *d. Canonis* 4. Quamvis vicinus Epiſcopus in vicini alterius Epiſcopatus villa & poſſeſſione aliquam Eccleſiam vel Parœciam per 30. annorum præſcriptionem ſibi acquiſierit legitime; ſi tamen in eadem villa de novo conſtruatur aliqua Eccleſia, nullum jus habebit extraneus, ſed ad antiquum Epiſcopum pertinebit, in cujus territorio nova Eccleſia conſtructa ſit. Et hoc eſt quod diximus, non amplius præſcribi, quam poſſeſſum fuerit *cap.* 15. & 18. *de Præſcript.* Quæritur autem quid ſit juris, ſi aliquis Epiſcopus, inconſulto Epiſcopo Diœceſano, Oratorium dedicare & ædificare præſumpſerit in alieno territorio, utrum Oratorium hujuſmodi deſtruendum ſit, nec ne. Et diſtinguitur, an ante novi operis denuntiationem ædificaverit vel poſt ex *cap. cum ex injuncto, extra de operis novi nuntiat.* in quo ſi poſt nunciationem nihilominus ædificet, dicitur oportere deſtrui; ſi vero ante nuntiationem, non debere deſtrui: cui ſententiæ addendum ex integra Greg. I. *epiſt.* ex qua ſumptus eſt *can. ult. hujus Quæſt.* Oratorium hujuſmodi, quod ab incompetenti perſona conſtructum fuerit, a proprio Epiſcopo ſine aliqua mora reformandum, ac Epiſcopum Diœceſanum novum Oratorium, Eccleſiam, Juriſdictionem & auctoritatem obtinere. Quod notandum ad *can. ult. d. Qu.* 5.

AD QUÆSTIONES 3. ET 4.

PRæſcriptionis mentio facta in *can.* 2. *præced. Qu.* impulit Gratianum, ut generaliter de univerſo præſcriptionis jure tractaret. Et quidem in 4. tractat, quo temporis ſpatio Eccleſia adverſus Eccleſiam, Monaſterium, vel privatos præſcribere poſſit; & in 4. quo tempore Monaſterium adverſus Eccleſiam vel aliud Monaſterium præſcribat. Canones fere omnes, qui referuntur in illis quæſtionibus, ad leges Principum merito pertinent; quoniam plerumque per præſcriptionem rerum temporalium dominia acquiruntur, in quæ poteſtatem & juriſdictionem omnem habent Reges & Imperatores; ideoque quod in præſcriptionis jure conſtitutionibus Romanis conſtitutum eſt, Eccleſia retinuit, ad quas pertinent *can.* 1. 2. 3. 4. & *ſeqq. fere omnes Qu.* 3. in qua Gratianum & Interpretes identidem falli demonſtravimus *Diſſertat. in cap. auditis de Præſcript. cap.* 3. allata vera ſententia Canonum ex fide Hiſtoriæ & legum. Legibus publicis, ideſt celeberrima Conſtitutione Theodoſii junioris, ut inſcriptio Legis indicat, (quæ extat integra in *Cod. Theod. ſub tit. de act. certo tempore finiendis,* & *L.* 3. *ſicut Cod. de Præſcriptione* 30. *vel* 40. *annorum*) primum in Oriente: & poſtea *Novella Conſtitutione* Valentiniani, ideſt *Novella de Præ-*

Præscript. 30. *an. in Cod. Theod.* in Occidente innotuit, & probata fuit præscriptio 30. an. ut constat ex Sidonio Apollinari *lib.* 8. *epistola* 6. Postea Justinianus in gratiam Ecclesiarum omnium centenariam præscriptionem induxit, scilicet *L.* 23. *ut inter divinum Cod. de sacros. Ecclesiis, & Novella* 9. quam deinde paulo post sustulit. *Nov.* 131. aliqua tamen prærogativa Ecclesiis & Monasteriis & reliquis venerabilibus locis relicta, ut scilicet adversus ea loca non 30. sed 40. annorum possessio requireretur; nequidem exempta Romana Ecclesia *Novell.* 111. *Novell.* 131. *cap.* 6. & ibi D. Cujacius & *lib.* 5. *observat. cap.* 5. & iterum *de diversis temporum præscript. tractatu*: quibus locis verissime confirmat quorumdam Interpretum sententiam, qui Ecclesiam Romanam obnoxiam esse scripserunt præscriptioni 40. ann. perinde ac reliquas. Eodem progressu juris universam Ecclesiam usam reperio. Et quidem tricennariam admittit Concil. Chalced. *can.* 16. qui extat 1. *in hac Qu.* 3. quem & plerique *can.* sequuntur; 40. vero annorum quam induxit Justinianus, agnoscunt alii Canones, scilicet *Canon* 1. 2. *&* 3. *Qu.* 4. quam Gratianus male a 3. distinguit hac fictione, ut in *Qu.* 3. Ecclesia adversus Ecclesiam per 30. annos tantum; in 4. vero Monasterium adversus Ecclesiam per 40. tantum annos præscribere possit. Vera itaque differentia & sententia Canonum repetenda est ex diversis Imperatorum Constitutionibus. Et quidem a Theodosio juniore usque ad Justinianum præscriptio tricennalis in Ecclesia obtinuit; sub Justiniano vero centenaria parum probata, mutata fuit in quadragenariam, & passim per universam Ecclesiam recepta, a qua Greg. I. nequidem excepit Rom. Ecclesiam *Can. volumus Qu.* 4. Gregorii vero successores longo post intervallo Joannes VIII. in *can. ult. Qu.* 3. & Innoc. III. in *cap.* 13. *&* 14. *extra de Præscript.* & Bonifacius VIII. in *cap.* 2. *eod. tit. in* VI. præscriptionem centenariam in usum revocaverunt in gratiam Rom. Ecclesiæ. Quod nunquam receptum in Gallia.

Obstant *Can.* 3. 4. 6. & 10. *d. Q.* 3. omnes quidem post Justinianum editi, quibus tantum tricennalis præscriptio probatur, licet Ecclesia adversus Ecclesiam vel Monasterium, vel Monasterium adversus Ecclesiam præscribat, nulla mentione quadragenariæ præscriptionis facta; ut non immerito Alexander III. in *cap.* 8. *extra de Præsc.* rescribat, quosdam Canones comprobare Tricennalem; Rom. vero Ecclesiam non admittere minorem quam quadraginta annorum. Quæ ratio diversitatis, ut diximus, vel ex diversis Imperatorum Constitutionibus, vel ex locorum diversis juribus repetenda est. Canones enim oppositi, qui 30. annorum præscriptionem probant etiam post Justinianum, desumpti fuerunt ex Conciliis Hispaniæ, in qua nunquam Justiniani leges locum habuerunt, sed solus Theod. Codex, ut in Gallia, in qua, ut constat *ex can.* 12. Concil. Aurelianensis III. post tempora Justiniani habiti, Tricennaria præscriptio probatur hac ratione, quod & in Gallia & Hispania leges Theodosianas Ecclesia receperat.

Notandum præterea adversus Parœciarum & Provinciarum publicos limites non habere locum præscriptionem, cujuscunque sit temporis: status enim publicus antiqua dispositione ordinatus, nulla ratione divelli debet *Can.* 5. 6. 7. *d. Q.* 3. *cap.* 4. *extra de Parochiis*; sive agatur de limitibus Ecclesiarum, Provinciarum, vel Episcopatuum. Fines tamen & limites pri-

privatorum agrorum 40. annorum præscriptione acquiri possunt *cap. 9. extra de Præscript.*

Ad Quæstionem 6.

IN possessiones & res proprias Ecclesiarum vel Monasteriorum, aut in Ecclesias & plebes, vel Parœcias ab aliis possessas non debere Episcopos, Rectores vel Abbates absque judice privata auctoritate irruere & manus injicere; alioquin Ecclesiarum, Possessionum & rerum illegitime occupatarum dominio & jure privari statuitur, maxime in *Can.* 2. *hoc tit.* quæ decisio ex Jure civili desumpta est, nempe ex *Lege* 7. *Cod. unde* vi. Nec etiam vel Ecclesiæ Romanæ, vel cujuscumque alterius Ecclesiæ patrimonii Rectoribus & Defensoribus licet, titulos & signa suæ Ecclesiæ imponere possessionibus ab aliis detentis, etsi eas existiment suis Ecclesiis competere: si contra fecerint, eis anathema infligitur, ut usurpatoribus *Can.* 1. *hujus Qu.* Cujus decisio desumpta est ex Jure civili, ex *tit.* nempe *Cod. ut nemini liceat sine judicis auctoritate signa rebus imponere alienis*; in quem vide *paratitla* Cujacii, & *lib.* 16. *Observationum cap.* 12. *& eundem ad Novell.* 17.

In Canone vero 2. ex Concil. Milevit. desumpto Primatis nomen pro Metropolitano accipitur secundum morem Ecclesiæ Africanæ, & in *eo Can.* subobscura hæc clausula sic explicanda, *& ejus literas accipiat &c.* idest, a possessore litteras accipiat, quibus liquido probare possit, se non per vim, sed ex ejus possessoris consensu & voluntate Ecclesiam aut plebem ad se legitime pertinentem recepisse.

Objicit Gratianus omnes *seqq. can.* 3. 4. *&c.* ex quibus nititur probare contrarium, nempe delictum, culpam & factum Episcopi, Rectoris Ecclesiæ, Abbatis vel Monachi non debere in damnum & detrimentum Ecclesiæ vel Monasterii converti: quod tamen contingere videtur in casu *d. Can.* 2. Sed respondendum singulare videri quod in *d. Can.* 2. deciditur, ne occasione perniciosissimi Schismatis, quod eo tempore in Africa spargebatur, ambitiosior & audacior quilibet Episcopus vicini Episcopi plebes & Parœcias præsumeret usurpare. Aut enim addendum per in integrum restitutionem læsis per hujusmodi usurpationes & imminutis Episcopatibus posse subveniri: Certum est enim, sicut Minores vel Tutoris vel Curatoris delictum aut dolus non impedit, quominus per restitutionem redintegrentur, eisque consulatur *toto tit. Cod. si tutor vel curator intervenerit*, ita etiam eadem ratione Ecclesiæ & Monasterio succurretur, quæ Minoribus comparari solent *toto tit. de in integrum restitutionibus extra*. In delinquentis itaque Prælati personam & bona pœna profertur, nec in damnum Ecclesiæ vel Monasterii Episcopi, Clerici, Abbatis vel Monachi delictum convertitur: quod pluribus hujus quæstionis Canonibus confirmatur.

Ad Canonem vero 3. notandum licet morte delinquentis crimen & pœna extinguatur, nec ad heredes transeat; si tamen apud heredem deprehendatur, quæ injuste abstulerit defunctus, heredi auferentur *L. unica Cod. ex delictis defun. in quantum heredes*, *&c.* In *Can.* vero 4. si ex servis Ecclesiæ aliquis damnum dederit, non sicut ex prava consuetudine servus impunitus dimittitur, & ex ejus peculio sarcitur damnum, sed libe-

liberum est Ecclesiæ, vel servum dedere noxæ, vel damnum pro eo præstare: nec enim ultra corpus proprium servi debent esse damnosi dominis *Titulis de noxalibus actionibus ff. & Instit.* Et ita intelligenda sunt verba postrema Canonis, *a commodo eorum abstineatur*, idest a peculio servorum hujusmodi abstineatur, quod nempe Ecclesia retinebit, ut legitur in *integra epist.* Greg. I. 42. *lib.* 1. *Regist. scripta ad Petrum Subdiaconum Defensorem patrimonii B. Petri*: quam potestatem Greg. I. eum admonet accepisse ante sacratissimum B. Petri Apostoli Corpus in *epist.* 70. *ejusdem Libri*, ex qua *Canon* 4. & 5. *hujus Quæst.* desumptus est.

Canonis vero 5. hæc est sententia, Lapsos Sacerdotes vel Levitas aut Clericos in pœnitentiam tradi & in Monasteria retrudi debere; eorumque res & bona prohibet redigi in commodum & utilitatem Ecclesiæ, ne, ut ait, contaminaretur Ecclesia, sed debere adjudicari pauperrimis Monasteriis, in quæ correctionis gratia conjiciebantur. Quod si legitimos parentes haberent, ad eos lapsorum bona pervenire præcipit, deductis tamen, quæ ad lapsorum, qui in pœnitentiam dati fuerant, sustentationem necessaria forent: quod in *eadem epist.* sub finem duobus modis confirmatur. Si vero ex Ecclesiastica familia hujusmodi Sacerdotes, Clerici vel Monachi lapsi forent, jubet pariter in Monasteria retrudi; eorum vero bona in patrimonium Ecclesiæ redigi, in cujus servitute antea fuerant, deductis prius, quæ ad eorum victum necessaria forent. Quod exemplo juris civilis receptum, quo castrensia bona Militum, qui ex delicto militari capitis pœnam patiebantur, ex *constitutione* Adriani non redigebantur in fiscum, sed vel ad heredes legitimos, aut Cognatos usque ad 5. gradum pertinebant; vel si nullos haberent, ad Legionem aut Vexillationem deferebantur *L.* 6. §. 6. & 7. *ff. de Injusto rupto & toto tit. ff. de veteranorum & militum successione & L.* 2. *Cod. de hered. Decurionum*. Episcopos autem, Presbyteros, Clericos, Abbates & Monachos lapsos & depositos pœnitentiæ causa in Monasteria detrudi solere constat tam ex *Can.* 5. & 7. *hujus Quæst. quam ex Can.* 8. 10. & 11. *Dist.* LXXXI. & in *additione* 3. *Capit. Ludovici Pii cap.* 8. *Novell. Justin.* 123. *cap.* 11. & *Novell.* 134. *cap.* 10.

AD QUÆSTIONEM 7.

IN hac Quæst. Gratianus ostendit, nec Abbati, nec Monacho, vel alicui de Clero permitti accipere de manibus Laicorum Episcopatus, Abbatias, Honores & Dignitates, Ecclesias vel Præbendas; imo nec Decimas, Primitias, Oblationes, Possessiones & reditus, quæ ab antiquo ad Ecclesias, aut Monasteria pertinuerint, a Laicis comparare, inconsulto Episcopo: Laicos vero omnino prohiberi Ecclesiarum, Decimarum, & similium jurium Ecclesiasticorum detentionem quocumque modo vel prætextu sibi vindicare. Quod pluribus Canonibus confirmat. Sed ut hæc omnia intelligantur, observandum omnes Ecclesias, earumque possessiones & reditus quoslibet jure communi Ecclesiæ in Episcoporum potestate, in quorum territorio positæ sunt, consistere *Can.* 10. *hac Qu.* quorum officio & prudentia, accedente Cleri consilio, debent distribui secundum Canones. Animarum enim Cura, præbendarum & pecuniarum

rum Ecclesiæ dispensatio debet in Episcopi potestate permanere, nec eo inconsulto per quoslibet Archidiaconos & Archipresbyteros vel Decanos distribui *Can.* 11. *hac Qu.* Dixi *secundum Canones* debere distribui, nempe Ecclesiis, Clericis deservientibus actu in ipsis Ecclesiis, Monachis, pauperibus & aliis miserabilibus personis; non autem Laicis, vel illis Clericis, qui Ecclesiæ sunt inutiles *Can.* 1. & 3. *hac Qu.* Quæ distributio jure veteri Ecclesiæ, ut constat ex Concilii Chalced. *Can.* 21. *hac Qu.* per Oeconomos, sive Vicedominos de proprio Clero, non de Laicis electos procedebat *Can.* 19. 21. & 23. *hac Qu.* Laicis enim quamvis religiosis nulla de Ecclesiasticis rebus disponendi facultas est attributa *Can.* 23. 24. & 25. *hac Quæst.*

Observandum vero in *hac Qu.* plurimos Canones pertinere ad coercendos tres gravissimos abusus, qui in universam fere Ecclesiam irruperant, sæculis quatuor, IX. X. XI. & XII.

Primus abusus turpissimum Simoniæ crimen. Vix enim tribus illis saltem primis sæculis Episcopus, Abbas, Presbyter, aut Clericus absque pecunia aut pretio promovebatur ad Ordines, aut Episcopatum, Abbatiam, Ecclesiam Parœcialem aut Præbendam obtinebat.

Secundus abusus. Imperatores, Reges, Duces, Comites & plerique potentiores Episcopatus, Abbatias, Ecclesias earumque possessiones & reditus more pessimo sibi vindicaverant, & ipsas Ecclesias, Episcopatus, Abbatias conferebant; Episcopos, Abbates per Annulum & Virgam investiebant; ipsosque Episcopos, Abbates, Archidiaconos, Decanos pro arbitrio destituebant, aut instituebant: imo & ex Summis Pontificibus multi ab Imperatoribus investiti & inthronisati, non absque pecunia.

Tertius abusus. Abbates, Monasteria, Capitula & Collegia per speciem pietatis præsumebant a Laicis Ecclesias, Decimas, Oblationes & reliqua sibi jura comparare, auctoritate propria; & aliquando Episcopis inconsultis, pecunia numerabatur: quod præter Simoniæ crimen vergebat in summum præjudicium Episcoporum, & maxime Parœcialium Ecclesiarum, quibus Decimæ, Oblationes & possessiones communi jure competunt.

Ad reprimendos gravissimos hujusmodi abusus, Concilia plurima fuerunt convocata, præcipue vero sub Pontificibus Leone IX. Victore II. Stephano X. Nicolao II. Alexandro II. maxime vero sub Gregorio VII. qui & sub præcedentibus Summis Pontificibus auctoritate plurimum valuerat, ex Monacho Cluniacensi, Hildebrando vocato, Cardinalis Ecclesiæ Romanæ Subdiaconus, Urbano II. Paschali II. Gelasio II. Callisto II. Honorio II. Innocentio II. & sequentibus usque ad Innocentium III. inclusive. Canones autem dictorum Conciliorum, qui ad Simoniam coercendam pertinent, retulit Gratianus accurate in *Causa* 1. *Quæstiones* 7. quibus universa de Simonia variis speciebus materia prolixe tractatur, de qua etiam in *Can.* 3. 9. & 20. *hac nostra quæstione.*

De occupatione vero & invasione Ecclesiarum, & Investiturarum usurpatione ab Imperatoribus, Principibus & Optimatibus, itemque de illicitis acquisitionibus Ecclesiarum, Decimarum & redituum Ecclesiasticorum a Laicis, per Monachos fieri solitis multi Canones referuntur in *Qu.* 2. *supra*, & *hac nostra potissimum Qu.* quorum hæc est sententia, ut nullus Imperator, Rex, Princeps vel alius potentior Laicus dispositionem, seu

 dona-

donationem, aut investituram præsumeret Episcopatuum, vel Monasteriorum, aut Ecclesiarum; alioquin tanquam sacrilegus anathemati subjicitur. Quam in rem observanda summe compositio & concordia inita inter Callistum II. & Henricum V. Imperatorem in Concilio generali Lateran. quod vulgo primum vocant. Qui Henricus, ut & ejus prædecessores, propter invasiones & occupationes supra dictas a præcedentibus Pontificibus in multis Conciliis excommunicati fuerant. Pacis autem conditiones hujusmodi fuerunt, ut Imperator dimitteret omnem investituram per annulum & baculum, sive virgam, & concederet in omnibus Ecclesiis fieri electionem & liberam consecrationem. Possessiones vero & Regalia B. Petri, & quæcumque ablata forent, vel ab Imperatoribus, vel ab aliis Principibus, sive Ecclesiæ Romanæ, sive aliis Ecclesiis restitueret, vel restitui curaret. Summus vero Pontifex Imperatori concedit, electiones Episcoporum & Abbatum Teutonici Regni in præsentia Imperatoris fieri absque aliqua simonia & violentia, ut si qua inter partes discordia emergeret, Metropolitani & Comprovincialium consilio, vel judicio, saniori parti assensum & auxilium præberet Imperator. Electus autem Regalia per sceptrum ab Imperatore reciperet: ex aliis vero partibus Imperii consecratus, infra sex menses Regalia per sceptrum ab Imperatore reciperet. Universam Investiturarum historiam & gravissimas super ea re controversias exposuit Juretus ad *epist.* Ivonis 233.

Præterea iisdem Conciliis Laicis omnibus non tantum Investituræ, sed etiam potestas, jus & dispositio quælibet in Ecclesias, Decimas, Oblationes & omnia bona Ecclesiarum prorsus adempta. Hoc amplius cautum fuit, ne Clerici vel Monachi per manus Laicorum Ecclesias, Decimas & possessiones Ecclesiarum, absque Diœcesanorum Episcoporum consensu, quolibet titulo compararent; idque potissimum ratum & confirmatum fuit quatuor Conciliis generalibus Lateran. habitis sub Callisto II. Innoc. II. Alexandro III. & Innocentio III. Vix enim per plurium annorum spatia illa reformatio potuit introduci; cum scilicet hujusmodi restitutiones Ecclesiarum & Decimarum faciendas Episcopis Diœcesanis, & per eos Ecclesiis, quibus ablatæ fuerant, Canonibus constitutum fuit *Can.* 18. *hac nostra Qu.* & *Can.* 9. Concilii Lateran. sub Alexandro III. *Can.* 2. & 3. *hac eadem Quæst.* cujus auctor est Urbanus II. & *Can.* 5. Concil. Melphitani sub eodem Urbano II. & *Can.* 18. Concilii Lateran. generalis sub Callisto II. quibus constitutum ne Clerici vel Monachi absque Episcopi Diœcesani consensu bona Ecclesiastica aut jura comparent: quod & repetitur in *cap.* 17. *extra de jure Patronatus*, in quo præterea subjicitur, quod si quis Episcopus improbitatis, vel avaritiæ causa consentire noluerit, Rom. Pontif. nuntiandum esse; & quod offerendum est, tunc ejus licentia offeratur.

Observandum vero ex *cap.* 7. *de his quæ fiunt a Prælatis*, &c. Laicos, qui Decimas, in feudum perpetuo datas, Ecclesiis donare cupiunt; ab Episcopis Diœcesanis, quorum consensum esse necessarium diximus, in hujusmodi donationibus monendos esse, ut Ecclesiis ipsis restituant, a quibus profectæ sunt. Quod si forte induci nequiverint, si accedat Diœcesani consensus, alteri Ecclesiæ, vel Monasterio poterunt assignari: & in hoc articulo solius Episcopi consensus sufficit absque Cleri vel Capituli con-

consensu. Quinimo pleraque Monasteria a Summis Pontificibus emendicabant privilegia, quibus absque consensu Episcoporum Ecclesias & Decimas a Laicis acquirere valerent. Nec obstat *cap.* 1. 2. & 3. *extra de his quæ fiunt a Prælatis*, & *cap.* 2. & 7. *extra de donationibus*, in quibus non tantum Episcopi, sed etiam Capituli consensus requiritur in donationibus, vel alienationibus rerum Ecclesiæ. Nam in illis Capitulis agitur de alienationibus rerum Ecclesiasticarum, quarum plenissimum jus, arbitrium & possessio remanet penes Episcopum & Capitulum, & quæ non detinentur a Laicis. Nec obstat *cap. unicum de jure Patron. in* VI. nam, ut titulus indicat, longe est alia causa Juris Patronatus, quod jure Canonico Laicis competere potest, quam occupationis illicitæ rerum Ecclesiasticarum a Laicis factæ; ideoque admissum facile, ut Laici Jus Patronatus sibi competens, etiam absque consensu Episcoporum aut Ecclesiis, aut Monasteriis donarent, aut concederent *cap. unico de Jure Patronatus in* VI.

Præterea notandum quod dicitur in *Can.* 2. *hujus Quæst.* nullum suscipere debere habitum Monachi, spem vel promissionem habentem, quod Abbas fiet. Quod confirmatur Concilio Rom. sub Nicolao II. & Concil. Tolosano sub Urbano II. & *cap.* 37. *extra de Electione.* idque tanquam ambitiosum rejicitur & contra regulas, quibus Abbates ex professis tantum & exercitatis in regula debent eligi.

Quatuor vero postremis Canonibus quædam ad Monachos & Monasteria pertinentia statuuntur. Et quidem *Can.* 40. ne Reges aut potentiores Monasteria in jus proprium transferre, vendere, vel commutare valeant, nisi cum alio Monasterio: *Can. vero* 41. statuitur in alium opportuniorem locum Monasteria non posse transferri ab Abbate, nisi cum Episcopi & fratrum consilio, relicto in antiquo Monasterio aliquo Presbytero ad Ecclesiæ ministeria obeunda. Et *Can.* 42. qui sumptus est ex *Can.* 7. Concilii Cabilonensis II. sub Carolo Magno, statuitur ut si qui machinationibus & dolis circumventi per avaritiam ab Episcopis vel Abbatibus, comam deposuerint, & se suaque Monasteriis tradiderint, Abbates quidem & Episcopi pœnitentiæ Canonicæ subjiciantur; res vero per fraudem & dolum ereptæ, legitimis heredibus restituantur. Hoc enim tantum, quod quisque Deo juste & rationabiliter de rebus suis offert, firmiter Ecclesia tenere debet, sicut in integro *Can.* dicitur, & iterum reperitur idem *Canon infra Causa* XX. *Qu.* 3. *Can. ult.* In *Can.* vero *ult.* de Abbatis electione agitur, quæ vel post mortem, vel post renuntiationem legitime factam fieri debet communi totius Congregationis consilio: quo neglecto solus Abbas non potest alium ex proximis, vel amicis sibi substituere.

Canones hujus *Quæst.* qui referuntur a *Can.* 26. usque ad 39. non pertinent ad statum Regularem, sed ad Jus Patronatus, quod regulariter per fundationem, vel dotationem acquiritur Laicis aut Clericis, quibus Jure Patronatus competit jus nominationis, sive præsentationis in hujusmodi Ecclesiis. Et hic est casus singularis, quo Ecclesia ex æquitate & utilitate publica Laicis aliquam in ordinandis Ecclesiis potestatem, conniventibus oculis, indulsit contra jus commune, quo Laicis omnem de rebus Ecclesiasticis statuendi potestatem interdictam fuisse initio *hujus Qu.* diximus. *Hi Canones explicantur tractatu seq.*

ximus. Sed quoniam hæc materia alienior est, in præsens omittemus.

Canon 2. *hujus Qu.* editus fuit in Concil. Claromontensi sub Urbano II. an. Christi 1095. mense Novembri, cujus sententia pertinet ad ea, quæ diximus de consensu Episcoporum necessario in acquisitionibus Ecclesiarum, Decimarum & possessionum, quas Monasteria passim a Laicis comparare solebant, & sæpissime Episcopi consensu non adhibito. In hoc vero *Can.* singulariter & dispensative constitutum contra regulam, ut quidquid de Ecclesiasticis rebus a Laicis Monachi nacti fuissent ante dictum Concilium, firmiter in posterum retinerent pro bono pacis & concordiæ; sed in posterum districtissime prohibitum, ne inconsultis Episcopis, aliquid hujusmodi acquirant. Pleniorem *d. Can.* 2. explicationem & simul Concil. Claromontensis sub Urbano II. Historiam & Canones illustravit doctissimus Petrus de Marca in lib. de Primatu Lugdunensi.

AD QUÆSTIONEM I. ET 2.

Causæ decimaseptimæ.

QUÆRIT in his duabus Qu. Gratianus, utrum ille, qui voverit vitam monasticam, a voto recedere valeat, & utrum beneficium Clerico restituendum sit, quod prius libera voluntate refutaverat, idest resignaverat, cum in eo foret proposito, ut Monachus fieret, imo & promisisset, ut in specie *Can.* 1. *Qu.* 2.

Ad utramque Quæstionem decidendam, observandum primo certissimum esse vota rite & canonice concepta jure divino obligare & astringere: nec enim Deo semel fides data irrita fieri debet. Diximus *vota rite & canonice concepta*. Secundum autem Canones requiritur certa ætas, circa quam definiendam variaverunt sæpe Canones, ut plenius dicemus ad C. xx. Hodie indistincte & in masculis & in fœminis ætas sexdecim annorum impletorum requiritur, itemque annus probationis impletus, post quem professio publice in manu Superioris, ex scripto, solemniter emitti debet; alioquin nulla in omnibus erit professio *cap.* 15. & 17. *Conc. Trid. de Regular. sess.* 25. quo jure utimur.

Quod ad tempus probationis variatum diximus. Non enim tantum annus, sed triennium aliquando desideratum fuit, quod in veste laicali & habitu communi Novitius implebat, ut constat ex *Can.* 3. *Qu.* 2. qui desumptus est tam ex *Novella* 5. Justiniani *cap.* 2. quam ex *Novella* 123. *cap.* 33. Quod & confirmari potest *Can.* 5. Syn. Constantin. primæ-secundæ & pluribus aliis locis. In communibus autem & laicalibus vestibus probationem olim factam confirmat apertissime *cap.* 58. Regulæ sancti Benedicti; ubi ait *Mox ergo* (postquam scilicet probationis annus peractus fuerit) *in Oratorio exuatur rebus propriis, & induatur rebus Monasterii;* & in *Can.* 6. Conc. Aurelian. V. itemque in *additione* 1. *Capit. Ludovici Imperat. tit.* 34. *Expleto autem probationis suæ anno, secundum quod regula præcipit, inde faciet: ipse vero non tondeatur, nec vestimenta pristina immutet, priusquam obedientiam promittat*. Debet autem fieri professio sponte & absque ulla vi, coactione, suggestione, aut inductione, in manibus Abbatis *can.* 1. *Qu.* 2. & *Can. ult. Causa* xx. *Qu.* 3. De promissione autem sua petitionem

nem facere debet, Abbate præsente, coram omnibus, de stabilitate sua, conversione morum, & obedientia coram Domino & Sanctis ejus, eamque petitionem manu propria scribere & subscribere, vel si nesciat literas, ab alio scriptam, aliquo signo facto comprobare, & manu propria super altare ponere *d. capitulo* 58. Regulæ sancti Benedicti. Ecclesia enim in Actibus omnibus scripturam desiderat *cap.* 1. *extra de libelli oblatione*. Arnulphus Lexoviensis *epistola* 13. *nosse siquidem debes in eo, qui Religionem professus est, inobedientiam crimen esse, ipsumque ad sanctissimam diligentiam teneri, qui obedientiam Prælato suo, viva voce & scripto, juramento etiam corporaliter interveniente, adhibita sanctæ Crucis impressione, signavit*. Quæ omnia brevissime continent sententiam *Canonum* 1. & 2. *Qu. hujus Causa*, & explicant liquido voti solemnis formam & conceptionem: quod etiam confirmatur *cap.* 1. 6. 8. 11. 13. 17. 20. 21. & *ult. extra de Regularibus & transeuntibus ad Religionem*. Hujusmodi autem voti solemnis ea vis est & effectus, ut nullo casu & prætextu ab eo liceat recedere: quod confirmatur *Canonibus hujus Qu.* 1. & 2. & iterum *Causa* xx. *Quæst.* 3. *per totum*.

Nec obstat *Canon* 2. *hac Quæst.* 2. desumptus ex Sancti Augustini *epist.* 70. ad Bonifacium Comitem, qua definitur *etiam post propositum continentiæ, uxorem ductam non posse dimitti*. Sed respondemus propositum Bonifacii Comitis de continentia & vita monastica amplectenda, de quo in *d. epistola*, multum differre a voto solemni. Nec enim ulla probatio vel professio scripta, vel non scripta apud Superiorem solemniter emissa fuerat, ut ex *integra epist.* colligitur. Et simile fuit illud propositum illi, de quo in *Can. Gonsaldus hac Qu.* 2. & ut loquamur verbis Theologorum & Canonistarum, votum tantum simplex fuit. Quod si quis instet, etiam post qualecumque votum Virginitatis, contractum Matrimonium valere, nec dissolvi posse ex *Can.* 2. & 3. *Dist.* 27. quorum auctor Sanctus Augustinus & Theodorus Cantuariensis. Resp. illam sententiam ab Ecclesia rejectam fuisse, & contrariam fere omnium Patrum prævaluisse *Can.* 1. 4. 5. 6. *d. Dist.* XXVII. & *tota Dist.* XXVIII. potissimum vero plerisque *Canon. Qu.* 1. *Causa* XXVII. Ex quibus Canonibus veteres & novi Doctores solemnis & voti simplicis differentias deduxerunt, quas Summi Pontifices passim constitutionibus suis confirmaverunt; tandemque propter varias controversias super ea distinctione sæpius exortas Bonifacius VIII. in *cap. unico de Voto in* VI. saltem quantum ad dirimendum Matrimonium pertinet, votum solemne accuratius ita definivit, *quod solemnisatum fuerit, aut per susceptionem sacri Ordinis, aut per professionem expressam vel tacitam factam de Religionibus per sacram Sedem approbatis*. Reliqua omnia vota, licet manifestius expressa, impediunt quidem contrahendum Matrimonium, sed semel contractum non dirimunt. Pro voto tamen non completo, imponetur pœnitentia. Addendum his, quæ diximus de voti solemnis conceptione & ejus effectibus, & de voti non solemniter concepti inutilitate *cap.* 15. & 17. *sess.* 25. *de Regularibus* Concilii Trid.

Ad Canonem vero *Gonsaldus* 1. *Qu.* 2. Notandum Renuntiationem, sive Resignationem Beneficii factam a Presbytero, qui voto simplici Monachum se promisit fieri, in manibus Ordinarii peragendam esse, non autem in manibus Advocati sive Patroni, maxime si Laicus sit. Advocati enim

enim & Advocationis nomen pro Patrono & pro Patronatu sæpe in Libris nostris accipitur. Alioquin aliter facta Renuntiatio sive resignatio erit inutilis & irrita: & nihilominus qui non rite renuntiavit, retinet beneficium. Quam in rem singulare est *cap.* 8. *de Renuntiationibus:* est enim Renuntiatio actus legitimus, qui causa cognita, in jure pure & simpliciter fieri debet; aliter facta pro non facta habetur. Si tamen cognita causa vel ab eo, qui sui judicii & mentis compos fuerit, in manibus Ordinarii renuntiatio facta fuerit, vel si consenserit Ordinario conferenti, sive post sive ante professionem expresse aut tacite factam, Renuntiatio sive Resignatio valet. Alioquin beneficium illius, qui Religionem ingreditur, non est intra annum probationis alicui conferendum, sed interim per alium idoneum deservietur, assignata de proventibus portione congrua *cap.* 4. *de Regularibus in* VI.

Ad Quæstionem 3. et 4.

Constat ex his omnibus, quæ supra diximus, post voti solemnis nuncupationem sive professionem, quam in scriptis fieri debere probavimus supra, & jure nostro *art.* 55. *Ordinationis Molinensis & la Declaration ensuite*, Monachis aut Sanctimonialibus non licere amplius recedere & ad sæculum reverti, ne quidem cum Abbatis, aut Abbatissæ licentia: ac per consequens bona, quæ contulerint in Monasterium professi, quamvis accedente Superiorum consensu, recipere non debent, sed in perpetuum apud Monasterium, cui legitime acquisita fuerunt, debent remanere. Nec enim ea, quæ semel Monasterio quæsita fuerunt, permittitur Abbati alienare; quod tamen eveniret, si contra Canones, quæ semel in Monasterium intulerit Monachus aut Sanctimonialis, ei restituantur. Quod quidem adeo late a Justiniano in favorem Religionis acceptum fuit, ut si qui Monasterium ingreditur, nihil de bonis propriis & facultatibus expresserit, tacite & per consequentias professionis se & omnia bona dedicasse Monasterio præsumatur; adeo ut omnem in posterum de illis statuendi facultatem amittat: quoniam non amplius ejus propria, sed ipsius Monasterii intelliguntur. Excipitur tantum casus, in quo si liberos habeat, de suis inter eos facultatibus disponere potest, sicut plenius exprimitur in *Novell.* 5. *cap.* 5. 6. & 7. & *Novell.* 76. & 123. *cap.* 38. quo jure Ecclesia diu fuit usa. Moribus tamen nostris admissum non est, ut tacite per ingressum solum Religionis intelligantur viri & mulieres non tantum corpus & animam, sed etiam substantiam & bona, de quibus non expresse caverint, dedicare Monasterio quod ingrediuntur. Quinimo prudentissime antiquioribus regulis constitutum, ut qui Monasterium ingreditur, in illud de propriis facultatibus nihil inferret, sed prius bona, si qua suppeterent, vel heredibus legitimis, vel pauperibus erogaret pro arbitrio suo ante professionem *tit.* 65. Concordiæ Regularum Sancti Benedicti Abbatis Anianæ *cap.* 15. & 20. in quo hæc ratio redditur, *ne confidentia hujus oblationis dedignetur pauperibus se fratribus coæquare*; aut certe si susceperint, cautius per multum tempus prudenti consilio servare debent. Nam multis experimentis frequenter perhibitum, quosdam susceptos eorum, quæ secum detulerant, & quæ jam in Dei opere fuerant

rant dispensata: tepefactos postea non sine injuria Monasterii; sacrilego spiritu, ingenti blasphemia repetiisse: quod ex Cassiano desumptum est in fine anni 400. *lib.* 4. *de Institutis Renuntiantium cap.* 4. eademque ratione nititur *Canon penult. Causa* XVI. *Qu.* 7. *qui & reperitur in can. ult. Quæst.* 3. *Causa* XX. Ubi si per avaritiam Episcopi vel Abbates quoslibet homines circumveniendo eos totonderint, qui illecti professi sunt, manent in Clericatu vel in Monasterio; res vero eorum, quas tali occasione surripuerunt, eorum heredibus restitui jubentur. Unde merito ad finem *Canonum penult. & ult. hujus Qu.* 4. Gratianus notavit, laudabilius esse, si sibi sua non dico reddantur (qui nempe e Monasterio recedit sive ante sive post professionem) sed auferri sinantur, quam gravius aliquid ab eo in proprium, vel Monasterii periculum & injuriam inferatur. Postremo in Concilio Tridentino *Can.* 17. *de Regular. sess.* 25. constitutum, ut recedentibus ante possessionem, quæ sua fuerant, licet antea quocumque titulo donata fuerint Monasterio, restituantur: post professionem vero hujusmodi donationes & liberalitates omnimodo conservantur Monasterio, licet ab eo recedant. Postea tandem Regum nostrorum constitutione, quæ plane convenit cum Canonibus antiquis, de quibus supra diximus, generaliter tam Monachis quam Sanctimonialibus prohibetur, donationes vel liberalitates in Monasteria conferre directe vel indirecte, in quæ ingrediuntur, vel quæ sunt ejusdem Ordinis: admissæ tantum fructuariæ pensiones, quæ cum vita donantium extinguuntur ex auctoritate rerum judicatarum.

Occasione vero rapta, in hac ipsa *Quæst.* de rerum Ecclesiarum alienatione breviter tractatur, quam certum est interdictam Prælatis omnibus, extra certas causas legitimas, & non servatis solemnibus (alioquin irritæ sunt & inutiles), & in crimen sacrilegii incidere Prælatos, qui non rite alienare dicuntur *Can.* 1. 2. 3. 4. & 5. & iterum *Can.* 12. 13. 15. 39. 40. & 41. Et quidem 40. *can.* qui desumptus est ex Concilii Agathensis *Can.* 56. statuitur ut quod ab Abbatibus venditum est sine notitia Episcopi, ad Episcopi potestatem revocetur; & mancipia Monasterio donata non posse ab Abbate manumitti. Donationis enim quædam species est manumissio: & hæc elegans ratio subjicitur. *Injustum enim putamus, ut Monachis quotidianum opus rurale facientibus, servi eorum libertatis otio potiantur. Can.* vero 41. Greg. I. constituit Abbatis, qui Episcopo Diœcesano sub prætextu fabricandæ Ecclesiæ possessionem aliquam largitus fuerat, donationem valere tantum intra ambitum ædificatæ Ecclesiæ: quicquid vero extra ambitum Ecclesiæ superérat, ad jura Monasterii revocari debere. Notissimus vero est *Canon ult.* ex B. Augustini *sermone* 2. *de vita Clericorum*, non debere Ecclesiam suscipere, quæ exheredato filio, pater ei reliquerat; ut & generaliter, si cum pater Liberos non haberet nec speraret, res suas omnes retento usufructu donasset Ecclesiæ, hujusmodi donationem, quamvis in gratiam Ecclesiæ factam, supervenientibus postea Liberis irritam faciendam. Quod quidem in omnibus donationibus quibuscumque personis factis habet locum ex celebri *Constitutione* Constantini *Lege si unquam Cod. de Donationibus revocandis*, per quam sicut testamenta, licet rite facta rumpuntur agnatione liberorum; ita & donatio inter vivos ipso jure revocatur. Nec crediderim opus esse spe-

ſpeciali revocatione donatoris: verba quippe & auctoritas Conſtitutionis abſque ullo facto donatoris, ipſo jure reſcindunt donationem, ut quicquid largitus fuerat, totum revertatur, in ejuſdem donatoris arbitrio ac ditione manſurum: quod & Gloſſa ad ea verba notat.

Nec obſtat quod dicitur in fine *hujus can. in poteſtate habebat Epiſcopus non reddere*, *ſed jure fori*, *non poli*. Vel enim ſanctus Auguſtinus ad jus antiquum & commune reſpexit, quod ante *Legem ſi unquam* obtinebat: aut ſane Legem generalem contra Eccleſiam non habere locum exiſtimavit, *arg. L.* 34. *§. exceptis*, *& L.* 35. *in fine Cod. de Donat. & L. decernimus Cod. de ſacroſ. Eccleſiis:* aut certe prolixior fuerat conſtitutio illa, & in ea aliquid in gratiam Eccleſiarum additum; quod cum hodie in *d. Lege* non extet, Eccleſia jure communi in hoc articulo uti debet.

Hactenus explicavimus Canones, qui propius ad materiam, quam tractavimus, accedunt: reliqui pertinent vel ad jus immunitatis & aſylorum, quod confugientibus ad Eccleſias, cœmeteria, vel Monaſteria Legibus Imperat. & Regum Chriſtianorum conceſſum fuit; vel ad pœnas, quæ interficientibus aut verberantibus Clericos vel Monachos Legibus & Canonibus impoſitæ fuerunt.

De Jure immunitatis & pœnis, quæ Canonibus & Legibus imponuntur illis, qui tanquam ſacrilegi confugientes ad Eccleſias vel Monaſteria abſtrahunt, nullo dato Sacramento illis, qui præſunt Eccleſiæ vel Monaſterio, de immunitate, ideſt confugientem ad Eccleſiam, nec in vita, nec in membris ullam pœnam corporalem paſſurum, agitur a *can.* 6. *hujus Qu.* 4. *ad* 12. & iterum *can.* 19. 20. 21. *& can.* 32. 34. 35. *&* 36. qui Canon in eam rem digniſſimus notatu; rem quippe totam explicat, & deſumptus eſt ex Concilii Aurelianenſis I. *can.* 3. *&* 5. quibus a Gratiano adjunguntur merito *can.* 37. *&* 38. de ſervis, qui confugiunt ad Eccleſias, quomodo, & quibus conditionibus propriis dominis reſtituendi ſint: quod & *can.* 32. 33. *&* 34. plenius explicatur. Quod vero ait *canon* 36. Legem Rom. de confugientibus ad Eccleſiam conſtituiſſe: intelligit Leges, quæ continentur in *Cod. Theod. ſub tit. de his qui ad Eccleſias confugiunt lib.* 9. *tit.* 45. ex quo pleraſque Leges Juſtinianus tranſtulit in *titulum* 15. *lib.* 1. *Codicis de his qui ad Eccleſiam confugiunt*, *& ne quis ab Eccleſia abſtrahatur*, *juncta Lege* 22. §. 1. *Cod. de Epiſc. & Clericis*, *& Novell.* 17. *cap.* 7. qua cautum, homicidas, adulteros & virginum raptores (idem de gravioribus criminibus dicendum) aſylorum jure non eſſe defendendos, ut nec publicos vel privatos debitores; ſed inde omnimodo abſtrahendos, vel pœnis legitimis ſubjiciendos, vel ad ſolutionem publici vel privati debiti compellendos. Quoniam autem cum armis ſæpe ad Eccleſias confugiebant, & ne abſtraherentur armorum potius præſidio, quam reverentia & loci religione ſe defendebant; res ad arma & cædes ſæpiſſime deveniebat, & ipſi Clerici aliquando vulnerabantur & occidebantur *Lege* 3. *&* 4. *Cod. de his qui ad Eccleſiam confugiunt*, *can.* 7. 19. *&* 22. & Gratianus ad *can.* 29. *hujus Qu.* 4. inde ſumit occaſionem Gratianus tractandi de interfectoribus & percuſſoribus Clericorum & Monachorum, qui ex dictis Can. generaliter pœnam ſacrilegii incurrere dicuntur, excommunicationis & anathematis; & in aliquibus caſibus etiam Legibus Principum, ſacrilegorum pœnam incurrebant,

bant, *L. si quis in hoc genus sacrilegii* 10. *&* L. 13. *Cod. de Episc. & Clericis*. In supradictis vero Canonibus præter pœnas Ecclesiasticas, depositionis, excommunicationis & anathematis, vel pœnitentiæ, referuntur pœnæ quædam, sive emendationes, satisfactiones & compositiones introductæ ex veteribus Constitutionibus Francorum & Germanorum, & ex Capitularibus Regum nostrorum, quæ Conciliis probatæ fuerunt, quamvis incognitæ Jure Romano: dictis autem Constitutionibus tam Francorum, quam aliorum populorum & gentium, quibus Imperium Romanum tandem in prædam magna ex parte cessit, certa pœna pecuniaria præfiniebatur, sicut constat *can.* 14. 16. 20. 21. 25. 26. *&* 27. *hac nostra Quæst.*

In *can.* vero 14. *&* 26. illa compositio, sive satisfactio, & emendatio appellatur *Wiregeldus*, qua voce significatur pretium redemptionis, sive emenda & satisfactura, quæ debetur vel ei, qui damnum & injuriam passus, cæsus, verberatus, aut occisus est; aut ejus liberis, Uxori, heredibus, vel his, ad quos pertinet, v. g. si Presbyter interfectus fuisset, ex *can.* 3. *&* 4. Concil. Triburiensis sub Arnulpho, Wiregeldi sive compositionis tripartita est divisio; pars una altari, cui ordinatus fuerat; pars altera Episcopo, in cujus erat Diœcesi; tertia parentibus, de quibus ortus est: unde fluxit origo *de l'interest public*. Præter autem hujusmodi satisfactionem fisco mulcta, sive certa compositio solvebatur. De pœnis vero pecuniariis adversus percussores & interfectores Clericorum constitutis primum a Carolo Magno, & postea a Ludovico Pio in Concilio apud Triburim, vide Tom. 2. Concil. Galliæ pag. 445. & *can.* 21 27. *&* 28. *hac Qu.* 4.

Observandum vero moderatius puniri & *simplici emendatione*, ut dictæ Leges loquuntur, qui Presbyteros & Clericos, multoque magis Monachos, Laicalibus vestibus indutos verberaverint, vel occiderint: si autem in habitu, quem ferre præcipiuntur, verberentur aut occidantur, triplici emendatione *can.* 25. *hac Qu.* 4. *& cap. ult. de vita & honestate Clericorum, juncto cap.* 4. *de Sentent. excommunicat.* Eademque ratione si sine Literis Episcopi Diœcesani Clerici vel Monachi proficiscuntur, sibi debent imputare, quod non Clerici vel Monachi esse putentur *L.* 22. *si quis per calumniam Cod. de Episcopis & Clericis*, *& cap.* 9. *extra de Clericis conjugatis*. Postremo Innocentius II. in celebri *can. si quis suadente* 29. *hac Qu.* 4. constituit, ut si quis in Clericum vel Monachum violentas manus injecerit, anathematis vinculo subjaceat ipso facto, & ut vulgo loquuntur, incidat in Canonem latæ sententiæ, & præterea non possit ab ullo Episcopo absolvi, antequam Summo Pontifici se præsentaverit, ejusque mandatum susceperit. Excipitur, nisi mortis periculum immineat: tunc enim ut in reliquis atrocissimis criminibus cuilibet Presbytero absolutio permittitur: huic tamen Canoni plurimas exceptiones subjicit Glossa ad *d. can. si quis suadente*, quarum pars maxima desumitur ex *cap.* 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 9. 10. 11. 17. *extra de sentent. excommunicationis*.

Ad Quæstionem I.

Causa XVIII.

Quærit in *hac Qu.* 1. Gratianus, utrum Monacho ad Episcopatum promoto, Monasterium, quæ ab hujusmodi Episcopo acquisita fuerint, petere possit; vel utrum Episcopalis Ecclesia, cui intitulatus fuerit Episcopus, sibi possit vindicare, quæ quondam Monachus existens Monasterio tradiderit. Decidit quæstionem, allato *unico Can.* qui in Concilio Germaniæ apud Altheum in Moguntino Episcopatu convocato, & præsente Imper. Conrado celebrato, extat ordine 36. cum quo jungendum est *cap.* 1. *extra de successione ab intest.* quod ejusdem Concilii est ultimum, sicut constat ex subscriptionibus ei subjectis apud Burchardum *lib.* 1. *cap.* 227. *&* 231. Dicti vero Can. nostri hæc est sententia, Monachum per promotionem ad Episcopatum à jugo regulæ monasticæ & professionis absolvi, proindeque capacem fieri Monachum hereditatis paternæ & bonorum sibi quærendorum. Quæcumque tamen post Episcopatum acquisierit, tenetur Ecclesiæ restituere, cui intitulatus fuerit Episcopus; quæ vero ante Episcopatum acquisierit, vel habere visus fuerit, ut recte loquitur Canon (nihil enim proprium Monachus habere potest) Monasterium sibi vendicabit, quæ est secunda pars.

Ad primam vero partem notandum ex ejusdem Concil. *can. ult. relato in cap.* 1. *de successionibus ab intestato*, ita distinguendum esse, ut si quid aliunde quam ab Ecclesia Episcopus, Presbyter, vel Clericus obtinuerit, ei liceat, quibus libuerit vel Ecclesiæ cuilibet, vel consanguineis suis, vel amicis largiri: si vero non donaverint, vel reliquerint, intestatorum hereditates & bona ad Ecclesiam pertinebunt, qui ordinati sunt Episcopi vel Clerici. Excipit Glossa, nisi consanguineos habuerint, quos quidem recte ait Ecclesiæ præferri ab intestato ex *can. ult.* XII. *Qu. ult.* desumpto ex Concil. Triburiensi sub Arnulpho; etsi Triburiense Concil. constet esse antiquius *d. cap.* 1. *de successoribus ab intestato:* nempe habitum fuit circa annum 896. dictum vero *cap.* 1. est ex Concil. habito circa annum 916. quod posterius est, & quo in gratiam Ecclesiarum emendatum fuit, quod priori Triburiensi statutum fuerat, sicut integer Canon indicat apud Burchardum, ibi*: donare eis liceat, cui voluerint, dum vivunt, vel consanguineis vel amicis &c.* quæ verba ideo Gregorius IX. omisit in *d. cap.* s. quia jus vetus prævaluerat, & æquius visum fuit, & desumptum est ex jure civili *L.* 42. §. 2. *Cod. de Episcopis & Clericis*, *& Novella* 131. *cap.* 13. ex qua dictus Canon Concilii Triburiensis descriptus est, quo constitutum, ut in bonis, quæ aliunde quam ab Ecclesia vel ejus occasione obvenerint, si Episcopi vel Clerici decesserint intestati, præferantur Ecclesiis heredes legitimi. Quod si ab Ecclesia, vel occasione Ecclesiæ fuerint acquisita, de iis statuendi, præterquam moderate in pias causas, eis adimitur potestas; sed remanere debent penes Ecclesiam, cum aliquibus tamen temperamentis *toto tit. de peculio Cleric. & cap.* 1. 2. 7. 8. 9. 12. *extra de testam.*

Moribus vero nostris indistincte Episcopis & Clericis, etiam si ut in specie *nostri can.* Monachus factus sit Episcopus, liberum erit in quoslibet vel

vel donationibus inter vivos, vel ultimis voluntatibus relinquere; & si decesserint ab intestato, non Ecclesia, sed eorum proximi & legitimi heredes ad successionem admittentur.

AD QUÆSTIONEM 2.

IN hac 2. *Qu.* quamvis Gratianus unicam hanc quæstionem proponat, an per Episcopum Abbas sit eligendus, an tantummodo a propriis fratribus sit instituendus; generaliter tamen tractavit in ea de Episcoporum in Abbates & Monachos auctoritate & potestate, itemque in Monasteria atque Monasteriorum bona & reditus. Præterea inseruit quosdam Canones de Sanctimonialibus eorumque disciplina, nempe *Can.* 11. 21. 22. *usque ad* 25. inclusive.

Quod ad 1. *Qu.* attinet, sicut constat ex plerisque *Can. hujus tit.* Episcopos ab antiquo in omnes Ecclesias & Clericos & in bona & jura Ecclesiarum liberam & plenam habuisse potestatem & administrationem, antecedente tamen Cleri & Presbyterii sui consensu; ita & in Abbates, Monachos, Monasteria eorumque bona & reditus, sæpissime Abbates instituisse, indignos causa cognita removisse, regulas & institutiones Monachorum probavisse, confirmasse, emendasse, causa tamen cognita, & legitimis in ea re Conciliis habitis. Quæ quidem antiqua Episcoporum potestas Concilio Chalced. confirmata fuit *Can.* 4. & 8. & VII. Synodi *Can.* 13. 14. 17. quæ Concilia & Canones legibus Imperatorum confirmantur *Novella* 131. *cap.* 1.

Quod ad Abbatum vero electionem attinet, jure civili & canonico variatum fuit. Et quidem aliquando a Diœcesanis Episcopis electi & præpositi fuerunt Abbates: sæpius vero obtinuit fere in omnibus locis, ut congregationi Monachorum permitteretur electio; confirmatio vero & benedictio Electi pertineret ad Episcopum, in cujus diœcesi positum est Monasterium: cui est etiam permissum rejicere indignum Abbatem *Lege* 47. *Cod. de Episc. & Clericis*, & *Novell.* 123. *cap.* 34. Unde in Regula sancti Benedicti *cap.* 4. §. 1. *Quod si etiam omnis Congregatio vitiis suis, quod quidem absit, consentientem personam pari consilio elegerit, & vitia ipsa ad notitiam Episcopi, ad cujus diœcesim pertinet locus ipse, vel ad Abbates, aut Christianos vicinos claruerint, prohibeant pravorum prævalere consensum, sed domui Dei dignum constituant dispensatorem.* Ad quam regulam B. Benedicti vide concordiam regularum B. Aniani Abbatis *cap.* 4. *de ordinando Abbate.* Et hic juris progressus necessarius est ad veram conciliationem Canonum hujus *Qu.* qui manifeste pugnare videntur, & maxime Canon 1. qui sumptus est ex Concilio Toletano IV. *Can.* 50. cum *can.* reliquis hujus *Qu.* quibus sæpissime indulta Monachis libera electio Abbatis, & dispensatio bonorum Monasterii. Quas duas exceptiones ad illam summam potestatem Episcoporum temperandam solebant Principes & Proceres in fundationibus Monasteriorum fere semper subjicere, earumque confirmationem a Regibus, Episcopis Diœcesanis, & tandem a Summis Pontificibus impetrare. Vel etiam ultro & sponte Episcopi Diœcesani religionis augendæ & amplificandæ gratia, vel in ipsa fundatione, vel post unda-

fundationem, ex mera liberalitate, Conciliis in eam rem convocatis, & populi consensu adhibito, & liberam electionem, & bonorum Monasterii administrationem concedebant, & jura Episcopalia remittebant; aliquando certa pensione, aut censu retento, & ut loquuntur Canones, certis juribus, eulogiis, & servitiis sibi nominatim reservatis, ut constat ex his, quæ Gratianus notavit ad *canon.* 29. *& ult. hac nostra Qu. juncto can.* 124. C. 1. *Q.* 1.

In reliquis, quæ ad Sacramentorum collationem, reformationem & jurisdictionem pertinebant, plena & illibata remanebat in Monachos & Monasteria Episcoporum potestas, quæ Episcopis specialiter in antiquis exemptionibus & privilegiis solet conservari; scilicet emendatio, disciplinæ correctio, & animadversio in Abbatem & Monachos, jus visitandi & exhortandi & corrigendi semel, vel sæpius in anno, potestas admittendæ renunciationis Abbatis, permissio ædificandi nova Monasteria & cellas, & similia, quæ referuntur in *can.* 8. 10. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. & potissimum 28. & 29. Quæ omnia solent Interpretes sub generali nomine Legis jurisdictionis comprehendere Aiunt enim Monasteria esse obnoxia & subjecta Episcopis Lege jurisdictionis tantum, non autem Lege Diœcesana teneri. Quam distinctionem inter Legem Diœcesanam & Legem jurisdictionis introduxerunt contra mentem Canonum, tam ex supra citatis Canonibus, quam ex *can.* 1. x. *Causa. Qu.* 1. ad quem Glossa Joannis Hugutionis, vel Teutonici, qui primus auctor fuit illius distinctionis; quibus adde *Can. inter cætera* x. *Qu.* 3. ibi. *Monasteriorum tamen Basilicis ab hac solutionis pensione sejunctis*: & *can. Cum pro utilitate* 34. XVI. *Qu.* 1. *& can.* 42. XVII. *Qu.* 4. qui Canon est pars ult. *can.* 5. ejusque præcipul *hujus Quæst. nostræ*: quem Canonem licet Ivo in decreto & Gratianus, quos passim omnes sequuntur, & ipse Baronius tribuant Concilio cuidam Lateran. habito sub Greg. I. indictione 4. esse tamen suppositititium & commentum otiosi cujusdam Monachi alias probavimus, qui ex epistolis variis Gregorii I. maxime vero ex *ep.* 18. *lib.* 7. *Regist.* scripta ad Marinianum Ravennatensem Episc. contexuit fictum illud Concilium. In qua *epist.* continebatur speciale privilegium Monasterii sancti Joannis & sancti Stephani in Classitana civitate prope Ravennam; occasione cujus epistolæ Gregorii & aliarum similium, quæ singularia privilegia quædam continent in gratiam quorumdam Monasteriorum, generale & commune omnibus Monasteriis fabricavit privilegium in illo imaginario Concilio. Evidens argumentum falsi præbet liber Registri confecti sub indictione 4. in quo non reperitur illud Concilium. Præterea inaudita quædam privilegia in eo referuntur, ut nempe ab omnibus canonicis juribus & Episcopali jurisdictione Monasteria omnia forent exempta; quamvis in supra citatis Gregorii *epist.* & *Canonibus* supra relatis in *hac Qu.* quorum etiam quidam auctorem habent Greg. I. nominatim constituatur jurisdictioni & moderamini Episcopali obnoxia esse Monasteria. Et ad *can. penult. & ult.* adversus clausulam postremam ficti illius Concilii, recte notat Gratianus, Monasteria non fuisse exempta canonicis omnibus juribus. Nec ullum Concilium unquam fuit habitum, in quo generaliter omnia Monasteria a jurisdictione Episcopali libera declarentur. Quinimo

Differtat. in cap. Auditis de Præscript. cap. 2.

imo exceptis his, quæ specialiter remissa fuerunt privilegiis, & quibusdam Conciliis particularibus; in reliquis omnibus, ut diximus, integra & illibata mansit auctoritas Episcoporum, maxime temporibus Gregorii I. & multo post Gregorium.

Ex Canonibus itaque supra citatis Joannes Hugutio, sive Teutonicus commentus est novam distinctionem inter Legem Diœcesanam & Legem jurisdictionis: quam Honorius III. primum in *cap. dilectus extra de Officio judicis Ord.* sequitur, & Innocentius IV. in *cap. 1. de Verb. signif. in* VI. Diximus novam esse distinctionem: nam Legis Diœcesanæ nomen & in antiquis Canonibus, & in decretalibus summorum Pontificum, qui præcesserunt Innocentium III. continet jus universum, potestatem, jurisdictionem & auctoritatem omnimodam, quam in suam Diœcesim habet Episcopus: Jus Episcopale, ut loquitur *cap. 7. de Religiosis domibus*; sicut & lex Metropolitana Jus universum vocatur, quod Metropolitano competit in sua Provincia *cap. Pastoralis extra de Officio Judicis Ordinarii*. Privilegium Metropolitanum vocat *lex 16. Cod. de sacros. Ecclesiis*; eodemque sensu *τα πρεσβεια* in *can. 6.* Concil. Nicæni. Joannes Teutonicus specialem quamdam Legem Diœcesanam confinxit, qua Monasteria omnia perperam libera & soluta esse contendit: nec enim aliter soluta sunt & libera a Lege Diœcecana, nisi nominatim constet de privilegio.

Illam vero Legem Diœcesanam ait consistere in perceptione Cathedratici sive Synodatici, 3. vel 4. parte Decimationum secundum diversas consuetudines, & in immunitate procedendi ad Synodum, vel ad exequias. Legem vero jurisdictionis esse ait, qua Episcopus Clericos ordinare, Altaria, Ecclesias & Virgines consecrare, Chrisma conficere (quæ tamen Innocentius IV. & veteres omnes Interpretes recte notant non pertinere ad jurisdictionem) corrigere, suspendere, de Causis civilibus & criminalibus judicare: cui Legi jurisdictionis Monasteria obnoxia esse & ipse admittit, & reliqui Interpretes; nisi nominatim ab ea fuerint exempta, vel ab ipsis Diœcesanis, quorum intererat, causa cognita, & cum Cleri proprii consensu; vel a summo Pontifice. In hujusmodi vero privilegiis disquirendis inspiciendum diligenter, quibus verbis concepta fuerint, & quid specialiter & nominatim concessum, aut remissum fuerit: nihil enim ultra exigi vel peti potest; sed strictissime verba privilegiorum, utpote contra Jus commune, coercentur *cap. 18. extra de excessibus Prælatorum, cap. 6. & 10. de privilegiis in* VI. *& cap. 1. de verb. signif. in* VI. Exemptis autem Monasteriis, non tamen Ecclesiæ & Capellæ ad Monasteria pertinentes censentur contineri, sed indistincte remanent sub plenissia auctoritate & jurisdictione Episcopi; nisi vel in eodem privilegio specialiter eximantur *cap. 3. de integrum restitutionibus, cap. 6. de Relig. domibus, cap. 1. de Capell. Monacho cap. 16. 17. & 19. extra de privilegiis*; vel nisi pleno jure hujusmodi Ecclesiæ vel Capellæ eis concessæ fuerint; vel alio canonico modo jura Episcopalia Monasteria sibi acquisiverint: qua de re plenissime diximus ad *Qu.* 2. & 5. C. XVI. supra.

Reliqui Canones *hujus Qu.* ad Sanctimoniales eorumque Monasteria pertinent, ut initio *hujus Qu.* notavimus. In Sanctimoniales autem eorumque Monasteria Episcoporum præcipua semper fuit auctoritas. Et quidem

dem in *can.* 11. præcipitur, ut Episcopi Diœcesani judicio præponendus Monasterio Sanctimonialium comprobetur; ut duplicia Monasteria Monialium & Monachorum tollantur, & a Monachis Moniales separentur *can.* 21. 22. *&* 23. *hac Qu.* quod & *L.* 44. *Cod. de Episc. & Clericis & Novella* 123. *cap.* 36. constitutum; ex qua Julianus breviavit *cap.* 57. *Novell.* 115. ex cujus verbis exscriptus est *can.* 22. *hac Qu.* Illis autem omnibus locis duplicia Monasteria districtissime vetantur, quæ olim ita constructa fuisse notat Zonaras ad *can.* 20. *Synodi* VII. qui refertur in *can.* 21. *hac Qu.* ut non simul manerent viri cum mulieribus; sed ita invicem proxime habitabant, ut se mutuo audire possent.

In *Canone* vero 24. ex Concil. Hispalensi II. injungitur Episcopis, ut curent Monasteria Virginum provida administratione & præsidio gubernari per Monachos; ita tamen ut electus Monachus Episcopi arbitrio ad gubernationem alicujus Monasterii fœminarum, cum Abbatissa, vel ea quæ præest sola non loquatur, nisi sub testimonio duarum vel trium sororum, itaut rara sit accessio, & brevis omnino locutio.

Postremo in *can.* 15. ex Concilio Lateran. generali sub Innocentio II. In *can.* 26. *&* 27. damnantur quædam mulieres, quæ sub Sanctimonialium nomine, quamvis nullam regulam amplexæ forent, privata sibi receptacula & domicilia ædificabant, in quibus Hospitalitatis velamine passim hospites advenientes quoslibet suscipiebant. Itemque prohibetur, ne simul cum Canonicis vel Monachis in uno Choro ad psallendum Sanctimoniales conveniant. Plura de Sanctimonialium Institutione & disciplina si desideres, adi quæ in celeberrimo Concilio Aquisgranensi sub Ludovico Pio & ejus jussu collecta fuerunt diligentissime ex antiquorum Patrum auctoritatibus, ac etiam prudentissime a Patribus dicti Concilii constituta fuerunt, an. Christi 816. *tom.* 2. Concil. Galliæ. In quo Concilio pariter de Canonicorum, sive Clericorum Regularium & Monachorum reformatione & disciplina idem præstitum: quibus adde quæ *sess.* 25. Concilii Trid. *de Regularibus* postremo sancita fuerunt.

Præterea de disciplina Sanctimonialium adde *Can.* 1. 8. 11. 12. 13. 14. 15. *&* 16. *C.* xx. *Qu.* 1. *& Can.* 2. *&* 3. *eadem Causa Q.* 2. *& can.* 1. *Qu.* 4. *eadem Causa* xx.

AD QUÆSTIONEM 1, 2. & 3.

Causæ XIX.

AD QUÆSTIONEM 4.

Causæ XX.

IN *prima Quæst. Causæ* XIX. tractatur utrum Episcopis debeat permittere Clerico, ut propria relicta Ecclesia, Monasterium ingrediatur. In 2. utrum petita, & non impetrata ab Episcopo licentia, possit Clericus, invito Episcopo, vitam monasticam profiteri. In 3. utrum, Canonicis Regularibus ad Monachos transire liceat. In 4. *vero Qu. Causæ* XX. quæritur,

ritur, utrum Monachis liceat ab eo Monasterio, in quo primum professi sunt, in aliud Religionis districtioris transmigrare.

Ut ad Clericos redeamus, cum notissimum sit Clericos omnes Episcoporum jurisdictioni & potestati esse subditos, Canonibus fuit constitutum, ut absque Episcopi proprii facultate & literis commendatitiis Clerici ad Episcopatum de Episcopatu, & de Ecclesia in Ecclesiam non transeant, multoque minus absque Episcopi licentia amplectantur Monachismum *can.* 1. & 4. *hac nostra Causa Qu.* 2. *can.* 5. Concil. Venetici & *can.* 27. & 38. *Concil. Agathensis*, qui Canones sunt exscripti in *can.* 3. *Cau.* XX. *Qu.* 4. Unde generaliter constitutum fuit in Concil. Rom. V. sub Greg. VII. *ut Sacerdotes sine licentia sui Episcopi, & Monachi de notis Monasteriis sine licentia suorum Abbatum, non recipiantur in Monasteriis*. In quibus postremis verbis alludit Greg. VII. qui antea Monachus fuerat Cluniacensis, ad regulam sancti Benedicti *art.* 61. in qua peregrinus Monachus de longinquis provinciis proveniens debet suscipi tanquam hospes: & si tempore hospitalitatis vitam & conversationem suam probasset, poterat admitti ad Monasterium. In fine vero subjicitur: *caveat autem Abbas, ne aliquando de alio noto Monasterio Monachum ad habitandum suscipiat sine consensu Abbatis ejus; quia scriptum est: quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris*. Hinc enim plerumque, ut ait regula Ferreoli *cap.* 6. *Non tantum inter Abbates, sed etiam inter Monasteria lites insanabiles oriuntur, dum unus nititur defendere quem recepit; alter revocare quem perdidit*. Excipitur nisi licentiam obtinuerint pro Abbatis sui nutu, & ut additur in dicta regula, *si tamen credi ullo modo potest, bono suo quemquam velle expoliari, & alium sua nuditate vestiri*.

Si tamen Episcopus Clerico seculariter viventi, cui populum regendum commiserit, nolit facultatem transeundi in Monasterium concedere, in quo vel vitam monasticam vel Regularium Canonicorum profiteatur, invito Episcopo poterit illud propositum amplecti; quia lege privata ducitur, idest afflatus est Spiritu sancto, qui propriam conscientiam impellit: Spiritus autem Dei liber est, & nulli Legi publicæ obnoxius: idest Constitutionibus & Decretis Canonicis solutus est. Quare Episcopo contradicente, liber erit auctoritate Apostolica, ut dicitur in *can.* 2. *Qu.* 2. *hujus C. Ubi enim Spiritus, ibi libertas, & qui Spiritu Dei ducuntur, non sunt sub Lege*. Quod ita intelligendum, dummodo recte probetur ille Spiritus, utrum a Deo sit: Et hoc de Clericis seculariter viventibus. Nam Canonicis Regulariter professis habitum monasticum suscipere interdicitur a Gregorio VII. & Urbano II. in *can.* 1. 2. & 3. *dicta* C. *Qu.* 3. Additur hoc temperamentum, ut si vel levitatis instinctu, vel districtioris Religionis obtentu recedere velint, sine Abbatis & totius Congregationis permissione non recedant. Sine Abbatis, inquam, permissu: nam Canonici Regulares Monasteria & sua Claustra, victum communem & proprium Abbatem habent, licet sint Clerici, non Monachi *cap.* 9. & 11. *extra de vita & honestate Cleric.* Inscriptio vero *can.* 2. *Q.* 2. sicut & *can.* 3. *Qu.* 3. ita concipitur: *Abbati S. Ruffi:* non quod Sanctus Ruffus illius congregationis sit Institutor, quæ congregatio primum in Suburbiis Avenionis fundata in Ecclesia Sancti Ruffi, qua excisa translatum est Monasterium Valentiam circa an. Christi 1210. Cujus & Ecclesia sub no-

mine Sancti Ruffi, & ejus Abbas totius congregationis caput vocatur.

Canon 2. *Qu.* 3. est ejusdem Urbani II. qui ex Remensi Canonico postea Cluniacensis factus Monachus, & deinde summus Pontifex, constituit ne Canonici regulares professi Monachi fiant, nisi publice lapsi ad pœnitentiam peragendam redigantur inter Monachos. Quod si recedere præsumpserint, ad ordinem Canonicum revocandi sunt, & deinceps memorialem cucullam deferre, & ultimo loco sedere inter Canonicos jubentur. Quæ constitutio ita generaliter concepta, plures Interpretum interpretationes & Pontificum declarationes extorsit, nempe ut intelligatur eo casu, quo temere & ficte Canonici regulares recedunt, nec districtioris Religionis causa, nec impetrata recedendi facultate a sua congregatione *cap.* 12. *intelleximus de ætate & qualitate & Ordine præficiendorum*, & *cap. sane* 10. & *capitulo* 18. *extra de Regul.* vel si in laxioris & facilioris Religionis Ordinem transeant *can.* 3. XX. *Qu.* 4. & ibi Gratianus. Quam in rem elegantissima est *epistola* 1. Bernardi ad Robertum Nepotem, qui de Cisterciensibus ad Cluniacenses transierat. Si enim corde puro & conscientia non ficta in districtioris Religionis Monasterium fiat transitus, petita Licentia a Superiori, licet non obtenta *d. cap. non licet*; vel etiam si justa causa impediente licentiam non petierit, probabitur illa mutatio & transitus in austeriorem regulam, prævalente lege privata conscientiæ & spiritus afflatu, qui liber est & omni lege superior. In quo tamen diligenti cautione opus est in probandis & dignoscendis spiritibus, ne forte Angelus Sathanæ se transformet in Angelum lucis. Quæ cognitio ad Superiores pertinet, superiores scilicet Monacho & Abbate, inter quos disceptatur; v. g. Episcopus Diœcesanus, vel Metropolitanus erit adhibendus, vel summus Pontifex, si præcipue Monasterium sit exemptum: & ita intelligi debet supradictum *cap.* 12. ubi de Superiore agitur in casu controverso. In universa vero materia ipsius Bernardi consilium tanquam optimum proponemus in *lib. de præcepto & dispensat. cap.* 20. *Forte vult aliquis*, inquit *de Cluniacensibus institutis ad Cisterciensium sese astringere paupertatem, eligens præ illis nimirum consuetudinibus magis regulæ puritatem: si me consulit, non consulo, si non sane id Abbatis sui usurpavit assensu. Quamobrem?* 1. *propter scandalum ipsorum, quos deserit, deinde quia certa pro dubiis relinquere tutum non est: forsan enim hoc tenere potest, illud non poterit.* 3. *Suspectam habeo levitatem, qua id sæpe quod volumus, antequam probemus, experti jam nolumus, uno prope momento idipsum & cupientes & respuentes tam leviter, quam irrationabiliter.* Quod & ipse in *epist.* 115. apertius explicat, in qua aviditatem novitatis & mutationis Monasterii in Sanctimoniali damnat & culpat.

Postremo ex Canonibus, qui supersunt in *Qu.* 3. usque ad finem, in *can.* quidem 4. & 5. constituitur, ne quæ semel dedicata fuerint Monasteria, Episcopia vel alia venerabilia loca, usibus profanis deserviant. In *can.* vero 6. ante tyrocinii, sive probationis biennium tonderi Monachi prohibentur: qua de re diximus in *Qu.* 2. C. XVII. in fine vero *d. can.* quæ ad Legem Mauritii Imper. pertinent, a Correctoribus Rom. explicantur, nec enim intellexerunt Interpretes.

Quod vero pertinet ad *can. penult.* & *ult.* desumpti sunt ex Justiniani Novellis Et quidem *ult. can.* & verbis ipsis Juliani Antecessoris *Novell.* 115. *cap* 488.

488. & 489. editionis Pithœi; in quo *can. ult.* constituitur, parentes vel liberos Monachos factos non tantum non posse exheredari propter eam causam, quod Monachi facti sint (quod & antea *Lege* 56. §. 1. *Cod. de Episc. & Clericis* Justinianus constituerat); sed hoc amplius, ut quamvis tempore, quo Laici fuerant, in causam ingratitudinis incidissent, aboleretur tamen ingratitudo per ingressum Monasterii *Novella* 123. *cap.* 41. & saltem legitimam tenentur omnimodo eis relinquere. In *can.* vero *penult.* quod desumptum est ex *Novella* 123. *cap.* 38. Monachus aut Monacha, qui liberos habent, possunt testamentum condere in gratiam liberorum extantium, servata Monasterio parte virili: in reliquis omnibus casibus eis adimitur testamenti factio post professionem; & ita ex parte immutatur *Novell.* 5. *cap.* 5. in qua liberis legitima tantum servabatur in bonis parentum post Monachismum: & ita concilianda est pars 1. *d. can. penul.* quæ sumpta ex *d. Novell.* 123. cum ultima parte ejusdem Canonis, quæ incipit ab iis verbis, *nunc autem*, &c. quam frustra Glossa & Interpretes conciliare conantur cum prima parte.

Ad Quæstionem 1. 2. & 3.

Causæ xx.

Quæ proponuntur in istis tribus Quæst. explicuimus fere omnia in interpretatione *Quæst.* 1. & 2. *Causæ* XVII.

Quæstionis autem primæ hæc est sententia, licet aliquando admissum fuerit, ut paterna oblatio Monachum faceret eum, qui nondum erat adultus; adeo ut nec post impletam pubertatem ei contradicere liceret, sed compelleretur in Monasterio permanere, ut constat ex pluribus *can. hujus Qu.* 1. & ex *ipsa regula* Benedicti *art.* 59. postea remissa fuit & abrogata hæc durior observatio, adeo ut post pubertatem. Liberi, qui a parentibus oblati fuerint, interrogentur utrum in ipso habitu monastico permanere cupiant, vel egredi. Quod jus postremum & antiquis Canonibus, & Decretalibus Pontificum usuque tandem receptum est *cap.* 11. 12. & 14. *extra de Regularibus*.

Sicut autem invitos liberos non possunt offerre parentes, ita etiamsi majoris sint ætatis liberi, non possunt a parentibus prohiberi ingressu Monasterii *can.* 1. & 2. *C.* XX. *Qu.* 2. nec semel ingressi possunt Monasteriis abstrahi *can. ult. C.* XIX. *Qu.* 3.

Proponuntur deinde alii Canones de ætate profitendorum Monachorum vel Sanctimonialium. Ea in re sæpius variaverunt can. plerique tamen, antiqui maxime, vel pubertatem vel majorem desideraverunt ætatem; tandemque Conc. Trid. definitum, ut post 16. annum tantum masculi vel fœminæ ad professionem admittantur, & ut aliter facta professio nulla sit ad quoscumque effectus *cap.* 15. *sess.* 25. *de Regul.*

Notandum etiam ex *can. ult. Quæst.* 1. & *ex ult. can. Q.* 2. professionem & oblationes liberorum a parentibus coram pluribus testibus fieri solitas, itemque professiones a profitentibus ipsis manu propria conscriptas fuisse, vel saltem signo, aut subscriptione notatas, ne forte eis postea reclamare liceret, vel eorum parentibus & tutoribus, eo colore quod inviti, coacti

coacti vi & metu professionem fecerint, non sua sponte. Quod Canonibus prohibitum *can.* 8. 9. 10. C. xx. *Qu.* 1. *&* *tota Qu.* 3. Reclamare autem olim licebat intra annum & diem tantum *can.* 2. *hac* C. *Qu.* 2. *&* *cap.* 2. *de Regul.* v. g. propter vim aut metum a parentibus illatum, aut propter professionem ante legitimam ætatem factam, ut *dictis can.* probatur *&* 4. *can. Qu.* 3. *ejusdem* C. in eam rem notando. Hodie vero ex Trid. Concil. intra quinquennium a die professionis in illis casibus reclamare permittitur *cap.* 19. *sess.* 25. *de Regularib.* in cujus fine confirmatur quod supra diximus, & quod præcipue tractatur in *Qu.* 4. C. xx. ut nemo Regularis, sive Monachus, sive Sanctimonialis cujuscumque facultatis vigore transferatur ad laxiorem Religionem: quod pluribus explicavimus in C. xix. eamque in rem elegantissima est *Epist.* Bernardi ad Robertum nepotem ejus, qui de Cisterciensibus austerioribus ad Cluniacenses laxiores transierat.

Postremo tam de vagantibus quam de fugitivis & desertoribus Monachis revocandis & retrahendis, & pœnis eorum, qui susceptum Religionis propositum deserunt & ad sæculum revertuntur, multa veteribus & recentioribus Can. utiliter constituta referuntur in *can.* 16. 18. 33. 36. C. xvi. *Qu.* 1. *&* *can.* 2. 3. 6. *&* 8. C. xx. *Qu.* 1. *&* *ejusdem Causæ Qu.* 2. *can.* 1. *&* *Qu.* 3. *can.* 1. 2. *&* 3. & postremo in *cap. ult. de Regular.* in quibus *can.* dicitur retrahendos esse hujusmodi Monachos, & anathemate ad reditum compellendos, publicæ pœnitentiæ subjiciendos omnibus honoribus & dignitatibus spoliatos, quas indebite in sæculo desertores hujusmodi sibi vindicaverant, & in sua Monasteria recludendos.

Quæritur vero quoties fugitivi Monachi recipi debeant in Monasteria, quæ reliquerunt, an tantum semel, vel bis, aut ter revertentes teneantur Monasteria recipere. Quam in rem Regula sancti Benedicti videtur usque ad tertiam vicem Monachos desertores jubere recipi *art.* 29. *d. Regulæ*. Et quidam ita hunc art. accipiunt, explicantes post tertiam vicem desertores non esse admittendos, quia talis apud Deum ejus agnoscitur servitii fides, qualis apud homines pedum stabilitas consistit. Quidam tamen alii, inter quos Petrus venerabilis *lib.* 1. *epist.* 28. *pag.* 668. in fine & *seq.* fugitivum Monachum, quandocumque revertetur & quotiescumque, suscipiendum esse secundum Domini præceptum: in quo tamen notabantur a Cisterciensibus Cluniacenses, quibus eruditissime respondet pluribus auctoritatibus Scripturæ. Dicant qui post trinam prævaricationem reverti volentibus aditum claudunt, cur Christus Petro, postquam ter negavit, non tantum indulsit, sed & pascendas oves tertio commisit? & ad verba postrema hæc *d. articuli Regulæ* Benedicti: *jam vero postea sciat sibi omnem reversionis aditum denegari. Non*, inquit, *denegatur*, *sed sciat sibi denegari. In qua sententia cum nihil præcepti inveniatur non obicem misericordiæ posuisse, sed terrorem temerariis intentasse cognoscitur*. Imo & Episcopi compellere possunt Abbates revertentes hujusmodi Monachos desertores suscipere; & præterea, inconsultis Episcopis aut eorum Vicariis, ejicere Monachos prohibentur Abbates *can.* 59. Concil. Meldensis. Quoniam autem hujusmodi fugitivi & desertores sæpissime negligere consueverant censuras & excommunicationes, Legibus Imperatorum multa super ea re constituta fuerunt *Lege* 53. §. *quoniam* *&* *Lege* 56. §. *hujus autem Cod.*

de

de Episcopis & Clericis & Novell. 5. *cap.* 4. & 6. & *Novell.* 123. *cap.* 42. ejusque rei inspectio injungitur & Episcopo loci Diœcesis, & provinciæ Præsidi. Postremo cautum *Novella* Leonis Philosophi 8. Monachos vagantes & desertores non Præsidum provinciæ & Magistratuum cohortibus & apparitoribus adscribi, sicut antea solebat fieri, ut ex supra citatis Legibus constat; sed invitos omnimodo a Magistratibus in sua Monasteria, quæ deseruerant, retrahendos. Et quod dicit in *dicta Novella* se id constituere secundum Canones, intelligit *Can.* 3. & 4. Concilii Constantinop. sub Photio, ad quos vide omnino Balsamonem Græcum Interpretem.



AD

AD CAUSÆ XVI. CANONES ALIQUOT, ET NONNULLA DECRETI LOCA.

TRACTATUS

De Antiquo Jure Patronatus.

PRÆFATIO.

De Origine & antiquitate Juris Patronatus.



LEGANTER Chrysostomus adversus eos, qui conquerebantur, quod longioribus Præfationibus uteretur, ait: *sicut corpus capite, arbor radice, fluvius indiget fonte, sic & Tractatus procemio: hoc enim habent præfationes, ut nos libentius ad propositam materiam perducant, & cum ad eam venerimus, evidentiorem præstent intellectum.*

Jus Patronatus describimus: *jus singulare, moribus receptum, ei benigne concessum, qui ædificavit, dotavit, vel instauravit sacra vel venerabilia loca.*

Nomen ipsum Juris Patronatus statim videtur evertere argumentum tituli *de Antiquitate*. Eo enim nomine & sensu, quo accipiendum est in hoc tractatu, & in *titulo* Decretalium *de Jure Patronatus*, non reperitur appellatum apud antiquos Auctores Canonum & Legum. Et nomen Patroni, quod in *cap.* 1. & 2. *hujus tituli apud Gregorium* extat, deest in *Collectione* 1. & in *integris Canonibus*, qui reperiuntur in Concilio Cabilonensi II. sub Carolo Magno, & Triburiensi sub Arnulpho. Et fuit addita dictio Patroni a Raimundo Collectore Decretalium, facilioris intellectus causa. Idem dicendum de Advocati & Advocatiæ, sive Advocationis nomine, quod & Juri Patronatus a recentioribus tribuitur. Sed ut ait Augustinus *tractatu in Joannem: quamvis Ptochia & Monasteria novis nominibus appellata sint; res tamen ipsæ ante nomina sua erant*. Fundatoris, & fundationis nomine veteres simpliciter utuntur; sicut Græci κτίστου, vel δομήτορος & κτίσεως, sive οἰκοδομήσεως: Veteres Interpretes juris Canonici Jus Processionis appellant ex pravo intellectu *Can. Piæ mentis & Can. Frigentius* XVI. *Causa Qu.* 7. Constat tamen inter omnes, licet diversa sint nomina, jus tamen, de quo agimus descendere ex fundatione & instauratione Ecclesiarum, Monasteriorum, Xenodochiorum, Capellarum, & Ora-

Oratoriorum. Constat etiam provocandæ liberalitatis & munificentiæ Christianorum, ac Ecclesiarum ædificandarum causa, benigne jura omnia Patronatus fuisse introducta, eaque non tantum Fundatoribus ipsis concessa, sed etiam eorum heredibus.

Hujus juris originem deducemus non tantum ex antiquis Canonibus, & Constitutionibus Imperatorum Christianorum; sed etiam quædam ex ipsorum paganorum Jurisconsultorum Libris excerpemus, quæ nostræ tractationi non parum conducent.

Et quidem ut incipiamus a Libris nostrorum Jurisconsultorum, Xenophontis verbis admoniti, qui erga rempublicam plurimorum munificentiam hac ratione provocari suadebat, si eorum nomina in acta publica referrentur, *ει μελλοιεν αναγραφησεσθαι εις τον απαντα χρονον*. Quare Jurisconsulti eadem ducti ratione permiserunt, ut qui opus aliquod publicum suis sumptibus & expensis liberaliter extruxisset, vel collapsum instaurasset, perfecto & restituto operi liceret nomen proprium inscribere, quod in posterum eradere non licebat: sed tantum permissum, ut si alius postea suis sumptibus instaurasset, vel ab alio factum opus adornasset; nomen proprium quidem inscriberet, sed manentibus priorum titulis, qui ea opera fecissent *Lege 2. §. ult. & Lege 3. §. ult. & Lege 4. §. penult. & Lege ult. §. ult. ff. de publicis operibus, juncta Lege 10. ff. de Pollicitationibus*. Suetonius *in Augusto. cap. 31. opera cujusque, manentibus titulis, restituit*. Prudentius sane quam Rhodii, qui veterum beneficiorum immemores, eorum, quibus aliquando statuas decreverant, nomina solebant eradere, & alia nova substituere; veteribus tamen statuis remanentibus: quos merito Divus Chrysostomus eleganter persequitur *in Rhodiacis*.

Non dissimili ratione qui in honorem Deorum certamina publica instituerant, de nomine suo ea vocare solebant; utpote illis ludis non tantum qui instituissent; sed etiam eorum heredes & posteri præessent, cavere consueverant: eamque formam, quam semel præscripsissent, servandam esse omnino, & Fundatoris voluntati parendum sæpius Imperatores & Jurisconsulti rescripserunt *Lege 6. L. 21. §. 3. & Lege penult. ff. de annuis Legatis, & in eleganti Lege Septicia ff. de Pollicitatio*.

Proprius accedamus. In Templorum & Altarium dedicatione & Consecratione, quæ apud Paganos rite & per Pontifices dicari & consecrari solebant, certas Leges & conditiones in ipsa consecratione solebat imponere conditor. Quod fieri consueverat, cum conditor postem tenens ædificatarum sacrarum ædium vel Altarium, præeunte Pontifice, solemnia dedicationis verba pronunciabat, *τας νενομισμενας επι τῃ καθιερωσει φωνας*, ut Plutarchus ea in re loquitur. Et in ipsa consecratione conditor breviter comprehendere solebat nomina Deorum, ritus, formas, & tempora peragendorum sacrorum. Quod & inscriptionibus consecrationum Templi vel Altaris inseri posteritatis causa solebat, & in ipsa Altarium vel Statuarum basi, ut eruditissime in Formulis pluribus confirmat Brissonius: cui tantum addemus insignem locum Servii in illud Virgilii.

In medio mihi Cæsar erit, postemque tenebit.

Ubi paucissimis verbis rem omnem eruditissimus Grammaticus comprehendit; *& Legem 38. §. ult. ff. de auro. & argento legato*, in quo §. cavit testatrix, signum Dei fieri ex libris centum cum inscriptione nominis sui.

Trans-

Transeamus ad Christianorum Imperatorum Constitutiones. Duas insignes Latiois Interpretibus veteribus & oovis penitus ignotas observamus *L. 15. Cod. de sacrosanctis Ecclesiis*, cujus auctor est Zeno, & *L. 46. de Episcopis & Clericis*, cujus Justiniaous auctor est. Utramque debemus eruditissimo Photio io *suo Nomocanone tit. 2. de ædificiis Ecclesiarum*: unde postea Antonius Augustious, Contius, & postremo domious Cujacius exscripserunt, vel potius ex basilicis, io quibus tamen brevius referuntur. Quare merito Latiois Ioterpretibus parcendum, si juris Patronatus non altius originem repetant, quam a Justiniani *Novellis* 57. 67. & 123. *cap.* 18. quamvis ex ejus *Novellis* 58. & 131. *cap.* 7. plurimæ quæstiones, quæ ad jus Patronatus pertinent, possent illustrari. Sed ut redeamus ad *dictam l. 15. Cod. de sacrosanctis Ecclesiis*, quam Zenoni referendam esse Contius indicavit, in fioe illius legis verba, quæ ad propositum faciunt, observaoda; quæ pleoius referuntur a Photio *dicto titulo* 2. *administratio secundum ea, quæ placuerunt Fundatoribus*, & secundum Leges & conditiones ab eis appositas procedet. Et plenius io *dicta Lege 46. Cod. de Episcopis & Clericis*, io qua tractatur de ædificatione Ecclesiarum, Monasteriorum, Xeootrophiorum, & aliorum locorum venerabilium, hæc verba notanda; *siquidem testatores certas personas præposuerint administrationi, v. c.* ξενοδόχους, πτωχοτρόφους, *aut præpositos & custodes quoslibet, illos proculdubio Episcopum permittere debere administrationem habere; ita tamen ut inspectio ei competat*, ὧν δὲ διοίκησιν αὐτῶν ἐποπτεύειν, *alieni actus esse observatores*. Et postea. *Si nominatim testatores non præposuerint ejusmodi administratores, sed suorum heredum arbitrio reliquerint; ea Jura pertinere ad heredes, cum hac tamen cautione, ut si negligentius versentur, Episcopi admonere eos possint; vel si in desidia permanent, alios idoneos præficere*. Quæ iterum confirmavit Justinianus *Novella* 101. *cap.* 10. Ex quibus Balsamo hanc regulam conficit: *Leges & Statuta a Fundatoribus dicta vim & robur obtinent; nisi Canonibus adversentur*. Eaque ratione motus Justinianus in *Novella* 57. jubet a Fundatoribus idoneos in Ecclesiis, quas fundaverunt, oominari & eligi, ooo quidem quoslibet, sed dignos ex Episcopi diœcesani judicio & examine probandos. *Ne*, ut ait, *profanentur sancta Dei*. Quæ verba desumpsit ex *cap.* 2. Ezechielis: iterumque inculcat *Novella* 123. *cap.* 18. qua non tantum Fundatoribus, sed etiam eorum heredibus permisit, ut Clericos denominent & eligant; idoneos vero nominatos consecrari & ordinari ab Episcopis.

Nominationis & Electioois verbis Julianus Antecessor, & vetus Interpres Novellarum utitur: Justioiaous ὀνομάζειν & ἐπιλέγεσθαι: Commendationis, & commendandi verbo mediæ ætatis Patres & Scriptores in Conciliis utuotur: Nos vulgo præsentationem vocamus. Episcopus vero in illis Novellis coosecrare, & ordinare dicitur. χειροτονεῖσθαι, nempe secundum jus vetus, quod simul cum ordinibus oecessario & titulus, sive locus in Ecclesia, Monasterio, vel alio venerabili loco assignabatur: alioquin ipso jure nulla erat ordinatio *Canone 6.* Concilii Chalcedooensis. Hodie jure mutato, quia necessitas illa tituli absoluta laxata est, quoniam Clerici solent præsentari, simpliciter institui dicuntur, & induci in possessiooem ab Episcopo, vel quovis alio Prælato, ad quem de jure pertinet institutio.

Obser-

Observandum tamen fundationum inspectionem & plenitudinem & Canone & Lege potissimum incumbere Episcopis, in quorum potestate ab initio, idest ante Jus Patronatus introductum, positæ sunt omnes Ecclesiæ & loca venerabilia. Quare non immerito Balsamo ad *dictum tit.* 2. *& ad Canonem* 8. Chalcedonensis Concilii annotavit, ab ipsis Fundatoribus non posse Episcopis Diœcesanis Legem contrariam imponi, ne curam gerant fundationum; exceptis tantum Ecclesiis vel locis venerabilibus ab Imperatoribus fundatis; vel nisi ante ædificationem πατριαρχικὸν impetrassent, idest ut vulgo loquimur, nisi in ipsa fundatione exemptionem obtinuerint a Patriarcha; sicut apud nos a summo Pontifice, qui totius Occidentis summum Patriarchatum obtinet: contradicentibus tamen Episcopis sæpius, ne sua jurisdictione fraudarentur. Tandem receptum apud Græcos, ut tantum ejusmodi privilegia concederentur in ædificatione Ecclesiarum; non autem ut Ecclesiis ante ædificatis indulgerentur. Præterea ex legibus supra allatis & Canonibus notandum, nullam adhuc differentiam fuisse inductam apud Græcos inter Patronos Ecclesiasticos & Laicos; & deinde non tantum Episcopis, sed & summis Magistratibus controversias, super jure fundationum exortas, fuisse permissas: imo nec indignam Imperatoria majestate materiam fuisse existimatam. Hactenus ex Legibus & Constitutionibus exscripsimus, quæ origini juris Patronatus conducere videbantur illustrandæ.

Veniamus ad jura Conciliorum & Canonum, quibus jus Patronatus institutum, formatum, & præcipue compositum fuit: temporum ordinem & seriem sequemur. Et quidem ab illis incipiamus, quæ omissa omnino, vel non satis intellecta fuerunt, non tantum a Gratiano, sed etiam ab antiquioribus Latinis Collectoribus Canonum. Diximus jus Patronatus esse jus singulare, moribus receptum contra tenorem & rationem juris communis. Sic enim Jurisconsulti interpretantur jus singulare in *lege Jus singulare ff. de Legibus*: utilitatis nempe benigna suasione introductum: auctores nostri jus dispensative receptum; κατὰ οἰκονομίαν καὶ συγκατάβασιν. Unde Patres Concilii Lateranensis sub Alexandro III. *Can.* 17. ajunt, *Fundatores Ecclesiarum & hæredes eorum in potestate, quam obtinent, Ecclesiam huc usque sustinuisse contra regulas*; nempe juris Canonici antiquas. Elegantissime Ignatius in *epistola* ad Philadelphienses, *unam Eucharistiam*, ait, *unam Carnem Christi, unum Sanguinem pro nobis effusum; unus Panis & Calix omnibus tribuitur, unum Altare uni, vel cuilibet Ecclesiæ, & unus Episcopus*. Sicut & Clemens in *Constitutionibus Apostolicis, unus Episcopatus penes omnes Episcopos pro indiviso*: Itaque in singulis Episcopatibus consequens est attendi & servari unitatem. Quare in omnes Presbyteros, Clericos, Monachos & Laicos, quatenus fidei domestici tenentur; & præterea in omnes Ecclesias, Oratoria, Monasteria, Sacra denique omnia, vel Religiosa, vel Venerabilia loca, ad Episcopum Diœcesanum potestas & auctoritas plenissime ab initio pertinuit *Can.* 24. *&* 25. Antiocheni Concilii, qui referuntur a Gratiano in *Can.* 5. x. *Q.* 1. *& Can.* 23. XII. *Quæst.* 1. Quod jus commune Ecclesiæ iterum apertissime declaratum est & confirmatum adversus Novatores in *Can.* 4. *&* 8. Concilii Chalcedonensis: quod & juris nostri Auctores agnoscunt in *Lege* 11. *Cod. de Episc. & Clericis*. Quam in rem vulgo afferri solet Canon

nes Basilicæ XVI. *Quæst.* 7. qui quidem canon sumptus est ex Concilio Aurelianensi I. *Can.* 19. *Omnes Basilicæ, quæ per diversa loca constructæ sunt, vel quotidie construuntur, placuit secundum priorum Canonum Regulam, ut in ejus Episcopi potestate consistant, in cujus territorio positæ sunt*. Quam in rem observatione digni *Canon* 1. Ilerdensis Concilii; *Canon* 2. ex Toletano III. *& Canon Noverint* X. *Quæst.* 1. qui sumptus est ex Concilio Toletano IV. & passim in *dicta Quæstione* 1. Contra communem tamen & strictam rationem ex æquitate & indulgentia quadam receptum in gratiam Fundatorum, ut sicut ab initio de nomine Martyrum & Sanctorum, quibus Ecclesiæ dicabantur, solebant appellari Ecclesiæ; ita de nomine Fundatorum honoris causa denominarentur. Et quidem de Sanctorum & Martyrum nominibus appellari Ecclesias non ignotum est; unde eleganter Paulinus Nolanus Episcopus in *epistola* 10. sub finem, *& epistola* 12. in descriptione elegantis Basilicæ, quam sancto Felici dedicaverat, Felicem Patronum ac Dominædium vocat. *Basilica igitur*, ait in *epist.* 12. *illa quæ ad Dominædium nostrum communem Patronum in nomine Domini Christi jam dedicata celebratur &c.* A Sanctis ad Fundatores nomen Patroni, sive appellatio & titulus Ecclesiæ post multos annos translatum fuit passim: nec desunt antiquissima exempla. Unde inter titulos, sive Basilicas Romanæ Ecclesiæ numerantur Basilica Constantiniana, titulus Damasi, titulus Equitii, titulus Pastoris, titulus Vestinæ, titulus Eudoxiæ, titulus Lucinæ & Fasciolæ; nomine repetito a Fundatoribus, sive masculis, sive fœminis. Eademque ratione in Africana Ecclesia Basilica Fausti, Severina, Leontiana, Basilica Florentia, de qua Augustinus *sermone* 37. inter nuper editos in *supplemento*. *Certe in nomine Dei facta est vobis hæc Ecclesia opera ipsius*, idest Episcopi Florentii, *per fidelium fratrum collationes beneficas, misericordes, devotas facta est vobis hæc Ecclesia*. Et postea: *Honorastis Episcopum vestrum, ut hanc Basilicam Florentiam vocare velletis*. Et ipsa primaria Basilica Carthaginensis, in qua Sedes Archiepiscopi totius Africæ Metropolitani, appellata fuit Perpetua Restituta; teste Victore Uticensi *lib.* 1. conjunctim & de nomine Virginis Perpetuæ, cui dicata, & Restituta, Episcopi fundatoris nomine. Et ita appellatur Perpetua Restituta in Concilio Carthaginensi II. Nihil itaque præter nudum nomen & honorem Patronis & Fundatoribus ab initio concessum, quem tamen plurimi faciebant fideles; sicut & *Novella* 57. in initio Justinianus apertissime significat. Eodem etiam modo Monasterium Studii insigne Constantinopoli a Studio piissimo viro, qui antiqua Roma relicta, & antea summis honoribus & administrationibus publicis defunctus sub Theodosio juniore, Constantinopolim concesserat, & insigne illud Monasterium ædificaverat. Sic a fundatore Xenotrophium Sampsonis. De quibus Nicephorus Callistus in *Historia Ecclesiastica*, Justinianus *Novella* 59. *cap.* 3. *& Novella* 131. *in fine*, Procopius *libro de ædificiis Justiniani*, & Liberatus in *Breviario de Nestorianorum & Eutychianorum hæresi*. Qui solus honor Patrono, ut de nomine ejus Basilicæ, idest Ecclesiæ, Oratoria, Monasteria denominarentur, ab initio videtur attributum. Serius & difficilius eis permissa fuit electio, nominatio, & ut vulgo loquimur, præsentatio Clericorum ordinandorum: & adhuc tardius heredibus Fundatorum indultum. Prima & antiquissi-

ma

ma hujus nominationis, sive præsentationis primordia reperio, necdum observata, in duobus Conciliis Gallicanis, Arausicano I. habito sub Valentiniano III. & Leone I. anno Christi 441. in quo *Canone* 10. *Episcopus, qui in alienæ Civitatis territorio Ecclesiam ædificare disponit, permissa licentia ædificandi, quia prohibere hoc votum nefas, non præsumat dedicationem, quæ illi omnimode reservatur, in cujus territorio Ecclesia assurgit; reservata ædificatori Episcopo hac gratia, ut quos desiderat Clericos in re sua videre, ipsos ordinet is, cujus territorium est; vel si ordinati jam sint ipsi, habere acquiescat. Et omnis Ecclesia ipsius gubernatio ad eum, in cujus Civitatis territorio Ecclesia surrexerit, pertinebit*. Quod si etiam secularium quicumque Ecclesiam ædificaverit, nullum ei jus simile concedit.

Iisdem fere verbis undecim fere post annis, idem Canon repetitus est in Concilio Arelatensi II. *Can.* 36. sub eodem Valentiniano III. & Leone I. hoc tantum additur: *Et si quid Ecclesiæ fuerit ab Episcopo conditore collatum, is in cujus territorio est, auferendi non habeat exinde potestatem. Hoc solum ædificatori Episcopo credimus reservandum*. Nihil præterea simile secularibus, qui Ecclesias ædificant, permittitur. Eoque jure non tantum Galliam usam existimo per plures annos, sed etiam Ecclesiam universam. Nec enim jus & auctoritatem Patronorum in nominatione, vel electione, seu præsentatione antiquius reperio, quod ad seculares pertineat, quam in Constitutionibus Christianorum Imperatorum, quas supra explicavimus; nisi forte conjiciamus exemplo ædificatoris Episcopi ad reliquos omnes Fundatores Clericos & Laicos idem jus moribus & usu, ut fieri solet, eadem suadente ratione fuisse receptum. Et quidem primum in Oratoriis, quæ propter fatigationem familiæ in agris ædificari placuit, a dominis judicio Episcopi Presbyteros ordinari concessum fuit; ita tamen ut celebrioribus anni festivitatibus in civitatis, sive possessionis, aut Villæ Parœciam deberent convenire, ut apertissime constituitur *Can.* 2. Concilii Agathensis primi. Et paulatim jus illud invaluit, ut non ex scripto traditum postea fluxerit in generalia & particularia Concilia; eodemque privilegio, quo Ecclesiastici fundatores, seculares donati fuerunt. Eoque spectat *Canon.* 7. & 33. Concilii Aurelianensis IV. anno Christi 541. quo statuitur: *Si quis in agro suo aut habet, aut habere postulat Diœcesim, primum ut terras ei deputet sufficienter, & Clericos etiam deputet, qui ibidem sua officia impleant*.

Ad Canones de antiquo Jure Patronatus apud Gratianum.

Veniamus ad Gratianum, eodem ordine temporum servato in fragmentis, quæ vel ex summorum Pontificum decretis, vel ex Conciliis passim collegit. Antequam tamen ad interpretationem illorum Canonum accedamus, refellenda prius est veterum Interpretum & recentium plerorumque sententia, qui Gelasium Pontificem juris Patronatus auctorem asserunt, auctoritate ducti Glossæ ad pervulgatos *Can. piæ mentis, & Frigentius* XVI. *Quæst.* 7. ad illa verba dictorum Canonum: *præter processionis aditum*. Ut res in claro lumine ponatur, excutiamus illorum Canonum sententiam. In utroque Gelasius rescribit ad consultationem Epi- *Ad Can. Piæ mentis* 26. *& Can. Frigentius* 27. XVI. Q. 7.

Episcoporum super consecratione Ecclesiarum, quas in re sua & in suis possessionibus domini fundaverant, easque consecrari postulabant. Respondet Pontifex ab Episcopo, in Diœcesi cujus ædificatæ fuerant Ecclesiæ, non esse prius consecrandas; nisi ex more Ecclesiæ recepto, collata donatione & sumptibus ad exhibendos Ecclesiæ ministros, & quæ ad luminaria & custodiam necessaria sunt stipendia suppeditent, ut in vulgato *Canone* 9. *Dist.* 1. *de Consecratione*. In fine vero hujus Canonis ait Gelasius, Fundatorem nihil sibi proprii Juris in hujusmodi Basilicis a se fundatis habiturum, *præter processionis aditum, qui Christianis omnibus in commune debetur*. Glossa ad hæc verba adnotat, jus Patronatus appellari jus processionis, quod procedat Patronus cum instituendo nominato ad Episcopum: agnoscit tamen antea Patronum nihil juris habuisse ex verbis *Can. noverint* x. *Quæst.* 1. & alia quædam subjicit æque falsa. Quod vero dicitur Christianis omnibus jus illud esse commune, ita interpretatur, quia infideles & Judæi, etsi fundarent Ecclesiam, jus tamen Patronatus non acquirerent. Quæ plane absurda: quis enim infidelis vel Judæus vel accederet vel admitteretur ad ædificandas Ecclesias? Falsum etiam jus processionis significare jus Patronatus: nec tempore Gelasii jus illud adhuc obtinuerat, quod ad præsentationem, ut vocant, pertinet; nihilque aliud significat jus processionis quam jus conveniendi & ingrediendi in Ecclesiam. Tam enim Ecclesiam quam personas administrant Episcopi, & dotem ipsius Ecclesiæ in potestatem Episcopi transisse jure communi Ecclesiæ supra explicuimus. Idque probat manifeste *dictus canon noverint*, quem Glossa falso putat antiquiorem Canonibus, qui Gelasium habent auctorem. Desumptus enim est ex Concilio Toletano IV. *Can.* 32. quod Concilium celebratum fuit sub Honorio primo, multis annis post Gelasium. Ignoratio vero verborum & temporum insignem errorem & confusionem induxit. Jus enim processionis nihil est aliud quam *jus & facultas conveniendi & communicandi in Ecclesia*: quæ facultas competit omnibus Christianis ex æquo. Idem Gelasius *cultum processionis* appellat, *publicam frequentationem & processionem* in *Canone* 5. & 7. *de Consecrat. Dist.* 1. & in *epistola ad Episcopos Lucaniæ in Codice Ecclesiæ Canone* 4. & 25. Ubi pravum morem corrigit, qui irrepserat, *ut in quocumque nomine defunctorum, & quantum dicitur, nec omnino fidelium, constructiones ædificatas sacris Processionibus audacter instituere præsumant*. Cujus elegantis Canonis verba Auctor Anonymus, qui Luitprandus vulgo appellatur, in *vita* Gelasii, & Amulo Lugdunensis Archiepiscopus in *epistola singulari* nuper edita retulerunt. Idemque Gelasius in *Canone Presbyteri Dist.* xxiv. *locum Processionis celeberrimum* vocat, qui propter ipsius loci celebritatem & ritum magno frequentatur numero fidelium. *Legitimum ordinariumque conventum* appellat Concilium Agathense *can.* 21. & in Conc. Laodiceni *Canone* 17. *συνάξιν* vetus Interpres non recentior Gelasio *Processionem* vertit, Dionysius Exiguus *Conventum*. Et in *Can.* 56. *εἴσοδον* vetus Interpres *Processionem & intrantium populorum conventiones*; ut & Anastasius in *Lege* 10. *Cod. de hæreticis & Manichæis*. Gregorius primus promiscue *publicam Processionem & popularem conventum* appellat *libro* 4. *Registri epistola* 41. & 43. eodemque sensu in Ordine veteri Romano *procedere* & *processionis* verbum usurpatur.

Hanc

Hanc publicam processionem eleganter Justinianus *Novella 67. cap. 1.* δημοσιαν προσοδον appellavit. Erudite Julianus breviator & vetus Interpres Novellarum *publicam processionem* & *publice procedere* interpretatur. Dictio enim προσοδος, a qua *processio* descendit; sicut & εισοδος specialiter a Scriptoribus Ecclesiasticis pro ingressu, introitu & religioso aditu in Ecclesiam ad participationem orationum & sacrorum Mysteriorum accipitur. Paulus *epistola ad Hebraeos cap.* 10. quem appellat εισοδον των αγιων, Chrysostomus *homilia* 19. *initio* προσοδον. explicat την εις πνευματικα. Et in *primam Timothei homilia quinta* sub finem loquens de accessu ad Eucharistiam: *illud grave & acerbum quod non mentis puritate, sed temporis intervallo, dignitatem definis & metiris processionis aditus ad Eucharistiam destinati:* ουτω τι δεινον ότι ου καθαροτητι διανοιας, αλλα διαστηματι χρονου την αξιαν διοριζεις της προσοδου. Iterum in *primam ad Corinthios homilia* 28. initio eadem repetit: *sed non ita Paulus jussit; sed unum novit tempus aditus & communionis, puritatem conscientiae*, αλλ' ένα καιρον οιδε προσοδου και κοινωνιας, την συνειδοτος την καθαροτητα. Qua dictione uti solebant veteres pagani, quoties vel sacrificaturi progrediebantur in templa, aut in Senatum; vel in Curiam conveniebant. Aristophanes in *nebulis* in Choro quodam και των θεων προσοδοι μακαρων ιερωταται. Interpres vetus interpretatur θρησκειαις περι τους βωμους. Unde προσοδια μελη, Poemata & Hymni, quae in festis Deorum & in eductione victimarum concinebantur. Idem Aristophanes in *Avibus* pagina 581. προσοδια μεγαλα. Vide quae Suidas & Etymologici Auctor in voce προσοδος & προσοδια notaverunt. Et eodem nomine προσοδον solemnem ingressum in Senatum & Curiam, vel ad Comitia populi apud Platonem & Demosthenem significari doctissimus Budaeus in Linguae Graecae commentariis observavit. Et secundum hunc verum sensum explicanda duo decreta Deliensium inter marmora Arundeliana *numero* 12. & 14. in quibus propter munificentiam & liberalitatem, quam quidam exercuerant in templum Apollinis Delii & Civitatem & Rempublicam Deliorum, conceditur eis eorumque heredibus jus Civitatis & ingressus in Senatum & populi Deliensis comitia, ita ut primi & ingrediantur & sedeant και προσοδον προς την βουλην και τον δημον πρωτοις. Quem locum Interpres non intellexit.

Ex his omnibus colligimus *processionis jus*, & προσοδον primum apud paganos, & postea apud Christianos significare religiosum aditum & ingressum cum cultu & praeparatione, in templum vel aedes sacras: qui processus & aditus proculdubio Christianis in communi patet; non autem speciale jus aliquod Patronorum continet. Et hunc religiosum aditum Cicero ex Libris Graecorum in suas leges *libro* 2. *de Legibus* exscripsit *hac lege*. Ad divos adeunto caste. *Jubet lex adire ad deos, animo videlicet, in quo sunt omnia: nec tollit castimoniam corporis; sed hoc oportet intelligi, cum multum animus corpori praestet, observeturque ut casta corpora adhibeantur, multo esse in animis id servandum magis*. Hunc autem aditum, Conventum, Synaxim, Concionem, sive Collectam in locis tantum rite consecratis, & ad id destinatis fieri posse & debere constat; nempe in Ecclesiis & Basilicis, sive Parochiis, in quibus, ut loquitur Concilium Agathense primum, legitimus & ordinarius Christianorum Conventus habetur; non in Capellis, Monasteriis, vel Oratoriis, in quibus

pu-

publica Missa, frequentia & Concio omnibus Christianis non permittitur jure veteri: ne, ut loquitur Gregorius in *Canone 6.* XVIII. *Quæst.* 2. in servorum Dei recessibus & in eorum receptaculis ulla popularis Conventus præbeatur occasio.

Hactenus explicuimus ex Legibus & Constitutionibus potissimum Imperatorum Christianorum, & ex antiquis Conciliis & Patribus excerpta, quæ a Gratiano vel aliis Collectoribus Canonum antiquioribus vel omissa omnino, vel non recte fuerunt explicata; quibus tamen juris Patronatus & origines & fundamenta declarantur apertissime. Consequens est ut, quos Gratianus retulit, huic argumento convenientes subjiciamus & explicemus, non eo quidem ordine, quo Gratianus, confuse & perturbate, sed accurata serie & ordine temporum. Et ut omittamus *Canonem primum* XVI. *Quæst.* 5. quem vel ex Concilio Arausicano I. vel ex Arelatensi II. ostendimus desumptum, & explicavimus: quamvis Gratianus dictum Canonem Nicolao tribuat; quia fortasse Collector inter epistolas Nicolai Papæ hoc fragmentum, ut solet fieri, allegatum deprehenderat: antiquissimum reperimus Pelagium primum inter Pontifices, cui tribuuntur *Canon in Parochia* 31. XVI. *Quæst.* 1. & *Canon Abbatem* 4. cui merito jungemus *Canonem Eleutherius* 30. XVIII. *Quæst.* 2. ad quos Canones veteres etiam Interpretes aliquid de Jure Patronatus adnotaverunt.

Ad Can. in Parochia 31. XVI. *Quæst.* 1. *Can. Abbatem* 4. & *Can. Eleutherius* 30. XVIII. *Quæst.* 2.

Et quidem in *Canone in Parochia* Pelagius ad postulationem Theodori cujusdam, qui in sua possessione Ecclesiam fundaverat, Monachum ab eo oblatum, vita & moribus comprobatum, ut in ea Ecclesia Sacerdotis officium impleret, præcipit consecrari a Bono Episcopo Sabinati, in cujus scilicet Diœcesi & Episcopatu posita erat illa Ecclesia: non quidem ut statim consecraretur, sed prorogata, idest dilata observatione; ut prius quidem ad Diaconatum Sabbato veniente a Bono Episcopo promoveretur, quatenus, ut loquitur, Pontifex ipse mediana hebdomada Presbyterum faceret.

Observandum 1. quod ait, *in sua possessione Theodorum fundasse Ecclesiam*, sicut & in *Canone Abbatem*, *possessionis etiam Domini fit mentio*, & in *Canone Eleutherius*; *in re sua & in re sui juris*, dicto *Canone Piamentis & Canone Frigentius*. Hoc enim primum observandum in ædificatione & fundatione Ecclesiarum earumque consecratione, ut qui fundarit, soli & areæ sit dominus; vel saltem domini consensum habeat: alioqui si invito vel ignorante domino ædificetur, & consecretur Ecclesia, religio non occupabit locum; nec intelligitur locus consecratus, nisi dominus postea ratum habuerit: sicut Jure Civili mortuo in alienum locum illato locus religiosus non fit, sed manet profanus *Lege* 2. §. 1. & *sequenti ff. de Religiosis & sumpt. funerum* & §. *religiosum Instit. De rerum divisione*; sed tunc locus religiosus fit, cum defuncti fuit *Lege* 4. *ff. de Religiosis & sumptibus funerum*, juncta *Lege* 2. *Cod. eodem*. Et is, qui alienum locum facere religiosum voluit, inconsulto domino, per illationem mortui, aut tollere cadaver, quod intulit, aut loci pretium præstare cogitur *l.* 7. *ff. eodem titulo*: & in *Lege penult. ff. de litigiosis* qui litigiosum locum consecravit, in gratiam quidem religionis locus semel sacer factus non resecratur, nec fiat profanus; sed duplum ex *Lege* 12. *tabularum* præstare tenetur, qui mala mente consecravit. Quam in rem insi-

insignis est *epistola 69.* Synesii *ad Theophilum Patriarcham Alexandriæ*, qua omnino improbat consecrationes Ecclesiarum, ignorante vel invito domino soli factas; quamvis rite & observatis solemnibus peracta fuerit consecratio. *Novum ait esse modum & legem publicationis* [illegible], *& nihil sanctum remanere, si* [illegible] *& novum & insolens publicationis genus, si sacræ preces, mensa, vel velum mysticum, quod nempe obtendebatur sacræ mensæ consecrationis tempore, invasionis violentæ sint instrumenta.*

Confirmatur vero isto Canone jus nominationis vel præsentationis ordinandi vel instituendi Presbyteri, quod Patrono competit; adeoque ut non tantum Clericum, sed etiam Monachum idoneum nominare & offerre possit. Quod quidem Patronis humanitatis causa & provocandæ liberalitatis non denegandum: alioquin jure Canonico quoties Clerici ordinandi vel instituendi in Ecclesiis suppetunt, præferendi sunt Monachis. Votum enim quodammodo irritum facere videntur Monachi, qui renunciantes sæculo & honoribus, ac officiis Ecclesiasticis, ut se totos quieti & contemplationi dedant; mutata postea voluntate, respicere retrorsum satagunt. Quin & olim antiquis Pontificibus & Patribus visum, regimini & administrationi Ecclesiarum parum aptos esse Monachos: & divus Augustinus in *epistola 76. ad Aurelium Episcopum* ait *aliquando bonum Monachum vix bonum Clericum facere*: & subjicit, *nimis dolendum esse, si ad tam ruinosam superbiam Monachos surrigamus; & tam gravi contumelia Clericos dignos putemus; si Monachi ad militiam Clericatus temere & promiscue eligantur*, *Canone Legi* 36. XVI. *Quæst.* 1. Quam in rem observanda Ivonis Carnotensis *epistola 36.* qui in hoc articulo Clericos regulares separat a Monachis: *quos tamen non aliter assumendos esse ad regimen Parœciarum* ait; *nisi vita & doctrina commendet, & Episcopalis auctoritas ad hoc agendum probet idoneos*, *epistola 69. & 213.* Quibus congruit *capitulum quintum de Statu Monachorum & Canonicorum regularium*. Cum magna itaque causæ cognitione, vitæ & morum, & doctrinæ ab Episcopis præcedente admittendi Monachi: nec ideo statim ad Sacerdotium festinare & admitti debent. Qua in re antiquorum Monachorum ambitionem notavit Zosimus Pontifex: idque vitium familiare in Gallia & Hispania suo tempore ait *Capitulo 1. epistolæ decretalis in Codice Canonum Ecclesiæ*. Ecclesiasticis itaque disciplinis prius per ordinem imbui, & temporis approbatione divinis stipendiis erudiri debent, ut in *dicta epistola* dicitur & in *simili epistola* Cælestini Pontificis *in eodem Codice*. Et aperte confirmatur *hoc nostro Canone in Parochia*, *& in Canone qui Ecclesiasticis Distinct.* LIX. Consensus præterea Abbatis, cui subest Monachus, necessario requiritur *Can. 26. & 27. & seqq.* XVI. *Quæst.* 1. *& capite 5. extra de temporib. Ordination. & qualitate Ordinandorum*: adeoque ordo promovendorum ex dictis Canonibus colligitur. Præferuntur Clerici idonei: si desint; Clerici sive Canonici regulares: & postremo Monachi assumendi. Hæc itaque gratia Patrono conceditur ut Monachum statim offerre possit: quod si plures simul Clericum & Monachum præsentet (quod Patrono conceditur) Clericum Episcopus præferre debet. Quod vero in *dicto canone in Parochia* Pelagius ait, *mediana Hebdomada Presbyterum faciemus*; ad tempora legitima refertur: de qui-

bus

bus tractatur *Distinct.* LXXV. quæ sic inscribitur: *de tempore Ordinum conferendorum*: cui respondet *titulus de temporibus Ordinationum & qualitate Ordinandorum*. Pontifex ait, *mediana Hebdomada*, ideſt Sabbato ante Dominicam de Paſſione, quæ eſt Dominica quinta Quadrageſimæ; ſicut ad hunc locum recte Gloſſa, & ad *caput 3. extra de temporibus Ordinationum*. Idem Pelagius de tempore Ordinationis loquens, meminit *medianæ ſeptimanæ* in *Canone* 15. *Diſt.* LXXV. & ex *veteri Ordine Romano* pagina 141. *editionis Colonienſis* conſtat eam appellationem *medianæ hebdomadæ* fluxiſſe a Sede Romana. *Dominica, quam Sedes Apoſtolica medianam voluit nuncupari*. Quod de ſacris Ordinibus intelligendum: Nam quatuor Minores Ordines etiam Dominicis, vel aliis feſtis diebus conferre licet *dicto capitulo 3. de temporibus Ordinationum*. Variam tamen obſervationem olim fuiſſe circa tempora Ordinationum docet *liber Micrologi de Eccleſiaſticis obſervationibus cap.* 24. & 29. quibus addenda, quæ nuper ad *Librum Sacramentorum* Gregorii Magni adnotavit doctiſſimus Monachus pagina 21. & 272. *in Notis*.

Quod vero objicit ad hunc Canonem Gloſſa, intervalla legitima, de quibus *can. in ſingulis Diſtinctione* LXXVII. non fuiſſe obſervata in Ordinatione Monachi, de quo in *dicto can. in Parochia*. Ex diſpenſatione ſummi Pontificis factum intellige, qui Canonis eſt Auctor: nec ſine cauſa. Conſtabat enim Monachum vita & moribus dudum fuiſſe probatum, ſicut exprimitur: tum etiam ne diutius locus Sacerdotii vacaret. Quia vero de loco Presbyteri vacante agebatur, Monachum illum Subdiaconum fuiſſe Gloſſa obſervat. Si tamen in Minoribus Ordinibus fuiſſet conſtitutus, poterat cum diſpenſatione admitti; dummodo intra breve tempus, ideſt intra annum, ut Gloſſa recte ex uſu, promoveri ad Sacerdotium poſſet *capitulo præterea extra de ætate & qualitate Ordinandorum*. Nec tamen admiſerim, ſi minor ſit ætate; adeo ut non poſſit ſecundum Canones intra annum promoveri, poſſe Epiſcopum in una & eadem perſona duas diſpenſationes conjungere; præſertim ſi de fundationibus agatur. Parendum enim voluntati Patroni; præſertim ſi conveniat cum ſanctis Canonibus. Unica præterea diſpenſatio dicto capitulo permittitur; nec per conſequentias ad aliam trahere poſſumus contra voluntatem Fundatoris & Canonum.

In *Canone Abbatem*, & *Canone Eleutherius* XVIII. *Quæſt.* 2. qui ſunt ejuſdem Pelagii, tractatur de Monaſteriorum fundationibus, & jure quod Fundatoribus competit. Et quidem in *Canone Abbatem*, dicitur Abbatem eum Ordinandum, quem ſibi de ſua Congregatione & Monachorum electio, & poſſeſſionis dominus popoſcerint. Quod jus deinde mutatum & hoc tantum Fundatoribus permiſſum, ut electioni jam factæ præbeant aſſenſum, ut Gloſſa adnotat, & pluribus explicavimus ad *Capitulum Nobis de Jure Patronatus*. In *Canone* vero *Eleutherius* dicitur conditiones impoſitas tempore, quo Monaſterium dedicatur, eſſe ſervandas; nec quidquam exigi poſſe ab Epiſcopis, in quorum Diœceſi Monaſteria fundata fuerunt. Ad quem *Canonem*, vel ad *Canonem Piæ mentis*, & *ad Canonem* 2. X. *Quæſt.* I. notant Interpretes penſionem aliquam Patrono conſtitui poſſe, auctoritate Epiſcopi accedente, in fundatione Eccleſiarum. In ipſa inquam fundatione, velut in rei traditione; quia poſt traditio-

nem

nem & fundationem non amplius admitteretur *Argumento legis perfecta donatio Codice de Donationibus quæ sub modo vel conditione;* eamque Interpretum sententiam Pontifices comprobaverunt *Capitulo præterea extra de Jure Patronatus.*

Pelagium excipiet Gregorius, quamvis non Pelagio primo, sed secundo successerit, cui tribuuntur *Canones* 34. & 35. XVI. *Quæst.* 7. Et quidem merito *Canon* 34. tribuitur Gregorio primo a Correctoribus Romanis, addita inscriptione hujusmodi: *Gregorius Papa libro 7. indictione prima Secundino Taurominitano Episcopo.* Epistolam 31. *libri* 7. intellige: ad quem Secundinum aliæ multæ Gregorii epistolæ scriptæ reperiuntur. Cum dicta *epistola* 31. conjungimus *epistolam* 33. & ex utriusque contextu quæstionem facti intelligimus: nempe Monasterium, de quo agitur *dicto Canone* 34. situm fuisse in Sicilia Maritima in Episcopatu Taurominitano. Tauromenium enim, quæ & olim Naxus, inter Pachinum & Pelotum promontoria Siciliæ constitutum erat in ora maritima: quo a Saracenis diruto, Episcopatus, urbe fere deleta, unitus fuit Troinensi: unitum vero fuit dictum Monasterium Castelliensi in Calabria sub Episcopatu Scyllitano. Ad hujus Monasterii principalis petitionem rescribit Gregorius, ut Taurominitanus Episcopus rationem tuitionis impendat Castelliensi Monasterio, & dictum Monasterium, quod unitum diximus Castelliensi, secundum consuetudinem deputatis de Congregatione eorum illic Monachis, provideat ordinari; quia rationis ordo non patitur ut Monasterium ipsum, & maxime contra voluntatem Fundatorum, ab eorum dispositione (intellige Monachorum principalis Monasterii Castelliensis) ad arbitrium suum præsertim laica persona subducat, aut aliquod sibi in id jus debeat vindicare. Ex quo Canone, adhibitis duabus illis epistolis, colligimus 1. in Ecclesiis vel Monasteriis Fundatoris leges & conditiones esse observandas; ita tamen ut non derogetur ordinariæ potestati & Jurisdictioni Episcoporum. 2. Unita Monasteria, petitis Monachis & institutionibus a principalibus Monasteriis, quibus uniuntur, ordinari, eorumque consilio & cura dirigi.

Ad Can. 34. & 35. XVI. Qu. 7.

Quæ sequuntur verba in fine *dicti Canonis* 34. (*providentia tamen & admonitione Episcopi*) quamvis in antiquis Codicibus connectantur verbis Gregorii; non sunt tamen Gregorii, nec reperiuntur in integra epistola; ideoque recte alio caractere in editione Romana scribuntur. Sunt enim Gratiani, & Canonis, qui proxime sequitur argumentum continent; nempe *Canonis* 35. cujus auctor inscribitur Gregorius. Nec tamen Gregorium primum esse Auctorem, jus quod in eo continetur, & stylus convincit. Inauditum enim Gregorii primi tempore inter coheredes Fundatorum Ecclesias dividi. Certum quidem est Imperatorum Constitutionibus, & potissimum *Novellis* Justiniani supra explicatis, non tantum Fundatoribus, sed etiam eorum heredibus jus eligendi, vel nominandi competiisse: quas leges sub Gregorio primo obtinuisse in Italia, vel ex ipsius Gregorii epistolis, qui sæpius eas refert, & ex fide historiæ colligitur. Non etiam sapit ætatem Gregorii, quod dicitur in eo *Canone, coheredes honorare faciant Ecclesias*, idest sacra Mysteria & ministeria peragi procurent; sed potius idioma Gallicum. Totidem enim verbis dictus Canon reperitur in *Capitularibus* Regum nostrorum *libro* 5. *Capitula-*

tularium cap. 43. *&* 44. Unde in leges Longobardorum translatus est *libro* 3. *legum Longobardorum titulo* 1. *de Episcopis & Clericis Lege* 43. *&* 44. & passim in *Capitularibus & Conciliis Gallicanis*, *honor & honorare Ecclesias* usurpatur pro cultu, reverentia & divinis Officiis, quæ Ecclesiis exhibentur.

Ex his omnibus colligimus auctoritatem & potestatem Episcoporum in observandis & inspiciendis Patronis, eorumque heredibus circa administrationem & cultum Ecclesiarum, quas fundaverunt. Reliqua, quæ ad *hunc Canonem* 35. a Glossa & Interpretibus adnotantur, infra commodius explicabimus.

Ad Can. 1. *&. Qu.* 1. Sequitur ut veniamus ad interpretationem Canonum, quos ex diversis Conciliis excerpsit Gratianus, pariter observata serie temporum. Primus occurrit *Canon* 1. x. *Quæst.* 1. desumptus ex Concilio Ilerdensi, habito anno 524. auctoritate Servii Metropolitani Tarraconensis; qui jungendus est cum *Canone cum pro utilitate* xvi. *Quæst.* 1. Et uterque scriptus est ex *Can.* 3. dicti Concilii Ilerdensis, quem juvat integrum perlegere. Verba dicti Canonis primi, quæ ad institutum nostrum pertinent, ea sunt: *Si ex Laicis quispiam a se factam Basilicam consecrari desiderat, nequaquam eam sub Monasterii specie, ubi congregatio non colligitur* (additur in integro Canone) *vel Regula ab Episcopo non constituitur, a Diœcesana lege audeat segregare*. Quorum verborum sententia est, Fundatores Ecclesias & Basilicas a se fundatas, earumque dotem & redditus non posse emancipare, & a lege Diœcesana eximere, idest auctoritate, potestate & Episcopali jure liberare, eo colore sive prætextu, quia sub titulo & nomine Monasterii eas consecraverint. Quæ verba si primis Canonis verbis, & *Canoni*, *cum pro utilitate*, adjungamus, apertius dubitandi ratio apparebit: ea sunt autem: *quæ in jure Monasterii de facultatibus offeruntur, in nullo Diœcesana Lege ab Episcopis contingantur*. Quæ tamen verba ne ultra mentem Patrum extendantur, observanda sunt prima verba *illius Canonis*, quæ sunt hujusmodi: *de Monachis vero id observari placuit, quod Synodus Agathensis vel Arelatensis noscitur decrevisse; aut tantummodo ut eum pro utilitate &c.* Quibus verbis significat Synodus aliquid se novi adjicere Canonibus; Concilii Agathensis *Canoni* 27. & Aurelianensis primi *Canone* 19. 20. 21. *&* 22. Ex quibus constat secundum antiquorum Canonum statuta Monasterium, nisi Episcopo aut permittente, aut probante, fundari non posse: Regulam præterea Monachis ab Episcopis constitui, vel saltem probari: & ipsos Abbates pro humilitate religionis in Episcoporum potestate consistere; & si quid extra regulam fecerint, ab Episcopis corrigi. Nulla præterea in duobus illis Conciliis Agathensi & Aurelianensi I. immunitas conceditur facultatibus & bonis, quæ Monasteriis offeruntur, sed juris communis dispositioni omnia relinquuntur, juxta quod in dictis Conciliis media vel tertia Pars oblationum rerum mobilium assignatur Episcopo; reliqua ad Clerum pertinere dicuntur. Quæcumque vero immobilia sunt, in potestate Episcoporum constituuntur *Canone* 14. *&* 15. Concilii Arelatensis primi: quamvis nihil nominatim de Monasteriis caveatur; arbitrio Episcoporum permisso hujusmodi negotio. Quare singulare jus continetur *dicto Canone* Ilerdensi, ut verba significant: hoc enim adjectum fuit; *ea quæ Monasteriis de facultatibus offeruntur, in nullo le-*

ge

ge Diœcesana ab Episcopis contingi, idest nullam Episcopi esse potestatem, nihil ex iis bonis posse decerpere. Lex enim Diœcesana, nihil aliud significat, quam jus Episcopale universum, auctoritatem & potestatem, quam in universa Diœcesi obtinet; quæ jure communi omnibus Episcopis competit in personas Clericorum & Monachorum, & in eorum facultates: sicut ex pluribus locis colligi potest, in quibus jus Episcopale universum appellatur Lex Diœcesana *cap. 9. de majoritate & obedientia*, *cap. 10. de in integrum restitutionibus*, *cap. 20. & 21. de sent. & re Judicata*, *cap. 17. extra de Privilegiis:* quibus addimus elegantes eam in rem epistolas Innocentii tertii *libri 1. Registri epist. 464. & libri 2. epist. 130.*

Quod jus singulare, sive locale in Tarraconensi provincia indultum, postea receptum fuisse videtur per universam Hispaniam, ut ex Toletanis Conciliis constat, quibus statuitur, ut de his, quæ Monasteriis offeruntur, nullam partem Episcopus accipiat. Gratianus tamen tanquam generale aliquod Constitutum per universam Ecclesiam produxit; sicut & eodem ingenio singularia quædam privilegia a Gregorio I. certis tantum Monasteriis concessa, tanquam jus commune omnibus Ecclesiis usurpavit, multis detractis, additis, & suppositis in *Can. 1. 2. 3. 4. 5. & sequentibus* XVIII. *Quæst. 5.* Cui juri novo cum manifeste contradicerent *Canon 30. & 31. eadem Causa & Quæstione*, & alii loci plurimi; & ipsa veritas: commentitiis quibusdam solutionibus conciliare frustra tentavit in fine *Canonis 30. & 31. eadem Causa & Quæstione*; & in errorem induxit veterem Interpretem Decreti, qui ad *Canonem primum* X. *Quæst. 1.* specialem quandam legem Diœcesanam excogitavit, quæ pertinere tantum ad ea omnia onera & jura Episcopalia, quibus Monasteria falso exempta volunt: & potestatem omnem Episcopi dividunt in duas partes summas, videlicet specialem illam legem Diœcesanam, & alteram legem, quam vocant jurisdictionis, plane incognitam ante illud commentum Joannis. Et quidem, ut diximus, omnia Monasteria lege Diœcesana exempta volunt; legi vero jurisdictionis fatentur esse obnoxia: quamvis ut supra probavimus & legi tam Diœcesanæ quam jurisdictionis subjecta, vel ab utraque libera fuerint. Exempla fictitiæ illius legis Diœcesanæ enumerat Joannes ad *dictum Canonem 1. X. Quæst. 1.* & plenius Glossa explicat ad *Capitulum dilectus de Officio Judicis Ordinarii*. Quam quidem distinctionem Legis Diœcesanæ & Jurisdictionis quamvis Honorius III. in *dicto capitulo dilectus* quodammodo agnoverit in difficili lite dijudicanda; idem tamen Honorius in *cap. ult. de Capellis Monachorum* agnoscit nonnullos Monachos Lege Diœcesana etiam Episcopo esse subjectos. Quo loci Glossa perperam ait legem Diœcesanam esse Legem Jurisdictionis; cum tamen, ut diximus, idem Honorius in *dicto capitulo dilectus* distinctionem inter Legem Diœcesanam & Legem Jurisdictionis agnovisset, & potestatem omnem Episcopi divisisset in Legem Diœcesanam specialem, & Legem Jurisdictionis: quo sensu lex Jurisdictionis intelligitur continere ea quæ sunt Ordinis & Jurisdictionis proprie dictæ. Quænam vero illa sint jura pluribus exemplis declaravit antiquus Interpretes Joannes ad *dictum Canonem primum* X. *Quæst. 1.* & plenius post eum Glossa ad *Capitulum Dilectus de Officio Judicis Ordin.*

M 2 Sed

Sed redeamus ad *dictum can. primum*. Prætextu & colore quæsito, nudo nomine & titulo Monasterii prohibentur ædificari Basilicæ a Fundatoribus eo proposito, ut res & bona, quæ in dotem Basilicæ offeruntur, non sint obnoxia Legi Diœcesanæ, idest ne Jura Episcopis canonice debita persolvantur. Illa tamen prærogativa in veris Monasteriis admittitur, & locum habet jure singulari ex dicto Concilio Ilerdensi; quæ ita describuntur, ubi plurium Monachorum cœtus colligitur & Regula ab Episcopo constituitur. Per id enim temporis secundum veterum Canonum Constitutiones Monasteria & Monachi sub Episcoporum potestate consistebant. Quod si Basilicas Laici ædificavissent, in quibus plebis & populi conventus legitimus haberetur, ad plenissimam Episcopi ordinationem & potestatem pertinebant, & ab Episcopo tam Lege Diœcesana quam Jurisdictionis regebantur; nec quidquam quolibet prætextu in præjudicium Episcoporum vel in ipsa Lege fundationis cavere licebat, ut dos Ecclesiæ ad Episcopi ordinationem non pertineret, Concilio Toletano III. *Canone* 19. *&* *Canone* 2. 3. 4. *& seqq.* x. *Quæst.* 1. Quin imo Capellæ Monachorum & Ecclesiæ Parochiales, quæ Monasteriis annexæ sunt, quamvis Monasteria sint exempta, Episcoporum subsunt potestati, *cap.* 1. *de Capellis Monachorum;* nisi Episcopi cum consensu Capituli juri suo solemniter renunciaverint, vel eodem consensu interveniente, primum Capellas vel Ecclesias hujusmodi pleno jure, idest tam in spiritualibus, quam in temporalibus concesserint Monasteriis *cap.* 6. *&* 7. *extra de Religiosis domibus*, *cap.* 16. *&* 17. *de Privilegiis*.

Quod autem diximus pleno jure Ecclesias ad Episcopos pertinere, ita intelligendum, ut diximus; dummodo canonica tantum jura & legitima percipiant, nec in usus suos reditus Ecclesiarum convertant, nec avaritiæ sitis etiam Episcoporum mentes obtineat; qualis avaritia gravissime describitur in Concilio Toletano IV. *Can.* 32. habito sub Honorio I. ex quo colligitur quod descriptum fuit *can.* 60. XVI. *Quæst.* 1. *& can. noverint* x. *Quæst.* 1. quem supra explicavimus. Et quidem in *dicto Canone* 60. tam de oblationibus, quam de tributis ac frugibus tertia Episcoporum constituitur secundum Canones & morem Hispaniæ; quarta vero secundum morem Ecclesiæ Romanæ *Canone* 26. 28. *& seqq. & can. mos est* XII. *Quæst.* 2. Itaque recte Gratianus ad *Canonem*, *possessiones* 61. XVI. *Quæst.* 1. adnotat de ea portione judicandum secundum diversas consuetudines. Quod si amplius quidpiam præsumpserint Episcopi, per Concilium restauretur, appellantibus, ut loquitur dictus *Canon.* 60. XVI. *Q.* 1. aut ipsis Conditoribus, aut certe propinquis eorum, si jam isti a sæculo decesserint. Ex quibus Canonis ultimis verbis constat Conditoribus & Fundatoribus Ecclesiarum eorumque liberis vel propinquis licere, querelam proponere in Conciliis adversus avaritiam & dilapidationem Episcoporum: idque apertius repetitum & cautum in Concilio Toletano IX. *Canone* 1. quem suo ordine explicabimus. Sed antequam progrediamur ulterius, observandum Patronorum jura ad tria Capita reduci solere, quæ vel ad honorem, vel ad onus, aut utilitatem Patronorum pertinent. De honore aliquid supra, v. g. ut de eorum nomine appellentur Ecclesiæ, & prærogativa sedendi & procedendi eis competat; & quod præcipuum est, jus Patronatus, ut eis præsentatio sive nominatio & electio

electio competat in locum vacantem in Ecclesia, quam fundaverint. Pertinet vero ad onus & sollicitudinem, ut prospiciat & invigilet Patronus, utrum rite a Clericis, quos nominavit, & secundum Leges fundationis sacra mysteria peragantur; ne quid Ecclesia non tantum a Ministris, sed etiam ab ipsis Episcopis detrimenti patiatur, non solum in temporalibus, sed etiam in spiritualibus.

Utilitas Patroni in eo vertitur, v.g. ut si ad inopiam redactus fuerit ei subministrentur ab Ecclesia ad victum necessaria *can. quicumque* 30. xvi. *Quæst.* 7. qui Canon desumptus est ex *canone* 37. Concilii Toletani quarti, cujus hæc est sententia: *quicumque fidelium aliquid de facultatibus suis Ecclesiæ contulerint, si forte ipsi aut eorum filii ad inopiam redacti fuerint, ab eadem Ecclesia suffragium vitæ accipiant.* Ex cujus *can.* verbis notandum, non tantum de Fundatoribus, sed generaliter de omnibus, qui liberales extiterunt in Ecclesias, idem juris statui. Quod confirmat ratio generalis quæ subjicitur in integro Canone. *Si enim Clericis, seu Monachis, vel Peregrinis quamlibet necessitatem sustinentibus, pro solo Religionis intuitu in usum res Ecclesiasticæ largiuntur; quanto magis consulendum est, quibus retributio justa debetur, quibus restituenda est retributio & vicissitudo.* Quare strictius Gratianus & Interpres hunc Canonem de solis Fundatoribus accipiunt. Quæ vero in fine Canonis verba subjiciuntur: *Si ergo Ecclesiasticas facultates, &c.* sunt Gratiani. Sicut & quæ in fine præcedentis Canonis verba subjiciuntur: *Si vero Fundatores &c.* non sunt confundenda cum præcedentibus: sunt enim Gratiani; quamvis in quibusdam Codicibus confundantur. Confirmatur vero & intelligitur dictus *canon*, *quicumque* in fine *capituli nobis* 25. *de Jure Patronatus*; quod & exemplis a Jure Civili desumptis Glossa illustravit. *Ad can. quicumque* 30. *xvi. Q.* 7.

Sequuntur explicandi secundum ordinem temporum *Canones* 31. & 32. *eadem Causa* xvi. *Quæstione* 7. qui petiti sunt a *Canonibus* 1. & 2. Concilii Toletani noni habiti sub Vitaliano II. anno Christi 655. Et quidem 31. hæc est sententia, ut prospiciatur accuratius doti & facultatibus Ecclesiarum, non tantum Fundatoribus, sed liberis aut honestioribus propinquis eorum inspectio permittitur; & si præviderint Sacerdotem vel Ministrum aliquid defraudare ex collatis rebus, eos commonitionis honestæ conventione compescant; vel si eam negligant, Episcopo vel Judici corrigenda denuntient. Quod si Episcopus ipse talia tentet agere, v.g. si e rebus Ecclesiæ, quæ in quibusdam locis a fidelibus largiuntur, aliquid auferat, aut Cathedræ propriæ civitatis connectat, sicut dicitur in integro Canone, Metropolitano insinuare procurent. Quod si eadem Metropolitanus admittere deprehendatur; Regis auribus intimare non differant, hac addita ratione: *devotio enim uniuscujusque sicut grataнter votum contulit; ideo ita definivit, quod plenitudo votorum conservaretur in loco, in quo velut si locata tenentur, manet gratia offerentis; ita si frustrantur, imminet pernicies defraudantis.* In fine vero dicti canonis, vice mutata, Fundatoribus eorumque heredibus inhibetur, ne in rebus semel donatis potestatem exerceant, easque revocare tentent in sua jura; hac pœna Ecclesiastica proposita, ut præter male raptorum restitutionem, excommunicationis annuæ sententiam sustineant. In *can.* vero 32. eadem sollicitudo Fundatoribus injungitur; & admonentur præterea: *Ut idoneos recto-* *Ad can.* 31. & 32. *xvi. Q.* 7.

res

res in Ecclesiis, quas fundaverint, offerant Episcopis ordinandos. Quod si non repererint idoneos, Episcopus loci, quos Deo placitos noverit, sacris cultibus instituat cum eorum conniventia, idest cum consensu Fundatorum. Conniventia enim apud Scriptores ætatis mediæ consensum significare, pridem ad *epistolam Ivonis* 226. doctissimus Juretus observavit. Additur in eodem Canone: *quod si spretis iisdem Fundatoribus: (in aliis Codicibus legitur alio sensu) quod si superstitibus iisdem Fundatoribus*: quibus verbis heredes excludi viderentur contra jus, quod etiam illo tempore obtinebat, ut ad heredes jura Patronatus producerentur. Rectius itaque apud Gratianum: *Si spretis fundatoribus*, generaliter; *Rectores ibidem præsumpserit ordinare Episcopus*, idest quod si sine consensu Fundatorum aut eorum heredum rectores in dictis Ecclesiis præsumpserit Episcopus ordinare; *hujusmodi ordinationem suam noverit irritam esse, & ad verecundiam suam alio ordinari, quos iidem ipsi Fundatores condignos elegerint*.

Jus itaque nominationis, electionis, vel ut vulgo vocant, Præsentationis Fundatoribus confirmatur. Quod & longe ante illud Concilium non tantum Fundatoribus, sed etiam eorum successoribus competere probavimus; cum hac tamen conditione necessaria, ut nominatos Episcopus examinet; & si compererit idoneos, consecret & ordinet. Unde in *Canone in Parochia*, quem supra citavimus, ad postulationem Fundatorum Presbyteri consecrari dicuntur. Ita vero ab Episcopis ad postulationem Fundatorum in Ecclesiis tempore ordinationis denominati vel introducti, postea non possunt expelli arbitrio Fundatorum vel eorum successorum, absque Episcopi judicio, & causa cognita cum severitate Canonica propter gravissimam culpam, & sententia prolata *Canone* 29. 37. & 38. *dicta Causa* XVI. *Quæst.* 7. quos accuratius in sequentibus explicabimus.

In Canonibus vero superius expositis negotium facescit *Ordinationis & Consecrationis* mentio *ad postulationem Patroni*, & *irritæ ordinationis*, quamvis ab Episcopo facta fuerit, sed spreto Patrono. Itemque ignoravit Glossa quid proprie significaretur per *denominationem Ecclesiæ in tempore ipso ordinationis*: quam denominationem Glossa accipit de Electione, sive Nominatione a Patrono facta; perperam tamen, quia hujusmodi nominatio in ipso tempore Ordinationis fieri dicitur. Præterea *expellendi* verbum in *dicto canone* 29. eam deducit ad absurdissimam interpretationem, ut quis dicatur expelli de jure, cujus possessionem nunquam apprehenderit. Verus intellectus dictorum Canonum repetendus est ex antiquo usu Ecclesiæ, qui fuit hujusmodi, ut nemo absolute, idest sine certo titulo & loco in aliqua Ecclesia vacante ordinaretur; & ad quem locum & Ecclesiam, in ipso ordinationis faciendæ tempore, publice denominabatur ordinandus in Ecclesia, in qua peragebantur ab Episcopo ordinationes: quæ publicatio, sive proclamatio Ordinandorum fiebat in conspectu totius Conventus Christianorum, qui frequentissimus in hujusmodi solemnitate adesse solebat; idque sive ad minores, sive ad majores, idest sacros ordines promotio procederet.

Publicationis vero sive denominationis hujusmodi erat formula. A Lectore de ambone, elevata voce, jussu Episcopi recitabatur & pronunciabatur nomen ordinandi & Ecclesiæ, sive Tituli, ad quem Ordinabatur. Illius vero

vero formulæ exemplum extat in *ordine veteri Romano*. *De titulo sanctæ Mariæ*, idest Ecclesia, *eligimus Petrum ad Ostiarium ad eundem titulum, vel Lectorem &c.* Vel si ad sacros Ordines: *eligimus Diaconum, aut Presbyterum: si quis habet contra hos viros aliquam querelam, exeat cum fiducia, & dicat*. Solebant enim in Ordinationibus Episcopi consulere populum, & ut Cyprianus ait, *& merita & mores Ordinandorum communi consilio ponderare*.

Post hujusmodi publicationem peragebatur ordinatio & omnibus expletis, Missaque rite peracta, a Pontifice solemniter procedente cum universo Clero Ordinati deducebantur ad statutos titulos, in quibus populus expectabat, & excipiebat proprium Sacerdotem. Quæ omnia totidem fere verbis exscripsimus ex *ordine Romano* pagina 88. 89. & 90. editionis Coloniensis, *libro de divinis Officiis & e Sacramentario* Gregorii Magni nuper edito pagina 235. & 236. Quod & Glossa ad *caput Dudum* 52. *extra de Electionibus* in verbo *intitulatum* non videtur ignorasse: & apertius Correctores Romani ad *Canonem* 29. XVI. *Qu.* 7. *& ad can. primum Dist.* LXX.

Ex quibus intelligimus quid significent hæc verba *dicti Canonis* 29. *in Ecclesiis ordinationis tempore denominari & introduci, sive intitulari*; & quod passim dicitur ad Electionem, postulationem vel præsentationem Patroni ordinari ad Ecclesiam ab eo fundatam. Intelligimus etiam quod antiquissimus Interpres *Canonis 6.* Chalcedonensis ait in *Canone* 1. *Dist.* LXX. *nisi manifeste in Ecclesia civitatis qui ordinatur, mereatur publicatæ ordinationis vocabulum*: in Græco ει μη ιδικως εν εκκλησιᾳ πολεως ὁ χειροτονουμενος επικηρυττοιτο. Dictio απολυτως, idest *simpliciter, sive generaliter* opponitur dictioni ιδικως, idest *expresse*. Uno verbo generalis, sive absoluta, & ad nullam Ecclesiam expressam & specialem facta ordinatio inutilis erat, nulla & irrita. Dionysius Exiguus ita vertit: *nisi specialiter Ecclesiæ civitatis, aut possessionis, aut Monasterii, qui ordinandus est, pronuncietur*. In Concilio Ancyrano *canone* 18. ωνομασθησαν, idest *fuerunt denominati*, vetus versio & Dionysii Exigui. Alioquin, ut diximus, generaliter facta ordinatio & absolute, idest non expressa certa Ecclesia & loco, cui ordinetur serviturus, erat irrita, vacua & inefficax. In *Capitulari Aquisgranensi sub Carolo Magno, inefficacem esse hujusmodi ordinationem, & nusquam posse ad ordinantis injuriam valere*. In quo Capitulari elegans summa *dicti Canonis 6* Chalcedonensis conficitur his verbis: *Ut nullus absolute ordinetur, & sine pronunciatione & stabilitate loci, ad quem ordinatur*. Harmenopolus in *Breviario Canonum*, ατιμος εσω, idest *Laicus maneas*: nempe adeo nulla erat hujusmodi ordinatio sine titulo & Ecclesia certa, ut Laicus maneret, qui sine titulo ordinabatur; & ut secundum Theologos loquamur, Character non imprimebatur propter vitium illud insigne in ordinatione. Et merito Innocentius III. in *cap.* 16. *de Præbendis*, Prædecessores nostros, ait, Ordinationes eorum, qui sine certo titulo promoventur, in injuriam ordinantium irritas esse voluerunt & inanes. Eademque forma in *dicto Canone* 2. Concilii Toletani noni dicitur, *ordinationes, invitis Fundatoribus, ab Episcopo factas ad Ecclesias, quas fundaverant Patroni, irritas esse, & ad verecundiam eorum alios, quos Fundatores elegerint, ordinari*; perinde ac si ordinati fuissent sine ullo

ullo titulo. Et hodie multo magis dicendum, institutionem factam ab Episcopo nullam esse, & alium in eodem loco præsentari instituendum a Patrono; qui instituetur, vel ab ipso Episcopo, vel ab ejus Metropolitano; sicut in *Canone* 1. ejusdem Concilii Toletani noni Episcopi negligentiam vel culpam emendat Metropolitanus.

Ad can. 37. *& 38. XVI. Q.* 7. Sequuntur *Canon* 37. desumptus ex Concilio Moguntino sub Carolo Magno, & *Canon.* 38. ex Concilio Cabilonensi II. *cap.* 42. sub eodem Carolo Magno *eadem C.* XVI. *Q.* 7. quibus adjungimus ejusdem argumenti *Canones* 4. *&* 5. Arelatensis VI. Remensis II. *can.* 12. Turonensis III. *can.* 15. sub eodem Carolo, & *Capitulare* ejusdem Caroli Magni I. editum a doctissimo Sirmondo *tomo* 2. Conciliorum Galliæ pagina 323. quæ Concilia quinque & dictum Capitulare anno Imperii Caroli Magni 13. ejus jussu & auctoritate, super corrigendo statu Ecclesiarum celebrata fuerunt anno Christi 813. Dictum vero Capitulare editum fuit in Conventu Aquisgranensi; in quo Constitutionum omnium, quæ in quinque illis Synodis promulgatæ fuerant, collatio coram Imperatore fuit habita, & multæ Constitutiones dictorum Conciliorum, non generaliter, sed singillatim confirmatæ fuerunt, ut discimus ex *Chronico* Eginarti ad annum 813. Quare mirum non est, si fere illi omnes earum Synodorum Canones in Capitularia Regum nostrorum relati postea fuerint.

Et quod pertinet ad argumentum, quod tractamus *dicti Canones* 37. *&* 38. ex Conciliis Moguntino I. & Cabilonensi II. supra citatis excerpti deprehenduntur, totidemque verbis habentur *libro* 5. *Capitularium cap.* 82. *& in legibus Longobardorum libro* 3. *tit.* 1. *Lege* 43. & in Concilio Romano sub Leone IV. *Can. penult. & ult.* qui & Leo IV. auctor est *Canonis* 29. XVI. *Qu.* 7. in quo supradictorum Canonum brevis sententia refertur. *Contra Sanctorum*, ait, *Patrum censuras videtur existere, si secularis & laicus Presbyteros Ecclesiis, in quibus tempore Ordinationis eorum denominati & introducti fuerunt, nitatur expellere.* Ut rem totam apertius explicemus ex dictorum Conciliorum Canonibus, Arelatensi præcipue, Turonensi, Cabilonensi & Romano: Laici, Clerici & Abbates temeritate, vel quod gravius est, cupiditate & avaritia ducti, indignos, pravos & imperitos Clericos absque consensu Episcoporum, ad quos pertinet, data pecunia Ecclesiis præficere, vel removere solebant, & alios indignos pro arbitrio substituere. Quod vitium latissime diffusum agnoscunt. Quare tot super eadem re iterata Concilia; quæ & Capitularibus Regum nostrorum confirmata. Nec tantum adhibitæ Censuræ Ecclesiasticæ, sed etiam pœnæ gravissimæ, & multæ in fiscum inferendæ tam a Patronis, quam a Clericis, qui malis artibus Ecclesias occupare nitebantur: & districtissime constitutum, ne Conditores Laici, vel Ecclesiastici cuilibet Presbytero dare vel auferre præsumant Ecclesias sine licentia & consensu Episcopi, a quo ad divini Officii ministerium venerabiliter expeti debent. Episcopis enim singulariter Diœceses pertinent, qui & canonice debent ipsis providere, & provisas ordinare dicto Concilio Romano *Can. ult.* Clerici enim diligenter prius instructi ab Episcopis Ecclesias sibi deputatas accipere debent, ne per ignorantiam etiam in ipsis divinis Sacramentis offendant; cum & administrationis Sacramentorum

in

in Conciliis Episcopis suis rationem reddere teneantur, dicto Concilio Arelatensi *Canone* 4. Ubi vero semel rite & canonice fuerint Ecclesias adepti, non ad arbitrium Fundatorum, sed causa cognita tantum & probata propter gravissimam culpam, & secundum canonicam severitatem prolata sententia debent ejici, dicto *Canone* 38. XVI. *Qu.* 7. & dicti Arelatensis Concilii *Canone* 4.


Sicut autem æquissimum fuit temeritatem, avaritiam & violentiam Patronorum coerceri; ita etiam justum fuit iisdem Conciliis legitima & canonica jura Patronorum conservari; nec ab eis Clericos probabilis vitæ & doctrinæ oblatos Episcopis consecrandos & instituendos, ulla rejici occasione, *Canone* 49. Concilii Wormatiensis sub Adriano II. & antea in Concilio Romano sub Leone IV. *can.* 21. cujus pars relata est a Gratiano in *Canone* 33. *dicta causa & quæstione*, quo præcipitur *Constructori invito, Monasterii vel Oratorii ab eo constructi dominium non esse auferendum*. Ad quem locum Glossa non imperite adnotat, ex sententia tamen potius quam ex verbis, invito Patrono non posse de Ecclesia fieri Monasterium, vel contra de Monasterio Ecclesiam. Sequitur in *dicto Canone: liceatque illi Presbytero, cui voluerit, pro sacro Officio illius Diœceseos & bonæ auctoritatis dimissoria cum consensu Episcopi, ne malus existat, commendare*. Hæc tantum retulit Gratianus. Sequitur, quod omisit: *ita ut ad placita & ad justam reverentiam ipsius Episcopi obedienter Sacerdos recurrat; alioquin canonicis ultionibus subjaceat*. Sensus integri Canonis hic est: Patrono jus Electionis & nominationis Presbyteri in Oratorio vel Monasterio confirmatur; ita tamen ut præsentatum Episcopus post inquisitionem & examinationem admittat; quemlibet idoneum, inquam, Presbyterum, sive illius Diœceseos, in quo Monasterium vel Oratorium conditum est, sive alterius Episcopatus; dummodo dimissoriam bonæ auctoritatis habeat, idest dummodo rite & canonice confectas litteras dimissorias a proprio Episcopo obtinuerit. Quibus verbis significatur accurata forma, quæ præscribitur in *Canone* 18. ejusdem Concilii, quo præcipitur, *ne falsæ litteræ dimissoriæ ut veræ credantur; & veræ ut falsæ suspicentur, eas roborari oportere Bulla universalis Pontificis, vel Imperatoris, vel Metropolitani*. Ad can. 33. XVI. Q. 7.

Commendandi, & commendationis verbum, quo utitur *dictus Canon* 21. & *Canon* 24. ejusdem Concilii frequens fuit illa ætate pro jure ipso Electionis, vel nominationis, & ut hodie loquimur, præsentationis, sicut constat ex *Can.* 50. Concilii Arelatensis VI. Moguntini primi *Canone* 30. dicti *Capitularis* Caroli Magni *cap.* 2. *tomo* 2. Concil. Galliæ pag. 323. *ut Laici omnino non audeant munera exigere a Presbyteris propter commendationem Ecclesiæ*. Et in *additione* 3. Capitularium *cap.* 62. & Auctor *vitæ* sancti Udalrici: *consecratione peracta doteque contradita, comprobato illic Presbytero Altaris procurationem commendavit*. Quibus omnibus locis auctoritas & potestas eligendi, nominandi & præsentandi confirmatur & explicatur.

Superest explicanda inscriptio *dicti Canonis* 33. In veteribus editionibus Romanæ Synodo tribuitur, non addito nomine Pontificis. Correctores Romani ita restituunt. *Ex Synodo Romana Eugenii II. & Leonis IV. cap.* 21. ad cujus inscriptionis intellectum, notandum duas Romanas Syno-

dos super reformatione & emendatione disciplinæ fuisse habitas, & in utraque eosdem fere Canones promulgatos, primam sub Eugenio II. anno Christi 826. quorum titulos tantum edidit Baronius & ex eo Binius: alteram vero sub Leone IV. anno Christi 853. cujus Synodi Canones fere integros retulit auctor *vitarum* Pontificum, qui sub nomine Luitprandi solet subjici post Anastasium Bibliothecarium.

Ad can. 36. XVI. Q. 7. Postremus occurrit *Canon 36. si plures* XVI. *Qu.* 7. desumptus ex Concilio Triburiensi sub Arnulpho; ordine etiam temporum postremus ex illis, quos explicavimus; cujus argumentum tantum retulit Gratianus, & extat integrior in *cap.* 1. *extra de jure Patronatus*. Et hæc de Jure Patronatus antiquo dicta sufficiant.



AD

AD GRATIANI
CAUSAS XXVII. XXVIII. XXIX.
ET RELIQUAS SEQUENTES AD XXXVI.

TRACTATUS

De Sponsalibus & Matrimoniis.

PRÆFATIO.



IN Causis Matrimonialibus explicandis non repetit ab initio Gratianus, quid Sponsalia, quid Matrimonium, & reliqua quæ ad materiam, formam vel cæremonias Matrimonii celebrandi pertinent: quamvis hæc omnia possint elici ex variis quæstionibus, quas tractavit. Ejus itaque Consilium est, ut quoniam vulgo dicitur libera esse debere Matrimonia, explicet ex quibus causis jure divino vel canonico latissima illa potestas coarctetur. Sunt enim multiplicia Matrimoniorum impedimenta, quæ tamen ad summa duo genera solent reduci. Quædam enim Matrimonium contrahendum impediunt, sed jam contractum non dirimunt: quædam vero & contrahendum impediunt, & etiam dirimunt contractum.

Primi generis exempla sunt prohibitio Ecclesiæ, & tempora feriarum, quæ impediunt propter honorem & reverentiam Ecclesiæ debitam, ne Matrimonium contracturi ultra progrediantur, vel ne tempore prohibito nuptiæ celebrentur.

Prohibitio Ecclesiæ intervenire debet, quoties ad Ecclesiam referuntur justæ & probabiles quædam causæ, quæ videntur obstare Matrimonio contrahendo, v. g. post denunciationes & Banna publica: quibus casibus Ecclesia prohibet, ne Matrimonium celebretur, antequam de impedimento ipsa cognoverit. Quod si non obstante prohibitione, contractum fuerit, separari debent conjuges interim, donec de impedimento cognoscitur: qui si vel deficiunt in probatione cum allegaverint illud impedimentum, vel nullum fuisse, aut non tanti momenti constiterit, ut propterea solvatur Matrimonium; viro & uxori pœnitentia injungitur propter contemptum Ecclesiæ. Nec enim conveniens est, ut ob solam prohibitionem Ecclesiæ absque causa aliqua gravissima Sacramentum conjugii dissolvatur *cap. 2. extra de Matrim. contra interdictum Ecclesiæ celebrato*. Itaque post pœnitentiam peractam ad conjugium redire tenentur.

Secundum impedimentum non dirimens, si temporibus prohibitis ab Ecclesia nuptiæ celebrentur, non dissolvit quoque Matrimonium, sed pœnitentia injungitur.

Impedimenta vero dirimentia XIII. vulgo numerari solent 1. Error personæ, v. g. si cum existimarem me ducere in uxorem Mariam, tamen Annam ducam. 2. In conditione, si Titiam existimans esse liberam, servilis tamen sit conditionis; quæ servitus in Gallia nostra exulavit: quia illa duo consensum impediunt, qui necessarius est in nuptiis. 3. Impedimentum, Cognatio usque ad quartum gradum inclusive. 4. Affinitas. 5. publicæ honestatis, quam vocant, justitia. 6. Crimen v. g. incestus, raptus alienæ Sponsæ, &c. Ex Causis tamen criminum quædam impediunt omnino Matrimonium contrahi, & contractum de facto dissolvunt: quædam vero contrahendum impediunt, sed non dissolvunt jam contractum. 7. Religionis disparitas: fidelis enim infidelem ducere non potest, & ex causa ista contractum Matrimonium dirimitur. 8. Si vis, coactio & metus intervenerit, non quidem quilibet, sed qui cadat in constantem virum. 9. Impedimentum, si continentiam voverit, & votum expressum fuerit, non tacitum. 10. Si quis ad Ordines sacros promotus fuerit, v. g. ad Subdiaconatum, Diaconatum & Presbyteratum; quia sacris Ordinibus tacite inest & inhæret continentia. 11. Ligaminis impedimentum. 12. Propter impotentiam naturalem. 13. Ætas, si nempe impubes, vel nondum viripotens, idest duodecim annis minor fœmina, & masculus quatuordecim contraxerint Matrimonium.

In progressu tamen ostendemus circa quædam ex impedimentis dirimentibus, quæ numeravimus, multa fuisse immutata & temperata, præcipue circa cognationem, affinitatem, publicæ honestatis justitiam, & cognationem spiritualem & legalem.

Antequam ad Causæ 1. materiam veniamus, quæ pertinet ad voti impedimentum: ad illius Causæ & reliquarum evidentiorem intellectum quædam generalia de Sponsalibus & Matrimoniis præmittenda sunt. Et quidem Matrimonium contractibus multis occasionem & originem præbet, & ut eleganter loquitur Alexius Comnenus *Novella de Sponsalibus*, duo sunt Matrimoniorum ορισμοι, sive duo termini Sponsalia & Matrimonium: plures vero intermedii contractus occurrunt. Nec enim prima mentio & primus sermo, sive tractatus absolvunt tantum negotium. Incipiendum a Sponsalibus, & desinendum, ut jam diximus, in Matrimonio. Unde Sponsalia recte definiuntur mentio, sive repromissio futurarum Nuptiarum *Lege 1. ff. de Sponsalibus*. Repromissio vero latissime accipitur, ut nudum consensum significet, idest etiam sine stipulatione, quamvis sponsalia a spondendo, idest a stipulando nomen acceperint ex juris veteris observatione, quo verbis stipulari & spondere sibi uxores futuras solebant, & inter præsentes tantum. Sublata tandem necessitate stipulationis, quomodocumque interpositus consensus sufficit, vel etiam inter absentes, per procuratorem vel per internuntium *Lege* 2. 3. 4. & 5. *ff. de Sponsalibus*. Quod & jure canonico receptum, quo & Sponsalia & nuptiæ nudo consensu & inter absentes perfici possunt. Remansit tamen vetus sponsalium nomen, sicut & vetus nuptiarum, quamvis hodie neque stipulatio interveniat, neque in nuptiis flammeo velo nova nupta caput

caput obnubat: ſicut & hodie Baptiſmi nomen retinemus, licet ritus, a quo nomen ſumpſit, non retineatur.

Plures autem medii contractus interveniunt inter ſponſalia & nuptias, v. c. Arrarum datio, ſponſalitia largitas, dotis conſtitutio, donatio ante nuptias, quæ propter nuptias etiam vocatur: ſtipulationes & cautiones variæ, quæ propter nuptiarum cauſam interponuntur. Dicimus ſolere intervenire, quamvis & aliquando & præcedere, & ſequi contingat, veluti dotis datio, & donatio propter nuptias, quæ etiam poſt peractas Nuptias contrahi poſſunt: ſed intellectu juris non immerito acceſſiones & ſequelæ Nuptiarum hujuſmodi contractus appellantur; quia ſine Nuptiis conſiſtere non poſſunt. Ad conſtituendum enim facilius & conciliandum atque corroborandum Matrimonium interveniunt. De hujuſmodi conventionibus variis, quas irridet, D. Chryſoſtomus in *homilia* 74. *in Matth.* ita loquitur. *Quis uxorem ducturus quibuſnam ſit moribus, & quomodo puella educata ſit, inveſtigat? nullus omnino; ſed quanta pecunia ſtatim, & poſſeſſiones, & variarum rerum & bonorum copiam, veluti aliquid empturus foret, vel communem aliquem contractum peracturus. Quare & Matrimonium Synallagma dicunt: multos enim audivi dicentes, ille contraxit cum illa, ideſt conjugio copulati ſunt. Ita donum Dei contumelia & injuria afficiunt, & veluti ementes ac vendentes, viri ducunt uxores, & mulieres viris nubunt. Stipulationes quoque Nuptiarum majore aſtutia componunt, quam eas, quæ in vendendo & emendo confici ſolent. Diſcite quomodo veteres Patres uxores ducebant, & imitamini. Quo pacto ergo ducebant? Ingenium, mores animi, virtutem quærebant; ac ideo ſtipulationibus, & longa inſtrumentorum ſerie non indigebant: ſufficiebant enim loco illorum omnium mores Sponſæ.*

Sponſalia itaque & contractus illos intermedios Matrimonium concludit. Hujus definitionem ex Juriſconſultorum Libris deſcripſit Gratianus initio *Quæſtionis* 2. *Cauſæ* XXVII. & Alexander III. in *cap.* 13. *extra de Præſumptionibus*: *ſunt nuptiæ viri & mulieris conjunctio individuam vitæ conſuetudinem retinens.* Quam definitionem ſi verba & mentem Juriſconſultorum expendamus, effectus tantum declarant Nuptiarum contractarum, non autem exprimunt cauſam efficientem, ſive Nuptias perficientem. Modeſtinus in *Lege* 1. *ff. de ritu Nuptiarum* ait, *Nuptias eſſe conjunctionem maris & fœminæ, conſortium omnis vitæ, divini & humani juris communicationem*, & in *Lege* 4. *Cod. de crimine expilatæ hæreditatis*, *uxorem* ait, *ſociam humanæ rei & divinæ domus ſuſcipi*. In *Lege* 3. *ff. de donationibus*, ſeparatur his notis uxor a concubina, *maritali honore & affectione perſonis comparatis, & vitæ conjunctione conſiderata*. Pleno enim honore diligitur uxor, ut loquitur Papinianus in *Lege* 16. *ff. de his quæ ut indignis*; & in *Lege* 49. §. 4. *ff. de Legatis*. 3. dicitur, *inter uxorem & concubinam niſi dignitate nihil intereſſe, & animi deſtinatione Lege* 4. *ff. de concubinis.*

Prima itaque definitionis verba *viri & fœminæ conjunctio*, & uxori & concubinæ conveniunt: ideoque Magiſter Sententiarum *lib.* 4. *Diſt.* XXVII. §. 1. definitioni Juriſconſultorum quædam addidit: *Conjunctio maritalis inter legitimas perſonas.* Quam definitionem D. Thomas & Theologi certatim ſequuntur. Quibus verbis additis, ſeparatur concubina ab uxore. Nam dignitate & honore uxorem differre a concubina probavimus. Et præ-

præterea quas uxores Jure civili ducere prohibemur, in concubinas habere licebat, v. c. libertinas, famosas & scenicas. Cum ingenuis enim mulieribus concubinatus non permittebatur; nisi vel obscuro loco natæ forent, vel corpore quæstum fecissent, vel etiam, si forte claris natalibus ortæ forent, præcedente testatione manifestum fieret, eas in concubinatum accipi, non in uxorem: alioqui testatione non præcedente, in liberæ mulieris consuetudine non concubinatus, sed Nuptiæ intelligendæ sunt *Lege 3. ff. de concubinis & Lege 24. ff. de ritu Nuptiarum*. Quas omnes differentias inter uxores & concubinas elegantissime D. Chrysostomus comprehendit in *homilia ad illud* Apostoli *dictum in epist. 1. ad Corinthios: propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat: sociam*, inquit, *& comitem universæ vitæ, & ingenuam, & ejusdem honoris & dignitatis*. Concubina itaque uxorem imitabatur, & legitima eo tempore conjunctio erat.

Sed in hac definitione per verba postrema: *individuam vitæ consuetudinem retinens:* separatur uxor a concubina. Nam a concubina ultro & sponte, absque alia causa recedi poterat; non autem ab uxore licebat, nisi ex justis & jure probatis causis. Definitio vero hujusmodi, sicut notavimus, & passim Theologi etiam observant, non exprimit & declarat causam efficientem Matrimonii, nec ejus substantiam; sed tantum effectus, qui sequitur & emanat a præcedente causa, significatur, societas nimirum perpetua omnis vitæ. Tertul. in *lib. ad uxorem*, *convictum appellat*, *& individuum usum*, *corporum & animorum conjunctionem individuam*. Unde in *Lege 1. ff. de jure dotium* eo voto & animo dos constitui, & uxor duci dicitur, *ut dos & uxor perpetuo apud maritum maneat*. Diximus *eo voto & animo*: qui animus & propositum necessario requiritur eo tempore ex utraque parte, quo Matrimonium perficitur: quamvis contingere possit ex justis & legitimis causis ex post facto dissolvi Matrimonia, & Jure Civili, & etiam aliquando jure canonico, sicut infra sæpius explicabimus. Sed distinguendus est successus & eventus a constitutione & principio contracti Matrimonii.

Causa itaque efficiens Sponsalium & Matrimonii est consensus, sicut & reliquorum contractuum, qui proprium nomen a Jure Civili acceperunt. Non enim aliter nudus consensus contractum posset constituere: nisi vel nomen proprium & comprobationem conventio illa nuda accepisset, vel dationem vel factum contineret in se, ut effectum acciperet *l. 1. 2. 3. 4. 5. ff. de Pactis*. Solo consensu dicimus perfici: nec enim datione; vel facto ullo præcedenti opus est. Non verborum, non scripturæ solemnitas ulla requiritur, *Institutionibus de obligationibus ex consensu*, *dicta l. 1. §. 1. & Lege 6. ff. de Pactis*, *Lege 3. & 52. ff. de obligationibus & actionibus*. Sponsalia vero & nuptiæ sunt ex hujusmodi conventionibus, quæ comprobationem & nomen proprium a Jure Civili acceperunt. Sponsalia enim ita sunt appellata a sponsione, sive obligatione verborum, quæ stipulatio appellatur. Et quamvis necessaria postea verba non fuerint; remansit tamen antiquum nomen, ut diximus. Nuptiæ etiam a nubendo, idest velando denominatæ, a veteri ritu Romanorum, quo novæ nuptæ deducebantur velo flammeo obductæ in domum mariti. Quæ solemnitas quamvis abierit in desuetudinem, vetus tamen nomen remansit.

sit. Solus ergo consensus sponsalia & nuptias facit *l. 4. ff. de Sponsalib.* sicut supra probavimus. De nuptiis vero vulgaris est illa Juris regula, *solus consensus, non concubitus Nuptias facit, l. Nuptias ff. de regulis Juris.* Solus, inquam; nec enim requiruntur dotalia instrumenta, non verba, non scripturæ. Quare absentes, muti, surdi recte Matrimonium contrahunt: potest enim consensus per epistolam, nuntium, procuratorem, vel per nutum & signa exprimi *can. 1. 2. 3. 4. 5. 6. & 9. Causa* XXVII. *Qu. 2. cap. 23. 24. & 25. extra de Sponsalibus.* Qui tamen consensus ab intelligentibus quod geritur, nec errantibus, & de præsenti exprimi debet *d. cap. 25.* Nec enim potest in futurum conferri; unde in eam rem verba quædam formalia & directa præsentis temporis excogitata fuerunt: *Accipio te in uxorem; accipio te in virum*, vel aliqua similia: sicut in Sponsalibus hæc verba solent usurpari, quæ in futurum conferuntur, & habent tractum temporis: *Accipiam te in uxorem, vel in virum, cap. penult. de Sponsalibus & Matrimoniis, cap. 1. & 3. de Sponsa duorum*, Magister Sententiarum *lib. 4. Dist.* XXVII. D. Thomas *3. parte Summæ Qu. 45. art. 3. & 4.* Unde distinctio introducta inter fidem pactionis & fidem consensus. Fides pactionis confertur in futurum, nempe quando vir & mulier invicem promittunt, quod Matrimonio jungentur. Nec obstat utrum juramento pactionem etiam firmaverint, vel non. Fides vero consensus, quando corde & ore consentiunt in Matrimonium, & mutuo se concedit unus alteri, seque invicem suscipiunt. Qua ratione effectum, ut si quis mulierem desponsaverit per verba exprimentia consensum de præsenti, v. g. *ego te accipio in uxorem*; hujusmodi consensus & sponsalia per omnia comparentur Matrimonio *Capitulis supra citatis*; quæ quidem Sponsalia ideo vocantur de præsenti: quæ tamen merito usus noster non admittit; sicut nec Ecclesiæ veteris. Concludamus itaque Matrimonium non nisi consensu in præsens tempus collato & expresso perfici. Nec sufficiunt verba indefinita, *cupio, desidero, rogo*. Itaque ut causam efficientem, effectum, substantiam & vinculum Matrimonii una definitione comprehendamus; Nuptiæ sive Matrimonium esse videntur conventio inter legitimas personas, eo animo votoque contracta, ut individuam totius vitæ consuetudinem suscipiant. Reliqua omnia, quæ media sunt, vel quæ sequuntur, dotalium instrumentorum confectio, concubitus, ductio in domum, festivitas & pompa, non sunt principalia, nec rem conficiunt. Quæ quidem omnia Jure canonico comprobari in sequentibus ostendemus in *Causa* XXVII. *Q. 2. & Causa* XXX. *Qu. 5. per totum.* Alias definitiones refert D. Thomas, & expendit *parte 3. Q. 44. art. 1. 2. & 3.*

Tria vero bona Matrimonii vulgo commemorari solent a Patribus, fides, proles, Sacramentum. Fides quidem in consensu; proles in procreatione & educatione liberorum; quæ duo etiam apud Ethnicos & populos omnes, qui jure & legibus vivunt, reperiuntur. Apud solos Christianos, Sacramentum deprehenditur *Canon. omne 27. Qu. 2.* Magister Sentent. *Dist.* XXXI. Quæ tria D. Aug. *lib. 9. de Genesi ad literam* ita explicat. *In fide attenditur, ne præter vinculum conjugale cum altero vel altera concumbatur: in prole, ut amanter suspiciatur, benigne nutriatur, religiose educetur: in Sacramento autem non separetur conjugium, & dimissus aut dimissa,*

sa, nec causa prolis alteri conjugatur. Hæc est tanquam regula nuptiarum, qua vel natura decoratur fœcunditas, vel incontinentiæ regitur pravitas. Et apertius idem D. Aug. *lib. singulari de bono conjugali cap. 6.* Conjugalis concubitus generandi gratia non habet culpam; reddere debitum conjugale nullius est criminis: concupiscentiæ vero satiandæ, & exigere ultra generandi necessitatem, sed tamen cum conjuge, propter fidem tori venialem habet culpam. D. Chrysost. *homilia in illud* Apostoli 1. *ad Corinth. cap. 7. propter fornicationem autem unusquisque suam habeat uxorem. Hæc duo sunt, quorum causa institutæ sunt Nuptiæ, ut caste vivamus, & ut patres fiamus: quorum autem duorum principalis est castitatis occasio. Postquam enim ingressa est libido; conjugium quoque ingressum est, ut immoderatum usum resecaret, & persuaderet, ut una muliere contenti essemus. Non enim omnino conjugium efficit, ut liberos suscipiamus; sed illud Dei verbum cum dixit: Crescite & multiplicamini, & replete terram. Testes sunt quicumque conjugio sunt usi, sed liberos minime genuerunt. Itaque antecedens est causa castitatis; atque hoc præcipue tempore cum genere humano totus orbis terrarum completus est.* Institutio vero Matrimonii a Deo in Paradiso inducta est ante peccatum primorum Parentum: & quidem his verbis, quæ ante peccatum, Spiritu sancto suggerente, Adam pronuntiavit *Genes. cap.* 2. sub finem: *hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea. Hæc vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est. Quam ob rem relinquet homo patrem suum & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una.* In Græca Lectione expressius, αυτη κληθησεται ανδρις. Quæ quidem dictio *virago* in Symmachi versione tantum reperitur, quam vulgata sequitur. Christus eadem verba repetens *Matth. cap.* 19. initio subjicit, velut exaggerans. *Itaque jam non sunt duo, sed una caro: quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* Et *Marci* 10. initio & Paulus 1. *ad Corinth.* 6. sub finem, & *cap.* 7. initio, de prima causa instituendi Matrimonii sic loquitur: *propter fornicationem autem unusquisque suam habeat uxorem*, &c. Et addit: *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir: similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.* Et iterum *cap.* 11. initio: *Caput mulieris vir appellatur.* Quod ita declarat: *Non est creatus vir propter mulierem, sed mulier propter virum. Verumtamen neque vir sine muliere, neque mulier sine viro in Domino. Nam sicut mulier de viro, ita & vir per mulierem: omnia autem ex Deo.* Præcipue Apostolus in *epist. ad Ephesios* 5. institutionem Matrimonii & illius Sacramenti arcana referat, sublimi comparatione allata conjunctionis Christi cum Ecclesia, quæ per Matrimonium repræsentatur; & per consequentias subjicit officium mutuæ dilectionis inter maritum & uxorem & eos imitari debere caritarem summam, qua Christus diligit & complectitur Ecclesiam. Concludit autem his verbis notatu dignissimis: *Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo & in Ecclesia.* Inculcat iterum in *epistola ad Colossenses* 3. mutuam dilectionem inter virum & uxorem, ita tamen ut obtemperet mulier; Maritus vero præsit; sed cum comitate & benignitate. Et ut eleganter loquitur υπανδρος εστω, *sub viro sit mulier*, sicut *epistola ad Rom. cap. 7. Et Proverb. cap. 6.* υπ'ανδρος similiter appellatur mulier: vetus versio, quæ sub viro est. D. Paulus etiam *epist.* 1. *ad Timoth.* 4. prophetico spiritu pronuntiat, & damnat hæreticos illos, qui novis-

novissimis temporibus adversus Nuptias insurrecturi erant: quamvis manifestis locis Scripturarum convincerentur, quæ supra citavimus. Et Christus ipse præsentia sua Nuptias comprobare, & insigni miraculo in Cana Galileæ illustres reddere voluit: a quo miraculorum principium fecisse ait D. Joannes *cap.* 2. D. Paulus *ad Hebræos cap. ult.* initio: *honorabile connubium in omnibus, & torus immaculatus: fornicatores enim & adulteros judicabit Deus*. D. Petrus *epist.* 1. *cap.* 3. admonet subjectas esse viris mulieres debere, cultum & ornatum curiosiorem vitare; & vicissim viros cohabitantes secundum scientiam, quasi infirmiori vasculo mulieri indulgere, temperari & moderari.

Hactenus jecimus firma & immutabilia ex sacris Scripturis Matrimonii fundamenta, quibus omnia, quæ in posterum inædificabimus, imponi & fulciri possint, sive ex Conciliis, sive ex Pontificum aut Patrum scriptis fuerint deducta. Ex quibus præmittimus illustriores quasdam explicationes ad sinceram & veram de Matrimonio doctrinam plane necessarias. D. Ignatius in *epist. ad Polycarpum: Decet vero, ut ducentes uxores & nubentes Episcopi arbitrio conjungantur, ut Nuptiæ juxta Domini præceptum sint; non autem ad concupiscentiam*. Et *epist. ad Philadelphienses: Virgines, solum Christum in precibus vestris ante oculos habete, & Patrem illius, illuminatæ a Spiritu Sancto. Utinam fruar vestra sanctimonia, ut Heliæ, ut Jesu filii Navæ, ut Melchisedech, ut Elisæi, ut Jeremiæ, ut Joannis Baptistæ, ut Timothei, Titi, Evodii, Clementis, qui in castitate egerunt hanc vitam. Non quod vituperem reliquos, quod rei uxoriæ dederint se, horum tantum memini. Opto enim ut dignus simul in Regno Cælorum ad horum pedes inveniri, ut Abrahæ, Isaac, Jacob, & Joseph, Isaiæ & aliorum Prophetarum; ut Petri & Pauli & aliorum Apostolorum, qui nuptiis operam dederunt. Sed studio ac propensione animi ad rem, illos ego sum recordatus*. Nec mentio Pauli inter conjugatos est eradenda, sicut recte in ultima editione Epistolarum D. Ignatii notatur; quem & conjugatum fuisse plurimi ex Patribus Græcis & Latinis asseruerunt: in qua sententia fuisse D. Chrysostomum in scriptis D. Pauli versatissimum, notissimum est pluribus in locis, præcipue vero in elegantissimo *libro de Virginitate*, ut adnotaverunt & ex pluribus locis confirmaverunt doctissimi viri Joannes Livinejus & Fronto Ducæus, initio *Notarum ad dictum librum de Virginitate*. Tertullianus *lib. de Monogamia* ita Matrimonium definit: *Matrimonium est, cum Deus jungit duos in carnem unam, aut vinctos deprehendens in eadem* „ *carne conjunctionis signavit*. Et *lib.* 2. *ad uxorem*. Unde sufficiamus ad „ enarrandam felicitatem ejus Matrimonii, quod Ecclesia conciliat, & „ confirmat oblatio, & obsignat benedictio, Angeli renuntiant, Pater ra- „ tam habet. Nam nec in terris filii sine consensu patrum recte & jure „ nubunt. Et in *lib.* 1. *ad uxorem*, adversus hæresim Marcionistarum, qui nuptias omnino damnabant & jubebant dissolvi: *viderint, qui inter cætera perversitatum suarum dogmata disjungere docent carnem, in duobus unam negantes, eum qui fœminam de masculo mutuatus, duo corpora ex ejusdem materiæ consortio sumpta, rursus in se Matrimonii computatione compegit. Denique prohiberi nuptias nusquam omnino legimus, ut bonum scilicet: quid tamen bono isto melius sit, accipimus ab Apostolo permittente illud propter insidias tentationum, hoc propter angustias temporum*. Deinde persequitur

laudes virginitatis illustrissimo stilo; Marcionistas vero præcipue refellit, quibus similes Tatiani, Manichæi, Hieracitæ, qui & Aeriani, & maxime Eustathiani, qui in Synodo Gangrensi damnati fuerunt, quia Nuptias prohibebant, & contractas simulato prætextu continentiæ dissolvi suadebant. Qui omnes Encratitæ vocati sunt: sicut contra alii hæretici Jovinianus & Vigilantius Nuptias ejusdem meriti cum Virginitate improbe asserebant: imo & ipse Tertullianus, quem ideo hæreticum fuisse factum ait D. Augustinus *lib. de heresibus;* quia transiens ad Cataphryges, quos ante destruxerat, cœpit etiam secundas Nuptias contra Apostolicam doctrinam damnare.

Seligamus aliqua Patrum loca, quæ instituto nostro conveniant maxime. D. Chrysostomus *homilia* 15. *in Genesim* enarrat doctissime Matrimonii institutionem in Paradiso, quam plenius explanavit *tribus homiliis* 18. 19. *&* 28. *tomi* 5. in quibus de Matrimonii institutione, dignitate & indissolubilitate tractavit: potissimum vero in *homilia* 28. in explicatione illorum verborum*: erunt duo in carne una. Est uxor membrum nostrum necessarium, & hoc potissimum nomine ei debetur benevolentia: quod & D. Paulus his verbis præcipit: sic debent mariti uxores suas diligere, sicut propria corpora. Nemo enim unquam suum corpus odio habuit, sed nutrit & fovet illud, ut Christus Ecclesiam; quoniam membra sumus ejusdem corporis, ex carne ejus & ossibus ejus. Magnum his verbis subindicavit Mysterium, dicens ex carne ejus & ossibus. Sicut Eva, inquit, ex latere Adami prodiit; ita & nos e Christi latere: hoc enim ex carne ejus & ossibus ejus. Sed Evam quidem ex latere Adami prognatam scimus omnes, & diserte hoc in scriptura legitur; quod immisit in eum soporem, & exempta una e costis ejus, adificavit eam in mulierem. Quod autem Ecclesia e Christi latere sit orta, undenam discere possumus? Hoc quoque scriptura indicat. Postquam enim Christus in crucem sublatus & afflictus expiravit, denique accedens unus militum pupugit latus ipsius: & exiit inde sanguis & aqua, & ex illa aqua & sanguine tota constat Ecclesia. Testis est ipse dicens, quod nisi quis renascatur ex aqua & Spiritu, non potest introire in Regnum Cælorum. Sanguinem appellat Spiritum: & nascimur quidem per aquam Baptismatis; alimur autem per sanguinem. Vides quomodo simus ex carne ejus, dum ex sanguine illo & aqua tum nascimur, tum alimur. Et quemadmodum Adamo dormiente, mulier est condita; sic Christo mortuo, facta est Ecclesia ex ejus latere.* Quo ex insigni loco unionis Christi cum Ecclesia per Matrimonium repræsentatio exhibetur: quam iterum, sed brevius repetit *homilia* 20. *in cap.* 5. *epistolæ ad Ephesios*, in qua hæc verba notanda *tomo* 5. *novi Testamenti* pag. 1038. *Quomodo membra Christi sumus? quoniam sicut ipse facti sumus. Et quomodo ex carne? scilicet quicumque estis participes Mysteriorum: ex illo enim statim refingimur.* Et postea *sicut Christus absque coitu ex Spiritu sancto factus est; ita & nos nascimur in lavacro.* Et iterum*: quemadmodum Dei filius naturæ nostræ factus est; ita nos ejus substantiæ: & sicut ille nos in seipso habet; ita & eum nos habemus in nobis.* Et postquam explicavit quomodo in Matrimonio ex duobus unum corpus fiat, ex verbis D. Pauli concludit, quæ omnino convincunt Matrimonium esse Sacramentum. *Duo*, inquit, *ponit exempla, nempe Christi & corporis: Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo & Ecclesia. Quid est ma-*

magnum mysterium, inquis? Quoniam magnum quid & admirabile tacite significavit beatus Moyses: imo vero ipse Deus. Interim dicit: in Christo dico: quoniam & ipse dimisso Patre descendit, & venit ad Sponsam, & factus est in Spiritum unum. Quibus verbis unionem Christi cum Ecclesia significat. Et postea: *Qui adhaeret Domino, est unus Spiritus* (singulorum fidelium unionem cum Deo exprimit) *& pulchre dixit: Magnum mysterium est: perinde ac si diceret: ast allegoria ista non evertit dilectionem conjugalem. Verumtamen & vos singuli, unusquisque suam uxorem sicut seipsum diligat: uxor autem revereatur virum suum. Revera enim, revera mysterium est, & magnum mysterium! eo qui procreavit, qui genuit, qui educavit; eaque quae concepit, quae cum dolore & afflictione peperit: qui tot & tantis beneficiis affecerunt, cum quibus usus diuturnus & consuetudo, relictis; ei adhaerere, qua ne visa quidem fuit, & cum eo nihil habet commune, & eam omnibus praeferre. Revera est mysterium arcanam quamdam habens sapientiam*, & quae sequuntur. Quibus locis insurgit adversus haereticos, qui Matrimonium negant esse Sacramentum, contra manifesta D. Pauli verba, omniumque Patrum in unam sententiam concorditer convenientium. D. Hieronymus ad finem *capitis 5. dictae epistolae ad Ephesios. Ad exhortationes mutui affectus inter uxorem & virum, Adam & Eva sumpsit exemplum; ut quomodo costa tollitur de Adam, & adificatur in conjugem, & ipsa rursum conjux in Adam viri carnem redigitur; quia qui uxorem diligit, seipsum diligit; sic & nos nostras amemus uxores. Id ipsum autem per allegoriam in Christo interpretatur & in Ecclesia; ut Adam Christum, & Eva praefiguraret Ecclesiam. Factus est enim novissimus Adam in Spiritum vivificantem: & quomodo de Adam & uxore omne hominum nascitur genus; sic de Christo & Ecclesia omnis credentium multitudo generata est, qua unum corpus Ecclesiae effecta, rursum in latere Christi ponitur, & costae locum replet, & unum viri corpus efficitur; ipso Domino id in Evangelio postulante, Pater da, ut quomodo ego & tu unum sumus, sic & ipsi in nobis unum sint*. Et idem in haec verba, *propterea relinquet homo* &c. *Primus enim homo & primus vates Adam hoc de Christo & Ecclesia prophetavit; quod reliquerit Dominus noster Salvator Patrem suum Deum, & matrem suam caelestem Hierusalem, & venerit ad terras propter suum corpus Ecclesiam, & de suo eam latere fabricatus sit, & propter illam Verbum caro factum sit. Et quia non omnia aequalia Sacramenta sunt, sed est aliud Sacramentum majus, & Sacramentum aliud minus: propterea nunc dicit, Sacramentum hoc magnum est*.

Quibus ex locis, sicut attigimus, per Matrimonium duae uniones Christi praefigurantur; altera, qua Christus Ecclesiae, cujus caput est, sicut vir uxoris, per caritatem unitur: altera, qua per Incarnationem & assumptam naturam humanam Verbum Caro factum est. Ex gemina & duplici illa unione Theologi & Canonistae recentiores differentiam deduxerunt inter Matrimonium ratum & consummatum. Ratum Matrimonium dicitur, quod per solum consensum perficitur, etiam non secuta copula; quod & in ratione Sacramenti perfectum intelligitur: repraesentatur enim unio Christi cum Ecclesia per caritatem. Quod si praeterea subsequatur conjunctio corporum, repraesentatur Incarnationis mysterium: quae repraesentatio pleniorem & expressiorem unionem Christi cum Ecclesia exhibet per Incarnatio-

O 2

nationem, & ut loquuntur Theologi, per naturæ conformitatem. Quamvis autem utroque casu perfectum sit & dicatur Matrimonium: differentiæ tamen quædam maximi momenti occurrunt, v. g. nulla potestate humana consummatum Matrimonium potest dirimi; ne quidem si proposito vitæ perfectioris alter conjugum, altero volente, velit transire in Religionem: si vero ratum tantum proponatur Matrimonium, alteruter conjugum, etiam invito altero, poterit Monachatum amplecti. Itemque ex gravissimis causis Summi Pontifices ratum aliquando Matrimonium dissolvunt; consummatum vero dissolvere non possunt. Magister Sentent. *Dist.* XXVI. sub finem, & *Dist.* XXVII. & apud Gratianum *Causa* XXVII. *Qu.* 2. *per totum*, D. Thomas *Qu.* 42. *de Matrimonio art.* 4. & Arcudius *lib.* 7. *de Matrimonio cap.* 1. & 2. Brevissime D. Augustinus universam Matrimonii materiam perstringit *lib.* 1. *ad Bonifacium urbis Romanæ Episcopum cap.* 2. in quo respondet calumniis Pelagianorum, qui ex ejus scriptis depravatis, idest ex *lib. de Nuptiis & Concupiscentia* ejusdem D. Augustini, malitiose colligebant istas, quæ modo aguntur, Nuptias a Deo institutas non fuisse: quibus ita respondet D. Augustinus. *Nunc ergo respondeo a Deo Nuptias institutas fuisse; & tunc, quando dictum est. Propterea relinquet homo Patrem suum & matrem suam, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una; & nunc, propter quod scriptum; a Domino conjungitur viro mulier. Neque enim aliud fit etiam nunc, quam illud, ut adhæreat homo uxori suæ, & sint duo in carne una. De ipsis quippe Nuptiis, quæ nunc quoque fiunt, consultus est Dominus a Judæis, utrum liceret quacumque lege dimittere uxorem: & isto commemorato legis testimonio, adjunxit: quod ergo conjunxit Deus, homo non separet. Hoc Legis testimonium adhibuit etiam sanctus Apostolus Paulus, cum viros moneret, ut ab eis diligerentur uxores. Absit ergo, ut in libro meo contra testimonia divina iste* (Pelagius) *aliquid legerit.* Prætermittam cætera D. Augustini loca, quo nullus Patrum Latinorum accuratius & plenius de Matrimonio scripsit; ideoque ex eo Collectores Canonum ante Gratianum, & Gratianus ipse in ista parte de Matrimonio plura ex D. Augustino, quam ex reliquis omnibus Patribus desumpsit. Compendium vero universæ materiæ de Matrimonio, præter eos Libros, in quibus data opera egit, continetur *lib.* 4. *de Civitate Dei cap.* 18. 19. 21. 22. 23. 24. & *lib.* 15. *cap.* 16.

Ex his omnibus scripturæ & Patrum locis merito colligitur, Ecclesiam inter Sacramenta novæ Legis, quæ gratiam conferunt, Matrimonium reposuisse. Quam in rem celebre est decretum Lucii III. summi Pontificis in consessu plurimorum Episcoporum, & ipsius Imperatoris Friderici pronuntiatum, quod extat in *capitulo ad abolendam extra de hæreticis*, in quo contra hæreticos illius temporis Matrimonium inter Sacramenta numeratur. Quod & apertissime declaravit Concilium Florentinum sub Eugenio IV. in *Decreto pro Armeniis*, in quo novæ Legis septem Sacramenta numerantur, & inter ea Matrimonium: *quæ quidem dicuntur multum differre a Sacramentis antiquæ Legis. Illa enim non causabant gratiam, sed eam solum per Passionem Christi dandam esse significabant: hæc vero nostra & continent gratiam, & ipsam digne suscipientibus conferunt. Et quidem quinque ex illis ad spiritualem uniuscujusque hominis in seipso perfectionem;*

duo

duo ultima, nempe Ordo & Matrimonium ad totius Ecclesiæ regimen multiplicationemque ordinata sunt. Et per Ordinem quidem Ecclesia gubernatur & spiritualiter multiplicatur; per Matrimonium vero corporaliter augetur. Quæ quidem omnia Sacramenta ait *tribus rebus perfici, materia, forma, & Persona Ministri*. Et in d. *Decreto* subjiciuntur quædam ad Matrimonii Sacramentum valde notanda, quæ & supra explicavimus; præcipue quod ad indissolubilitatem Matrimonii pertinet, *quod significat indissolubilem conjunctionem Christi cum Ecclesia; adeo ut quamvis ex causa fornicationis admittatur tori separatio, non tamen aliud postea Matrimonium fas sit contrahere; quia Matrimonii legitime contracti vinculum est perpetuum.* Notandum vero illius decreti doctrinam excerptam fuisse fere ad verbum ex *quinque Opusculis* D. Thomæ *de articulis & Sacramentis Ecclesiæ.*

Superest ut attingamus, quid materia, & quid forma sit in Matrimonio. Et quidem verior illa videtur opinio, materiam remotam, circa quam Matrimonium versatur, esse personas contrahentes, dummodo nullum impedimentum dirimens obsistat; materiam vero proximam, ex qua perficitur Matrimonium, esse consensum utriusque viri & mulieris separatim & per se consideratum, & quatenus a singulis profertur, sive per verba, sive per signa. Idem etiam consensus pro forma diverso respectu accipitur, nempe quatenus utriusque consensus mutuo & invicem alter alterum perficit & determinat, & complet in ratione contractus & pactionis, sicut Theologi loquuntur: uno verbo, acceptatio. Quod plenius Theologi recentiores tractare solent. Apertissime doctissimi duo Philippus Gamachæus *tomo 3. Summæ Theologicæ in tract. de Matrimonii Sacramento cap. 4. de materia & forma*, & Arcudius *de Concordia Ecclesiæ Occidentalis & Orientalis in septem Sacramentorum administratione lib. 7. de Matrimonio cap. 2.*

AD QUÆSTIONEM I.

Causa XXVII.

POst expositum generalem tractatum de Matrimonio, & declaratam methodum Gratiani, quam diximus hujusmodi fuisse, ut de singulis Matrimonii impedimentis separatim tractaret; consequens est ut Gratianum secuti eodem, quo ille, ordine de singulis impedimentis agamus: quod & erit commodum. Cum enim edictum de Matrimonio prohibitorium sit, ut scilicet omnes, qui non prohibentur contrahere Matrimonium, admittantur ad illud contrahendum *cap. 23. extra de Sponsalibus & Matrimoniis*; intelligetur reliquas omnes personas, quas ostendemus non contineri prohibitione, idoneas esse ad contrahendum Matrimonium. Impedimenta vero distinximus in duas species: quædam contrahendo quidem Matrimonio obstant; sed semel contractum postea non dissolvunt: quædam & impediunt contrahi, & semel contractum postea dissolvunt; quæ quidem postrema, si rem penitus inspiciamus, potius Matrimonium de facto contractum, quam jure perfectum dissolvunt. Semel enim perfectum & consummatum Matrimonium nulla potestate dissolvi potest.

Inter hujusmodi impedimenta votum numeratur, a quo incipit Gra-

Gratianus. Sic enim inscribit *Quæstionem* 1. *hujus Causæ* XXVII. *Quod voventes Matrimonia contrahere non possint :* quam quæstionem proposuerat etiam antea in *Dist.* XXVII. & *Causa* XVII. *Qu.* 1. & 2. allatis similibus & pugnantibus locis Conciliorum & Patrum, & etiam propriis conciliationibus. Ex quibus omnibus colligitur omnes utriusque sexus, qui voto castitatis suscepto, a sacris Scripturis laudato & recepto, & communi Ecclesiæ consensu servato, se se addixerunt solemniter, adhibitis scilicet solemnitatibus, quæ Ecclesiæ auctoritate in votorum nuncupatione solemni desiderantur, non posse amplius Nuptias contrahere : quod si de facto contraxerint, omnimodo Nuptias dirimi, non solum tanquam adulteria, sed etiam velut sacrilegia.

Dicimus sacris Scripturis laudari virginitatis votum, & velut ad perfectionem pertinens, ad id fideles incitari, ideoque votum non fuisse præceptum nominatim, sed consilium datum. Quod constat ex S. Matth. *cap.* 19. ibi *: Sunt Eunuchi, qui seipsos castraverunt propter Regnum Cælorum*, & ex D. Paulo *ad Corinth.* 1. *cap.* 7. ibi *: De virginibus autem præceptum Domini non habeo : consilium autem do tanquam misericordiam consecutus a Domino, ut sim fidelis. Existimo ergo hoc bonum esse*. Et deinde : *Et mulier innupta & virgo cogitat, quæ Domini sunt ut sit sancta corpore & spiritu*. Et item 1. *ad Timoth. cap.* 5. *Adolescentiores autem viduas devita : cum enim luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt*. Ex quibus locis colligimus continentiam virginum utriusque sexus prædicatam, laudatam & Matrimonio prælatam fuisse a Christo & Apostolis ; absque Matrimonii tamen contumelia : quod & honorabile idem Apostolus vocat *ad Heb. cap.* 13. sicut rectissime Patres Græci & Latini interpretantur. Breviter D. Chrysostomus *ad Psal.* 50. sub finem*: Tria hæc sunt virginitas, Matrimonium, fornicatio. Matrimonium tenet locum medium, fornicatio infimum, virginitas summum. Virginitas coronam habet, Matrimonium laudem ; fornicatio pœnam & cruciatum*. Idem D. Chrysostomus *ad locum citatum Matth. homil.* 63. His omnibus occulte ad optandam eligendamque virginitatem inducit : possibile namque id esse hominibus hoc fere modo confirmat. *Cogita tecum, si aut a natura Eunuchus esses, aut injuria hominum sic effectus, quid faceres ; cum & hujusmodi voluptate careres, & nullam carendo mercedem consequeris ? Gratias igitur Deo agas, quia magna præmia rutilantesque coronas habebis, si ita vivas ; quemadmodum sine aliquo illi præmio: imo vero multo facilius, tutius atque jucundius ; tum quia spe retributionis corroboraris ; tum quia conscientia virtutis gaudes.* Eademque fere Theodoretus in *loca Epistolarum D. Pauli supra citata. Sed studiosissime ad effectum perduxit Ecclesia, institutis frequentissimis utriusque sexus Collegiis & cœtibus, qui Religionis & Christianæ Philosophiæ ardentiori zelo commoti, perpetuæ virginitatis servandæ voto se obstringebant*. Ignatius beatis Apostolis vicinus in *epistola* 5. *ad Philippenses* sub finem, *Collegii virginum & cœtus viduarum meminit*. Et in *epist.* 6. *ad Philadelphienses, virgines spiritu illuminatas vocat*. Et in fine *epist.* 7. *ad Smirnenses ἀειπαρθένους* appellat. Et in *epistola* 9. *ad Antiochenos, virgines agnoscant, cui se consecrarunt*. Votum manifeste significat ; unde in fine χριστολήπτους Virgines vocat, idest quas Christus in Sponsas accepit. Quæ

Nova-

Novatores ferre non possunt. Sed eos Tertullianus *lib. de velandis Virginibus* profligat, in quo describit votum continentiæ & oblationis ipsius corporis & spiritus, quæ Deo fit; cum virgo ipsam naturam consecrat & dedicat; cum nubit Christo, illi tradit carnem, & Sponsat maturitatem suam. Idem in *lib. de Monogamia* tractans locum *Apost. 1. ad Timoth. cap. 4. habentes judicium, quod primam fidem resciderunt*: illam scilicet, quam in viduitate vel in virginitate professæ erant, & non perseverant. D. Cyprianus *de habitu virginum & in epistola 62. ad Pomponium*, quæ ad nostram quæstionem maxime pertinet, ex qua hæc verba in occasionem cavillandi rapiunt quidam, ut inferant virgines etiam post votum ad Nuptias posse transire. *Quod si ex fide se Christo dicaverunt, pudice & caste, sine ulla fabula perseverent; ita fortes & stabiles premium virginitatis expectent. Si autem perseverare nolunt, vel non possunt, melius nubant, quam in ignem delictis suis cadant*. Quæ verba Pamelius & recentiores quidam doctissimi accipiunt de virginibus, quæ necdum velatæ & professæ virginitatem fuerunt solemni voto, sed tantum, ut loquimur, simplici voto se obstrinxerint. Nisi malimus, nondum plane constitutis in Africa virginum consecrandarum ritibus, cum dispensatione & venia, metu majoris scandali D. Cyprianum fuisse locutum, ut ex contextu totius Epistolæ colligere licet; non quod in posterum hanc veniam promitteret. D. Athanasius *tomo 1. in Apologia ad Constantinum Imperatorem. Christus inter cætera dona sua virginitatem nobis est largitus, exempla evangelicæ sanctitatis. Certe puellas ea virtute præditas Sponsas Christi Catholica Ecclesia appellare solita est, quas Ethnici videntes ut templum admirantur. Nusquam enim alibi sanctum illud & celeste æternæ virginitatis mandatum feliciter adimpletur, nisi apud solos Christianos* &c. Et addit: *ideo virgines appellari membra Christi proprie, quoniam soli Salvatori nostro membra sua dedicaverunt*. Optatus Milevitanus *lib. 6.* loco insigni, de usu Ecclesiæ Africanæ circa virginum professionem & votum & habitum, professionis, consecrationis, abscissionis capillorum apertissime meminit. Quin etiam & velamenti capitis formam exponens, ita loquitur: *Spiritale nubendi hoc genus est. In Nuptias Sponsi jam venerant voluntate & professione sua, & ut secularibus Nuptiis renuntiasse monstrarent, spiritali Sponso solvebant crinem, jam celestes celebraverant Nuptias* &c. Et postea: *Nudastis denuo capita jam velata, de quibus professionis detraxistis indicia, quæ contra raptores aut petitores videntur inventa. In Mitrella judicium est voluntatis, non castitatis auxilium, ut rem jam Deo devotam, ne qui sponsabat, perseveret petere, aut ne raptor audeat violare: signum est ergo, non Sacramentum*. Eodem fere tempore D. Ambrosius in eam rem apertissime plurima scripsit *tribus libris de virginibus ad Marcellam sororem*, quam initio *lib. 3.* Liberio summo Pontifici vovisse virginitatem ait his verbis. *Namque is* (scilicet Liberius) *cum in Salvatoris natali ad B. Apostolum Petrum virginitatis professionem, vestis quoque mutatione signares, atque astantibus etiam puellis Dei compluribus, quæ certarent invicem de tua societate: Bonas*, inquit, *filia Nuptias desiderasti* &c. Præcipue vero in medio *dicti lib. 3.* adversus objectiones quorumdam fidelium. *Si quis igitur putat consecratione virginum minui genus humanum, consideret quia ubi paucæ virgines, ibi etiam pauciores homines;*

ubi

ubi studia virginitatis crebriora, ibi numerum hominum quoque esse majorem. Discite quantas Alexandrina totiusque Orientis & Africana Ecclesia quotannis sacrare consueverint. Pauciores hic homines prodeunt, quam illic consecrantur virgines. Et paulo post: *Ajunt etiam plerique maturioris ætatis virgines esse velandas. Neque ego abnuo Sacerdotalis esse cautionis debere, ut non temere puella veletur. Spectet plane, spectet ætatem Sacerdos, sed fidei vel pudoris. Spectet maturitatem verecundiæ, examinet gravitatis canitiem, morum senectam, pudicitiæ annos, animos castitatis &c. Non ergo ætas rejicitur florentior, sed animus examinatur.* Idem D. Ambrosius *lib. de Institutione Virginis cap.* 17. & iterum *lib. ad virginem lapsam cap.* 5. ritus omnes professionis exponit: *Non es memorata diei sanctæ Dominicæ Resurrectionis, in quo divinitati te obtulisti velandam.* Et postea: *Servare te oportuit fidem, quam sub tantis testibus pollicita es, semper cogitare, cui virginitatem spoponderis.* Et postea: *his tunc in illo die consecrationis tuæ dictis, & multis supra castitatem præconiis, sacro velamine tecta es, ubi omnis populus dotem suam subscribens, non atramento, sed spiritu pariter clamavit Amen. Dicet aliquis melius est nubere quam uri. Hoc dictum ad non pollicitam pertinet, ad nondum velatam: cæterum quæ se spopondit Christo, & sanctum velamen accepit, jam nupsit, jam viro immortali juncta est: & jam si voluerit nubere communi lege conjugii, adulterium perpetrat, ancilla mortis efficitur.* Et in *cap. ultimo* Corruptorem virginis vocat *corruptorem templi Dei, qui uno scelere duo crimina perpetrat, adulterium & sacrilegium.* Quare mirum non est, si quando post votum & professionem audeant contrahere Matrimonia Monachi vel Sanctimoniales, hujusmodi conjunctiones tanquam nefariæ & sacrilegæ dissolvantur.

Quam in rem sicut & ad confirmanda ea, quæ diximus, observatione dignissimi sunt Concilii Ancyrani *Can.* 18. Carthaginensis *Can.* 4. & 16. Africani *Can.* 11. & 93. Concilii Carthag. III. *Can.* 4. & 33. Chalcedonensis generalis 7. & 10. Synodi sextæ in Trullo. *Canones* 44. 45. & 46. & *Can.* 18. & 68. D. Basilii: quibus merito addendus D. Chrysostomus in elegantissimis *duabus admonitionibus ad Theodorum lapsum.* Accedunt Occidentalium Syricii, Innocentii, Leonis, Gelasii, Gregorii, aliorumque Summ. Pontificum similia super eadem re Decreta, & reliquorum sanctæ Ecclesiæ Patrum, D. Hieronymi, D. Augustini & aliorum auctoritates, quas Collectores Canonum Burchardus & Ivo collegerunt, & postremo Gratianus locis initio citatis, & Magister sentent. *lib.* 4. *Dist.* XXXVIII. eosque secutus D. Thomas 3. *parte Summæ Qu.* 53. *artic.* 1. & 2. Qui fere omnes in hanc sententiam conveniunt, ut votum definiant; alicujus boni cum animi deliberatione Deo factam promissionem. Debet enim diligenter examinare qui vovet, an sibi expediat, & utrum in voto perseverare valeat. Deinde requiritur, ut firmum sit hujusmodi propositum. Postremo illa promissio necessaria est.

Quoniam autem diximus fieri promissionem hujusmodi, sequitur solo animo absque ulla solemnitate speciali posse fieri: & hoc votum appellatur simplex, quod intus, mente, solo animo & nuda promissione concipitur. Appellatur vero votum solemne, quando homo actu se dedicat Deo, videlicet vel per sacri Ordinis susceptionem, vel professionem pro-

batæ

batæ Regulæ, tacite vel expresse factam, modo legitimo & solemni. Quam quidem professionem, si de virginibus agatur, recipit Episcopus; si de Monachis, Abbas vel alius Superior; eodemque tempore novum habitum, vestem novam, velum, & alia, quæ a professis gestari solent, novus professus induit, in locis nempe, quibus est alius habitus & vestis Novitiorum & Professorum. Contingit enim aliquando & Novitiorum & Professorum eundem esse habitum. Post probationem tamen peractam, secundum tempora singulis Ordinibus constituta, hujusmodi vestis & habitus & regulæ professio emittitur, ad evidentiorem probationem scriptura interveniente. Quæ omnia confirmantur *Can.* 1. *&* 3. *Causa* XVII. *Qu.* 2. *Can.* 2. 3. 8. 9. 10. 16. 17. 34. 35. 36. *&* 37. *hac nostra Causa* XXVII. *Qu.* 1. Ex quibus Canonibus Theologi & Canonistæ veteres & recentiores differentiam deducunt, quam supra attulimus inter vota simplicia & solemnia. Qua de re gravissimæ controversiæ sæpissime exortæ fuerunt, ut colligitur ex *cap.* 8. 9. 10. 11. 12. 13. 16. *&* 17. *extra de Regularibus*, *& cap.* 3. 4. 5. 6. *&* 7. *extra Qui Clerici vel voventes*. Et postremo Bonifacius VIII. *cap. unico de voto in* VI. manifestius definivit utrumque votum. Et quidem votum solemne definit, quod solemnisatum fuerit per susceptionem sacri Ordinis, aut per professionem expressam vel tacitam, factam de Religionibus per Apostolicam Sedem approbatis. Reliqua omnia vota, licet manifestius emissa, quod ad materiam nostram pertinet, non possunt rescindere Matrimonia postea contracta; & intelliguntur esse simplicia: quæ etsi impediant Matrimonium contrahendum, semel tamen contractum postea non dirimunt. Violatoribus tamen votorum simplicium, quanto manifestius fuerint emissa, tanto propter plurium scandalum & exemplum durior pœnitentia injungitur *dicto capit. unico*. Quod & veteribus Canonibus obtinuisse constat ex plerisque Canonibus, quos in *hac Quæst.* Gratianus retulit: quibus juvabit addere elegantissimam *epistolam* Anselmi Cantuariensis Archiepiscopi 157. Tandemque Concilio Tridentino apertissime iterum sancitum in *Sessione* 24. *de Matrim. Can.* 9. *& sessione* 25. *de Regularibus cap.* 15. post expletum annum probationis, & transactum in habitu suscepto initio probationis, factam professionem post annum 16. valere; antea factam nullam esse.

Ad Quæstionem 2.

Causæ XXVII.

Quæ pertinent ad decisionem Quæstionum, quæ continentur in *hac Qu.* 2. fere omnia explicare antevertimus in tractatu generali de Matrimonio, & in explicatione 1. Quæstionis.

In hac vero 2. Quæst. hæc quæstio excutitur, *an puellæ alteri desponsatæ possint renuntiare priori conditioni, & vota sua transferre ad alium*. Quæ quæstio in duas iterum resolvitur, *an sit conjugium inter illos*; 2. *an possint ab invicem discedere*. Unde occasione rapta, attingit Gratianus impedimenta quædam, propter quæ non tantum Sponsalia, sed etiam Matrimonium dissolvi omnino potest, v. c. si per vim consensus extortus fuerit, & vis illata; de qua agitur *Can.* 33. *&* 34. Sicut & in *Can.* 29.

agitur de alio impedimento dirimente, nempe propter frigiditatem & impotentiam coeundi, quæ Matrimonium dissolvit, quod nondum est confirmatum & perfectum corporali commixtione, nec potest perfici propter impedimentum naturale. Quo pertinet quod D. Augustino tribuitur, dictum in *Can. 16. hac Qu.* mulierem non ad Matrimonium pertinere, cum qua commixtio sexus non docetur fuisse. Et ut loquitur D. Leo I. in *Can. seq. cum societas Nuptiarum ita sit a principio instituta, ut præter commixtionem sexuum, haberet in se conjunctionis Christi & Ecclesiæ Sacramentum; non dubium est illam mulierem non pertinere ad Matrimonium, cum qua docetur non fuisse Nuptiale Mysterium.*

Duplicem autem observare debemus Matrimonii perfectionem; alteram, quæ consensu; alteram, quæ per conjunctionem corporum absolvitur. Prima perfectio repræsentat unionem Christi cum Ecclesia, quæ per caritatem fit: altera vero arctiorem ejusdem Christi designat unionem; qua nempe Christus carnem humanam assumpsit per unionem hypostaticam. Addamus & aliud, aliquando Matrimonium initiatum appellari, quod fit per Sponsalia, quæ quidem celebrantur per pactionis fidem: sed vinculum illud, sicut deinde dicemus, non adeo adstringit, quin possit solvi. Nam Sponsalia præparant potius, quam faciunt Nuptias: & ut loquitur D. Augustinus *lib. 8. Confessionum cap. 3.* ideo instituta fuerunt Sponsalia, ut Sponsæ non statim tradantur, ne vilem habeant Mariti datam, quam non suspiraverit Sponsus dilatam, *Can. 39. hac Qu. 2.* Unde & appellantur Sponsalia, & fieri dicuntur per fidem pactionis *Can. ult. hac Qu. 2.* Cui adscribitur in margine hæc vox *Palea*; quo verbo quid significetur apud Gratianum varie certant Interpretes. Quidam enim aiunt Capita, quæ hujusmodi inscriptionem habent, post Gratianum adscripta fuisse; vel etiam ab ipso Gratiano, cum recognosceret Collectionem, addita fuisse. Alii dicunt illa capita esse incertæ fidei & levissimi momenti. Alii vero a Græco verbo πάλιν, quasi iterum addita a Gratiano. Vel sicut in *Basilicis* vetus Interpres designatur per hæc verba ὁ παλαιὸς, idest vetus Interpres; ita & verbum παλαιὰ in Gratiano videtur significare vetustiores Gratiano Collectores Canonum. Ut ut sit, quod pertinet ad *dictum Can. ultimum* doctissimi viri Romani Correctores & Antonius Augustinus apud D. Augustinum non reperiri affirmant. Refertur tamen in *Capitulo 1. de Sponsa duorum & in 1. Collectione eodem titulo*. Ex quo fluxit vulgaris distinctio Sponsalium de futuro & de præsenti, sive fidei pactionis, & fidei consensus: quam explicat Gratianus, cujus verba perinde ac si Auctoris forent, irrepserant in contextum. Fidem pactionis ita explicat, quando aliquis alicui promittit fidem, quod eam ducet, si permiserit ei rem secum habere, vel etiam pro consensu. Quæ verba obscura eam habent sententiam, ut qui post Sponsalia concubitus atque congressus sequitur, sit pro fide consensus, sive pro Matrimonio præsumpto, pro consensu nuptiali & honesto ac obsequenti rationi, non libidini; adeoque ut fides, quæ ab initio simpliciter de futuro Matrimonio data fuerat, per subsequentem conjunctionem corporum impleta & consummata videatur: & ut loquuntur Jurisconsulti, transformatus & renovatus prior consensus de futuro in purum & præsentem consensum ex sequenti copula præsumatur. Unde sæpe

in

in Decretalibus præsumptum Matrimonium appellatur, ut constat ex *cap.* 30. *& ult. extra de Sponsalibus & Matrimoniis*.

Fides vero consensus quænam sit, explicatur eodem *Canone ult.* de consensu præsenti, quo mutuo se concedunt & invicem faciunt potestatem corporis sui, & mutuo se suscipiunt vir in uxorem & uxor in maritum. Ex hac distinctione plures decisiones sequi ostendemus, v. g. Sponsalia de futuro, non impedire posterius Matrimonium perfectum: sed tantum de fide rupta, idest de perfidia, fidem fallenti pœnitentia imponitur: imo & aliquando, si justa causa subsit, remittitur pœna. Præterea non impediunt ingressum Religionis Sponsalia de futuro: quæ aliter se habent, si fides consensus intervenerit, idest Sponsalia, quæ vocant de præsenti; vel si consensus de futuro, ut diximus, per copulam sequentem confirmatus fuerit: quo casu Matrimonium præsumptum dicitur, sicut diximus; modo tamen effectus sequatur: nec enim conatus sine effectu sufficeret *cap. ult. de Sponsalibus & Matrim.*

Sponsalia etiam de præsenti, quæ purum & perfectum consensum absque conditione & tempore continent; vel, si Sponsalia de futuro sequatur copula, alia Sponsalia, imo & Matrimonium sequens impediunt: quia fuisse Matrimonium jure dici potest cum eo vel ea, qui quæque Sponsalia de præsenti, vel Matrimonium præsumptum prius contraxerat.

Moribus nostris, ut & antiquo Jure Canonum, eoque per Conc. Trid. sess. 24. *de Reform. Matrimonii cap.* 1. revocato, reprobantur hujusmodi præsumpta Matrimonia; præsertim si clandestina, & non interveniente auctoritate Ecclesiæ celebrata fuerint.

His ita præmissis, facilior aditus patebit ad dissolvendam quæstionem a Gratiano propositam (quæ & multas sub se continet) nempe utrum puellæ alteri desponsatæ priori conditioni possint renunciare. Antequam eam excutiat, quærit utrum solus consensus Matrimonium faciat, & qualis debeat esse ille consensus. Quam quæstionem in generali tractatu absolvimus, nempe consensum interponi de individua vitæ consuetudine ineunda inter legitimas personas: conjunctionem vero corporum non esse de substantia, sed esse effectum illius causæ, idest consensus. Potest enim esse perfectum Matrimonium & perseverare etiam absque concubitu & conjunctione corporum; non ideo tamen dicendum, quia inter Sponsum & Sponsam consensus intervenit, contrahi per consequens Matrimonium. Non enim ille consensus, ut diximus, præsens est, nec habet præsentem obligationem, sed eam rejicit & confert in fururum. Nec obstat quod sæpe & in Libris sacris & apud bonos auctores mariti & uxoris nomina tribuantur Sponso & Sponsæ, & conjugii nomen Sponsalibus. Ita enim per anticipationem vocantur, & nomina commutantur; quamvis plurimum inter se differant. Unde recepta apud Juris Canonici & Theologiæ sacræ Scriptores, triplex illa distinctio Matrimonii, initiati, rati, & consummati. Initiatum intelligirur per Sponsalia de futuro; ratum, sive prima ratione perfectum, per consensum præsentem: consummatum vero, quod per commixtionem corporalem effectu ipso, & ultima perfectione confirmatur. Itaque quod Sponsi & Sponsæ, itemque Sponsalia, aliquando usurpant conjugum & conjugii

jugii nomina, illud accidere intelligendum spe futurorum, non re præsentium. Non quod in ipsa desponsatione conjuges fiant; sed quia ex fide, quam ex desponsatione sibi debent invicem, postea efficiuntur conjuges: sicut & concubitus dicebatur jure Decretalium facere Nuptias; si modo fides pactionis, ideſt sponsalia de futuro præcessissent: quod Matrimonium vulgo præsumptum appellari diximus.

Ex quibus elicimus decisionem primorum quindecim Canonum, ex quibus prima pars hujus 2. Quæstionis constat; in quibus xv. *Canonibus* Gratianus disputat, & objicit aliquando conjugii & conjugum nomen tribui etiam Sponsalibus & Sponsis. Solutiones, quas attulimus, confirmare incipit Gratianus a *Can.* 16. *&* 17. *& seqq.* præcipue vero *Can.* 31. 32. 33. *&* 34. a quo *Can.* 34. tertia pars hujus quæstionis incipit: quod & sequentibus Canonibus confirmat, maxime 39. ad quem ejus nota observanda, & *Can.* 40. 41. 42. 43. 44. *&* 45. ad quem ejusdem Gratiani nota, sicut & ad *Can. penultimum* idem suadet & confirmat.

His ita explicatis, transit Gratianus ad 2. Quæstionem, quam principaliter tractandam susceperat, *utrum Sponsus & Sponsa possint ab invicem secedere, & quibus casibus:* quam quidem non tantum initio proponit, sed etiam in fine adnotationis suæ ad *Canonem* 45, repetit his verbis: *Utrum liceat renuntiare conditioni*; ideſt in fine 3. partis. 4. enim pars incipit a Can. 48. & duobus Canonibus continetur: 5. vero & ultima pars duobus itidem postremis Canonibus. In quæstione vero præcipua intelligenda, animadvertenda est & repetenda explicata distinctio Sponsalium de futuro & de præsenti, & distinctio Matrimonii initiati, rati & consummati. Distinguendæ etiam variæ secessionis causæ: vel enim causa religionis, vel alterius Matrimonii contrahendi, vel frigiditatis aut impotentiæ, vel vis aut metus adhibiti in contrahendo seceditur; aut certe nulla alia ex causa, quam ut a Sponsalibus aut Matrimonio recedatur.

Quod pertinet ad primam secessionis causam, quæ religiosæ vitæ suscipiendæ gratia & prætextu continentiæ perpetuæ obtenditur; ex his, quæ diximus, repetendum. Si Sponsalia tantum intercesserint, alteri licet, invito altero, Monasterium eligere *can.* 27. *&* 28. *hac nostra Quæstione* 2. Idemque dicendum est, si Matrimonium perfectum sit, sed solo consensu, nondum secuta conjunctione carnali: tunc enim etiam altero repugnante, alter ingredi religionem poteſt: cum enim una nondum caro fuerint effecti, poteſt unus ad Deum transire, & alter remanere in sæculo, exemplo quorumdam Sanctorum, qui de Nuptiis vocati fuerunt *cap.* 2. *de conversione conjugatorum*: quod Capitulum est desumptum ex Gratiani nota ad *can.* 26. *hac Quæstione & Causa*.

Quod si Matrimonium perfectum fuerit & consummatum, & alter conjugum Religionis causa Matrimonium dissolvere velit, non altero consentiente; lex quidem humana, ut ait Gregorius primus in *can.* 19. junctis *can.* 20. 21. 22. 23. 24. *hac Quæstione*, concedebat, ut nempe alter ex conjugibus ultro & sponte, non expectato alterius consensu, vitam monasticam posset amplecti, etiam sine ulla pœna & nulla re præstita alteri, qui remaneret in sæculo, ut ostendunt plures Justiniani Constitutiones *Lege* 53. §. *ad hæc sancimus*, *Lege* 56. §. *nam & a maritis Cod. de Episc.*

Episc. & Clericis, Novella 5. *cap.* 6. *& Novell.* 22. *cap.* 5. Illas tamen leges D. Gregorius primus non observandas esse censuit pluribus rationibus adductis, & hac præcipue, quia viro non licet uxorem dimittere, excepta sola fornicationis causa, postquam per copulationem vir atque mulier unum corpus effecti fuerint. *Quæ est*, inquit, *ista migratio vel conversio, in qua una eademque caro ex parte transit in continentiam & ex parte remanet in pollutione?* Nec enim mulier potestatem corporis sui habet, sed vir: similiter & vir potestatem corporis sui non habet, sed mulier. Quare in iis casibus vel vir, vel mulier de Monasterio abducendi sunt, & reddendi alteri qui petit; etsi maritus Monachus, vel Clericus factus fuerit: dummodo tamen mulier Religionem ingressa non fuerit, vel maritus eodem voto se non obstrinxerit. Quin imo & hoc amplius, nec sine consensu alterius, orationis causa permittitur alteri ex conjugibus per longius tempus secedere, sed statim redire debet. Quæ Quæstio plenius tractatur infra *Causa* XXXIII. *Qu.* 4.

Si vero utriusque consensus interveniat, continentem vitam ducere permittuntur; quod evenit cum boni conjuges aut meritum augere desiderant, aut anteactæ vitæ culpas delere: tunc enim, ut loquitur Nicolaus primus in *can.* 16. *licet scriptum sit, quod Deus conjunxit, non homo separet; Deus tamen, & non homo separat, quando divini amoris intuitu ex utriusque conjugis consensu Matrimonia solvuntur*. Quod & ante Gregorium primum, Basilius Magnus in *can.* 22. *eadem Causa & Qu.* senserat, ut ad *eum can.* Romani Correctores notaverunt: & iterum eadem quæstio plenius tractatur *Causa* XXXIII. *Qu.* 5.

Ad dictum vero *Canonem* 26. observandum est eum pertinere ad causam celebrem divortii Lotharii & Thetbergæ. Confectus est autem ex *duabus epistolis* Nicolai I. nempe 50. & 51. & in eandem sententiam super eodem divortio scripsit doctissime Hincmarus Remensis, allatis etiam Gregorii I. *epistolis*, quas & Gratianus inserit in *can.* 19. & 21. *hac nostra Quæstione*. Hincmari vero tractatus extat ejus operum *tomo* 1. *Interrogatione* 23. pag. 682. eademque omnia postea confirmata fuerunt posteriorum Pontificum Decretalibus, *toto titulo de Conversione conjugatorum extra*.

Arcenda tamen vis omnis, temeritas, & properatio, nec quilibet consensus sufficit in hujusmodi secessionibus *Can.* 2. 11. 12. 13. *& seqq.* XXXIII. *Qu.* 5. Quare merito Eugenius II. in *Can.* 23. *hac Qu.* constituit, *si vir & uxor divertere pro sola Religiosa vita inter se consenserint, nullatenus id sine Episcopi conscientia fieri, ut ab eo singulariter proviso constituantur loco*, idest seorsim & separatim in loco tuto, securo & libero ab Episcopo tam vir, quam mulier interrogentur, & examinentur, utrum parati sint permanere & perseverare in proposito & voto tanti momenti. Quem Canonem iterum in alia Synodo Romana repetitum reperio apud Luitprandum in *vita* Leonis IV. eodem ordine & numero, nempe 36. quo & hic citatur a Gratiano. Æquissimum est enim excutere causas antecedentes hujus secessionis, nunquid simulatæ, per vim vel metum extortæ, aut quo alio malo more elicitæ fuerint. Præterea æquissimum est, ut nemo fidelium juxta divinam auctoritatem initum dissolvat per se conjugium; sed debet cum Sacerdotali conscientia separari, unde benedi-

nedictionem ineundi accepit; præsertim quoties proponitur facienda separatio amore perpetuæ continentiæ, sicut eleganter loquitur Hincmarus in *dicto Opusculo de divortio Lotharii, ad interrogationem* 5, *tomo* 1. pag. 594.

Quod si ob causam impotentiæ & frigiditatis separatio petatur, quamvis super hoc dubitatum fuerit plurimum; tandem justa & Canonica separationis causa fuit visa hoc colore, quia nunquam per commixtionem carnis conjuncti una caro fuerint effecti. Uno verbo distinguunt inter ratum & consummatum Matrimonium, ita tamen ut alter conjugum, qui consummationi Nuptiarum impedimentum attulit; sine spe conjugii alterius maneat; alter vero secundas Nuptias possit contrahere: quod sic intelligendum, si ab initio, idest ante consummationem, inventa fuerit impossibilitas, Superveniens enim post consummationem, sicut & furor, aut impedimentum quodlibet superveniens, non solvit Matrimonium consummatum, Gratianus ad *can.* 28. & *can.* 29. 30. 31. *hac nostra Quæstione*. Quæ materia iterum plenius repetitur in *Causa* XXXIII. *Qu.* 1. & *toto tit. extra de frigidis & maleficiatis*.

Quod per vim & metum illatum abducta & rapta fuerit Sponsa, reddenda est omnino priori Sponso, & ad eum reverti compellenda per Ecclesiasticas censuras *can.* 34. 46. 47. 48. *usque ad* 50. ad quem male Gratianus distinguit, ad priorem Sponsum redire teneri, si ductio in domum Sponsi & benedictio Sacerdotis in Sponsalibus intervenerit: non teneri vero redire, quoties ductio & benedictio non intervenerit. In quo recte notatur Gratianus. Hujusmodi enim solemnitates nihil addunt ad substantiam & perfectionem Matrimonii. Nam extrinsecus adveniunt *Can. nostrates* XXX, *Qu.* 5. Quod verò pertinet ad celebrem quæstionem de raptu, variis ejus speciebus, & pœnis tam Canonibus quam Legibus impositis, & quomodo jus civile a Canonico in hac Quæstione dissideat, tractabimus suo loco, nempe in *Qu. ult. Causæ* XXXVI.

Superest postrema & ultima quæstio, utrum desponsatus vel desponsata renuntiare priori conditioni possint, & ad alia Sponsalia transire. Et quidem non posse renuntiare, sed ad prima redire compelli per censuras Ecclesiasticas suadere videntur *Can.* 8. 27. & 50. & passim in *tit. de Sponsa duorum*. Verumtamen hæc lex est imperfecta: si enim Sponsalibus prioribus contemptis, Matrimonium cum alia vel alio sequatur, vel etiam Sponsalia de præsenti; ei quidem, qui fidem fregit, pœnitentia imponetur, sed non dissolvetur Matrimonium sequens vel sequentia Sponsalia de præsenti: & ita conciliandus *Canon. penult.* cum *Can. ult. hac Causa & Quæst.* & cum *cap.* 1. *extra de Sponsa duorum*. Priora itaque Sponsalia vetant cum alia contrahi Matrimonium, sed contractum non dissolvunt; Sponsalia de futuro proculdubio dissolverent. Et hæc secundum jus vetus canonicum: quam severitatem posterioribus Decretalium Constitutionibus a Pontificibus temperatam reperimus. Et quidem in *cap.* 2. *de Sponsalibus & Matrimoniis* Pontifex ait, inducendos esse Sponsos & Sponsas, ut fidem impleant. Quod si ambo repugnent, & communi consensu uterque recedere velit; hoc posse in patientia tolerari rescribit Pontifex, exemplo societatis, quæ mutuo dissensu solvi potest. Quod si alteruter tantum renuntiare velit Sponsalibus,

libus, dummodo rationabilis causa subsit (sicut in *Canonis* 34. casu *hac Causa & Qu. & ad cap.* 10. *de Sponsalibus* adnotari solet) causa cognita solvi poterunt Sponsalia.

Postremo quæritur, quid si nulla causa subsit, sed alteri alter displiceat; quæ quæstio tractatur in *cap.* 17. *extra de Sponsal. & Matrim.* in quo quærebatur qua censura mulier quæ Sponsalia contraxerat, imo & juramento confirmaverat, compellenda esset ad fidem adimplendam & Matrimonium contrahendum.

Respondet Lucius III. cum libera debeant esse Matrimonia, monendam potius esse mulierem, quam cogendam hac ratione, quia coactiones solent difficiles exitus habere. Quod sumpsit ex Gratiano initio *Quæst.* 2. *Causæ* XXXI. & Gratianus ex Ambrosio in *epist.* 1. *ad Corinth. cap.* 7. dicente, quia invitæ nuptiæ solent malos proventus habere: & ne quid deterius contingat *cap.* 2. & 12. *extra de Sponsalibus*. Itaque *cap.* 17. temperatur juris veteris austeritas, qua præcise compellebantur Sponsi & Sponsæ contrahere Matrimonium. Et hanc esse veram sententiam ex verbis hujus Capituli manifestissime ex veteribus Interpretibus quidam viderunt contra Glossam, quæ fictitias solutiones plures excogitat, quas merito Cujacius irridet ad *dictum capit.* 17. eaque ratione tandem jus canonicum in concordiam rediit cum Jure civili, quo alter ex Sponsis ultro & sponte, etiam sine causa, mutata voluntate, renuntiare conditioni & nuntium remittere potest *Lege* 6. *ff. de Sponsalibus*, *Lege* 1. *Cod. eodem*, *Lege* 2. *ff. de divortiis*, & *Lege* 2. *Cod. de repudiis*.

Diximus libellum repudii mittendum esse. Antequam nempe secunda Sponsalia contrahantur, priora debent legitimis modis per libellum repudii dirimi; alioquin Jure Civili, qui bina habent Sponsalia eodem tempore, infamia notantur *Lege* 1. & 12. §. 1. *ff. de his qui notantur infamia*. Jure vero canonico, ut diximus, secunda Sponsalia de futuro consistere non possunt, & dirimenda sunt; nisi vel Matrimonium, vel copula subsecuta sit de præsenti, ut diximus.

Postremo in *Can.* 10. 12. 14. 15. 18. & 31. *hac Qu.* quæritur, utrum per sola Sponsalia, non secuto Matrimonio, aliquod impedimentum contrahatur ad contrahendas Nuptias cum cognatis Sponsi vel Sponsæ, si contingat eorum alterum decedere; quod impedimentum vulgo publicæ honestatis solent appellare. Quam in rem observandus maxime *Canon.* 18. sed hæc tractatio commodius rejicietur ad *Causam* XXXV. in qua de consanguinitate & variis ejus speciebus tractatur, & de impedimentis affinitatis, & quæ eam imitatur, publicæ honestatis.

AD QUÆSTIONEM I.

Causæ XXVIII.

TRes quæstiones Gratianus suscipit tractandas in hac Causa XXVIII. 1. An conjugium sit inter infideles. 2. An uxor vel maritus fideles, altero conjuge in infidelitate manente, ab eo recedere possit, & alias Nuptias contrahere. 3. An bigamus existimandus sit, qui ante Baptismum unam uxorem duxit, & post Baptismum alteram.

Ad

Ad intellectum harum quæstionum duo notanda sunt. 1. Divortium duobus modis accipi debere. Et quidem in Jure Civili divortium accipi solet, quoties Matrimonii vinculum omnino dissolvitur, & ad alias Nuptias transire licet; idque etiam post consummatum Matrimonium, pluribus ex causis Legibus comprehensis permittebatur. Jure vero canonico etiam divortium accipitur cum jure & vinculo Matrimonii durante, separatur & solvitur tantum societas & consuetudo vitæ; victus & usus tori interdicitur: quo casu non licet alteri ex conjugibus, altero superstite, de alio Matrimonio cogitare.

Observandum 2. aliud esse Matrimonium legitimum & non ratum, aliud ratum & non legitimum: aliud legitimum & ratum simul. Legitimum dicitur conjugium, quod singulorum populorum moribus & institutis convenienter contrahitur: & hoc Matrimonium reperitur etiam apud infideles; quod ratum non est. Aliud ratum Matrimonium dicitur, quod inter Christianos & fideles celebratur: ratum ideo dictum, quod firmum sit & inviolabile, idest quod nunquam dissolvi possit. Huic rato Matrimonio si solemnia accedant, legitimum & ratum simul appellatur: si vero absque solemnitatibus peragatur, solo affectu & consensu de præsenti inter fideles, ratum duntaxat appellant, non legitimum. Et ne quis recentem aut fictam a veteribus juris Interpretibus hanc distinctionem putet, & præsertim a Gratiano ad *Canonem* 1. *&* *ultimum hujus Quæstionis* 1. intelligat a summis Pontificibus eam fuisse relatam & comprobatam a Clemente III. & Cælestino III. in *cap.* 1. *&* 2. *de conversione Infidelium in* 2. *Collectione*, & ab Innocentio III. in *cap.* 7. *extra de Divortiis*. Male tamen veterem errorem secuti Collectorum Canonum Clemens & Cælestinus in *d. cap.* 1. *&* 2. auctorem distinctionis faciunt Gregorium I. nempe ex *can.* 2. *Qu.* 2. *hac nostra Causa*: cum tamen illius distinctionis auctor sit D. Ambrosius in *Commentario ad caput* 7. *epist.* 1. *ad Corinth.* Ex quo sumptus est prædictus *can.* 2. & cujus locum, quia necessarius est maxime, exscribemus, in hæc verba Apostoli: *non est enim frater aut soror servituti subjectus in hujusmodi. Hoc est non debetur reverentia conjugii ei, qui horret auctorem conjugii. Non enim ratum est Matrimonium, quod sine Dei devotione est; ac per hoc non est peccatum ei, qui dividitur propter Deum, si alii se junxerit. Contumelia enim Creatoris solvit jus Matrimonii circa eum, qui relinquitur, ne accusetur alii copulatus. Infidelis autem recedens & in Deum, & in Matrimonium peccare dignoscitur, quia noluit sub Dei devotione habere conjugium. Itaque non est ei fides servanda conjugii, qui ideo recessit, ne audiret Auctorem esse Christianorum Deum conjugii. Nam si Esdras Propheta dimitti fecit uxores aut viros infideles, ut propitius Deus fieret; nec iratus esset si alias ex suo genere acciperent: (non enim ita præceptum his est, ut remissis istis, alias minime ducerent) quanto magis si Infidelis discesserit, liberum habebit arbitrium, si voluerit nubere Legis suæ viro? Illud enim non debet imputari Matrimonium, quod extra Legem Dei est: sed cum post cognoscit & dolet se deliquisse, se emendat, ut veniam mereatur. Si autem ambo crediderint, per Dei cognitionem confirmant conjugium.*

His ita præmissis apertior erit decisio trium Quæstionum, quæ in hac Causa continentur. Et quidem 1. decisio hæc est, inter Infideles & inter

inter Judæos fuisse verum & legitimum Matrimonium, quia & fides consensus interveniebat, & suscipiebatur societas & consuetudo vitæ, voto & animo prolis procreandæ; ideoque Christus ipse & Apostoli agnoscunt hujusmodi conjugia, maritos & uxores vocant: nam & ipse Deus auctor est conjugii. Verum est Matrimonium, sed non est ratum, idest non est indissolubile, non habet vim & effectum Sacramenti; quoniam apud Gentiles & Judæos variis ex causis, sicut notavimus, dissolvebantur Matrimonia, ita ut ad alia Matrimonia liceret transire. Gratianus ad *Can.* 1. 14. *& ultimum hac Quæst.* 1. Quin imo & Apostolus retineri debere hujusmodi conjugium ait post conversionem ad fidem, quia spes est per cognitionem Dei & conversionem alterius conjugis confirmari & ratum fieri hujusmodi matrimonium; ideoque ab altero ex conversis ad fidem retineri debet conjugium & conservari, quantum absque pietatis detrimento licebit. Qua in re notandus est communis consensus omnium interpretum Græcorum & Latinorum ad *dictum cap.* 7. *epistola* 1. *ad Corinth.* Et quidem præcipue D. Ambrosii loco citato, & D. Augustini in *Can.* 9. *hujus Quæst.* 1. & ex Græcis D. Chrysostomi, Theodoreti, & ex utrisque Theophylacti: qui omnes asserunt, secundum mentem Apostoli, si alter ex infidelibus conjugibus post conversionem alterius recedere obstinate voluerit in odium Christiani nominis ab eo, qui conversus est, nec cum eo morari sustinet, vel etiam sub ea conditione tantum, quæ sit turpis, & Christianæ pietati adversetur: illis duobus casibus habere locum dictum Divi Pauli: *Non est frater vel soror subjectus servituti in hujusmodi. Contumelia enim Creatoris*, ut ex D. Ambrosio diximus, *solvit jus Matrimonii circa eum, qui relinquitur*, idest fidelis relictus injuste liberabitur vinculo Matrimonii, & ut loquitur D. Augustinus, *plus tenebitur amore divinæ gratiæ, quam carnis luxuriæ; & membrum, quod eum scandalizat, fortiter amputabit*, *Can.* 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. *hac Causa & Quæst. & Can.* 2. *Quæst.* 2. Uno verbo inquit D. Chrysostomus: *Si jubet infidelis te sacrificare, aut esse socium impietatis propter Matrimonium, aut recedere: melius est, ut distrahatur Matrimonium, quam pietas*. Quod pluribus deinde confirmat. Quod si fideli converso ad fidem non fuerit molestus infidelis conjux, nulla ratione recedere debet fidelis, ex Apostoli consilio; quod necessitatem inferre rectissime docent D. Augustinus & reliqui Patres ex verbis Apostoli. Et quidem D. Augustinus in *Can.* 8. *hac C. & Q.* Non ait, propter vinculum cum talibus conjugale servandum, sed ut acquirantur Christo, recedi ab infidelibus conjugibus vetat Apostolus. Et maxime in *Can.* 9. *Utrumque licitum est pariter per justitiam, qua coram Domino est, & ideo nihil eorum Dominus prohibet: sed non utrumque expedit propter infirmitates hominum; & ideo id quod non expedit, Apostolus prohibet, dante sibi Domino liberum prohibendi locum: quia neque id quod monet Apostolus, prohibet Dominus; neque id quod prohibet Apostolus, jubet Dominus.* Et postea: *Licitum erat per justitiam; sed etiam licitum non esse faciendum admonet D. Paulus propter liberam benevolentiam: quia, ut supra dixerat, quamvis & hoc liceat; non tamen expedit id quod licitum est, quando permittitur quidem, sed usus ipsius potestatis aliis infert impedimentum salutis: sicut est discessio fidelis*

Pars Secunda. Q con-

conjugio ab infideli, quam non prohibet Dominus præcepto legis, quia coram illo injusta non est: sed prohibet Apostolus consilio caritatis, quia infidelibus affert impedimentum salutis: non solum quia perniciosissime scandalizantur offensi; verum etiam quia cum in alia conjugia ceciderunt, viventibus eis, a quibus dimittuntur, adulterinis nexibus colligati difficillime dissolvantur. Planissime Theodoretus in illud D. Pauli *epist. 1. ad Corinth. cap. 7. Cæteris autem, ego dico &c. Hoc ego dico, idem est ac non inveni hanc legem scriptam in sacris Evangeliis, sed nunc & eam fero. Quod autem B. Apostoli leges, leges sint Domini, clarum est iis, qui in divinis rebus sunt eruditi. Ejus enim vox est: an experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Christus: & non ego, sed gratia, quæ in me est: & dico per gratiam mihi datam. Ita etiam hic fert legem, sanctissimo per eum loquente Spiritu: cujus legis utilitatem ferendæ ipse B. Apostolus subjicit, nempe spem futuræ conversionis, & expectandæ per Dei gratiam ab altero ex conjugibus conversis.* Quod & elegantissime D. Chrysostomus explicat in hæc verba dictæ Epistolæ: *Unde enim scis mulier, si virum salvum facies? Hoc rursus refertur ad illud, non dimittat illum: si discessionem non agitat; mane, ait. Nam & lucrum agis. Mane, & hortare, & consule, & persuade. Nullus enim doctor tantum potuerit valere, quantum uxor. Et neque imponit ei necessitatem: neque omnino ab ea rem exigit,* idest ut convertat necessario, *ne rursus molestius illud,* scilicet conversionis opus, *reddat: neque jubet desperare; sed sub incerto eventu futuri suspensam eam relinquit.*

Ex his colligimus rationes, cur fideli non liceat infidelem conjugem dimittere, eo scilicet casu, quo ab initio ambo conjuges unius & ejusdem infidelitatis fuerunt, quando Matrimonio juncti sunt, & postea alter vel altera sine altero credidit.

Hactenus de infidelibus conjunctis egimus. Quod si vero ab initio proponatur, utrum fidelis infideli vel Judæo possit jungi Matrimonio, agnoscendum erit tam veteri quam novo Testamento hujusmodi Matrimonia valide non contrahi; sicut idem Augustinus probat *dicto Can. 9. hac Quæst.* 1. & Theodoretus loco citato: imo & dissolvi debere contracta, nisi ad fidem Christianam infidelis vel Judæus transire velit. *Can.* 10. 11. 12. & 17. *hac* XXVIII. *Causa & Quæst.* 1.

Aliud dicendum si ambo conjuges fideles ab initio fuerint copulati Matrimonio, & alter postea vel ad infidelitatem, vel ad hæresim transeat: tunc enim quia semel ratum fuit Matrimonium per Sacramentum, nunquam potest postea dissolvi; ne quidem per Ecclesiæ judicium, ita ut alter fidelis vel Catholicus ad alias nuptias transire possit: sed vel invicem se tolerare debent, vel separari tantum possunt, quantum ad societatem mensæ & tori, remanente perpetuo Matrimonii vinculo: *Quia Sacramentum fidei, quod semel admissum fuit, nunquam amittitur,* ut ait Innocentius III. in celebri *cap. 7. extra de Divortiis. Quamvis,* ut initio ait idem Innocentius III. *prædecessor noster aliter sensisset.* Intelligit vero Cælestinum III. ut recte Glossa ad *dictum cap. 7.* cujus sententia extat in *cap. 2. de conversione infidelium in 2. Collectione,* in parte decisa, ibi: *Cum S. Christiano viro propter odium uxoris Christum negante, & sibi copulante paganam.* Quo casu male Cælestinus III. rescripserat

pserat fidelem uxorem relictam posse ad aliud Matrimonium transire. Quod hic recte mutat Innocentius III. quem sequitur Concilium Trid. *Sessione 24. can. 5. de Sacramento Matrimonii*. Quod si postea conjux alter infidelis ad fidem etiam revertatur a gentilitate vel hæresi, redintegratur Matrimonium; nisi forte medio tempore fidelis contemptus vel derelictus aliud Matrimonium contraxerit; vel etiam semel relictus alter ex conjugibus, & Ecclesiæ judicio separatus, ad Religionem transire voluerit, *cap. ult. de Conversione conjugatorum*.

Quod si Catholicus cum hæretica, vel contra, Matrimonio jungatur, hujusmodi Matrimonium consistit & valet, nec dissolvi quacumque ratione potest; quamvis pluribus Canonibus admoneamur hujusmodi conjugiis esse abstinendum; nisi in contrahendo profiteantur se futuros Catholicos, *Can. 16. hac Causa & Quæst.* ut recte contra Glossam annotat vetus Interpres Hugutio; ita ut Canones illi numerandi sint inter leges imperfectas, quæ prohibent aliquid fieri, sed factum non rescindunt: quod sæpius in causis Matrimonii contingit.

Ad 2. Quæstionem quæ pertinent, explicavimus supra.

Ad Quæstionem III.

IN 3. Quæstione quæ ad Bigamos pertinet, proponitur hujusmodi quæstio, utrum reputandus sit Bigamus, qui ante baptismum uxorem duxerat, qua mortua alteram uxorem ducit. Quæritur, inquam, utrum Episcopus, Presbyter, & Diaconus ordinari possit; & utrum, ut loquuntur, irregularitatem incurrat, adeo ut non possit ordinari. Quæ quæstio tractatur etiam, & fusius in *Dist.* XXVI. *& in Dist.* XXIV. *can.* 7. 8. *& seqq. & toto. titulo extra de Bigamis*. Orta vero est illa quæstio occasione verborum B. Pauli in *Epist. ad Timotheum* 1. *cap.* 3. *& in epistola ad Titum. cap.* 1. In quibus locis Apostoli explicandis non constat inter Ecclesiæ Patres, sive verba, sive sententiam spectemus. Quidam enim ex Græcis, & etiam ex Latinis hæc B. Apostoli verba, *unius uxoris virum*, existimant non tantum accipienda de viro, qui habuit unicam uxorem ante ordinationem; sed etiam de viro, qui habet adhuc unicam uxorem eo tempore, quo ordinandus postulatur; idque ideo sic statutum ab Apostolo allegant, quoniam & Judæi Apostolorum tempore plerumque non abstinebant a polygamia; vel etiam contra Evangelicam legem & Judæi & Christiani facile suas dimittebant uxores, & alias ducebant primis viventibus: quod licebat tam lege Mosis, quam ex Principum Christianorum constitutionibus, quæ diutissime manserunt, contradicente licet Ecclesia. Nihilominus tamen Ecclesia secundum veritatem Sacramenti & ejus institutionem, nullo tempore hujusmodi conjunctiones probavit, & polygamos hujusmodi viros & uxores reputabat, eosque tanquam bigamos & polygamos removebat a Sacerdotio; quia prioris Matrimonii vinculum non erat dissolutum, sicut B. Chrysostomus notavit ad *dictum cap.* 3. *epist.* 1 *ad Timoth.* quamvis in *epistola ad Titum* initio magis inclinare videatur in sententiam, quæ tandem recepta est, accipienda esse verba D. Pauli de eo, qui post unicas nuptias contractas, & uxore mortua, ad ordines se promovendum exhibet. Theodoretus vero & ex Orientis Pa-

Patribus nonnulli de polygamia tantum explicant in eum, quem retulimus, sensum: quin & uxoratum sive primis, sive secundis nuptiis, posse admitti ad sacros Ordines ait. Varias autem sententias Interpretum super dictis B. Pauli locis retulit D. Hieronymus in *epistola* 83. *ad Oceanum*: & Theophylactus varias etiam sententias Græcorum Patrum in dicta loca retulit. Major tamen pars & Græcorum & Latinorum in eam sententiam convenit, Apostoli verba intelligenda esse de illo, qui post mortem primæ uxoris ad Sacerdotium vel sacrum aliquem Ordinem promoveri desiderat. Merito vero Theophylactus irridet eos, qui B. Apostoli verba figurate accipiebant de eo, qui cum aliquod obtinet beneficium, aliud præterea simul obtinere contendit: quamvis & illud non quidem hoc Apostoli loco, sed aliis interdictum fuerit.

Non levis etiam controversia fuit in quæstione de Bigamis, utrum uxore ducta & mortua ante Baptismum, & secunda post baptismum superducta, Bigamus censeri debeat, qui post Baptismum secundum Matrimonium contraxit. De qua quæstione in *epist. ad Titum* sic scribit B. Hieronymus. *Multi superstitiosius magis quam verius etiam eos, qui, cum gentiles fuerint, & unam uxorem habuerint, qua mortua, post baptismum Christi alteram duxerint, putant in Sacerdotio non legendos: cum utique, si hoc observandum sit, illi magis ab Episcopatu arceri debeant, qui vagam per meretrices ante exercentes libidinem, unam regenerati uxorem acceperint; & multo detestabilius sit, fornicatum esse cum pluribus, quam bigamum reperiri: quia in alio infelicitas Matrimonii est; in alio ad peccandum prona lascivia.* Quam etiam sententiam plenius persequitur in *epist.* 83. *ad Oceanum*. Divi tamen Ambrosius, Innocentius I. Augustinus, Gregorius I. & plerique Patres & Concilia, quorum auctoritates in *hac Quæstione nostra* referuntur, & in *Dist.* XXVI. contrariam opinionem prætulerunt: quæ recepta est his potissimum rationibus, quia Matrimonium infidelium & Judæorum, sicut probavimus supra, verum & perfectum est Matrimonium; nec superveniens Baptismus efficere potest, ut non fuerit verum Matrimonium. Baptismus enim diluit & abstergit maculas, non nuptias, quæ probantur & laudantur a Christo: & ut ait S. Innocentius I. in fine *Can.* 3. *Dist.* XXVI. *aboleri non potest prioris nomen uxoris, cum non dimissum sit pro peccato, quod ex Dei sit voluntate completum*. Quod vero objicitur ab Hieronymo, a dictis Patribus ita refellitur, præcipue ab Innocentio I. & D. Augustino, non ideo Bigamum removendum esse ab Episcopatu, vel Sacerdotio, quia peccavit ducendo primam uxorem; sed ideo non admittendum ad Episcopatum vel sacros Ordines, quia secundam uxorem ducendo, normam Sacramenti & prærogativam electionis amisit, non ad vitæ meritum, sed ad Ordinationis Ecclesiasticæ signaculum necessarium, *Can.* 1. *Dist.* XXVI. Quæ norma Sacramenti in eo consistit, ut Christi unionem in caritate cum Ecclesia perfecte repræsentet: quod tantum fieri potest, si cum unica permaneat uxore maritus, nec dividat carnem suam in plures. Addit D. Ambrosius in *Can. ultimo*, *Dist.* XXVI. *quomodo hortator poterit esse castitatis, qui conjugia frequentaverit?* Plura de Bigamis in *titulo de Bigamis*.

AD

Ad Quæstionem I.

Causa XXIX.

IN hac Causa de impedimento ex errore conjugum procedente tractatur, quæ Causa in duas quæstiones dividitur. In 1. quæritur generaliter, utrum omnis error, vel saltem qualis error Matrimonium impediat non tantum contrahi, sed etiam semel contractum dirimat.

In qua Quæstione Gratianus, quem sequuntur Magister sententiarum, Thomas, & omnes fere, ait rationem hanc dubitandi occurrere, Matrimonium solo consensu perfici: aliquis autem consensus reperitur, licet allegetur error. Sed statim subjicit non quemlibet consensum, sed liberum, spontaneum & certum desiderari: qui autem ignorat, vel errat, non potest dici consentire. Nihil enim tam contrarium consensui, quam error, *Lege Si per errorem ff. de Jurisdictione omnium judicum*. Non tamen omnis error sufficit ad dirimendum Matrimonium. Unde quatuor species erroris distinguit; vel enim error est personæ, vel conditionis, vel fortunæ, vel qualitatis. Duæ primæ species dirimunt contractum matrimonium; duæ vero postremæ non dirimunt. Error personæ, sive in persona est, si cum haberem animum Meviæ ducendæ, supponatur ejus loco Sempronia: quo casu defuit omnino consensus in Semproniam; ideoque facile dirimetur qualecumque illud Matrimonium, quod nec ab initio constiterat: sicut in Jure civili emptio non consistit, si circa rei substantiam & materiam error interveniat *Lege in venditionibus ff. de contrahenda emptione*. Addenda exceptio, nisi conjuncti, errore semel comperto, simul affectu conjugali perseverent. Nam subsequens consensus facile conciliat nuptias.

Error etiam conditionis dirimit Matrimonium, e. c. si liber homo cum libera se contrahere existimet, quam postea servam esse deprehendit; vel contra, si libera cum servo, quem putabat liberum. Sed statim debent recedere ab invicem; alioqui subsequens consensus, cohabitatio vel copula Matrimonium confirmabunt, *cap.* 2. *& ultimo extra De conjugio servorum*. Quod & generale est in aliis casibus *cap.* 21. *&* 28. *extra De sponsalibus & Matrimoniis*. Præterea semper requiritur, ut judicium Ecclesiæ interveniat, *dicto cap. ult. & cap.* 3. *&* 6. *extra de Divortiis*.

Duæ postremæ erroris species, nempe fortunæ & qualitatis, contractum Matrimonium dirimere non possunt: fortunæ, e. c. si pro divite duxerit pauperem, vel si plebeio nupserit mulier, quem nobilem existimabat; vel etiam si in qualitate erratum fuerit, e. c. si cum existimaret virginem ducere, meretricem vel corruptam duxerit. Quod & exemplo emptionis receptum, in qua si non erretur in corpore & materia, e. c. in sexu, si masculus pro fœmina supponatur; error circa qualitatem corporis vel sexus non obest, *Lege alioquin* 2. §. 1. *ff. de contrahenda emptione*.

Ad

AD QUÆSTIONEM II.

QUæstio 2. pertinet ad errorem conditionis specialiter, nempe si errans mulier nubat servo, quem liberum existimabat, vel vir errans pro libera servam ducat. Et quidem 1. quærit Gratianus generaliter, an legitimum sit conjugium inter servos & ancillas: quæ quidem dubitatio sumpsit originem ex Jure civili Romanorum. Ecclesia enim est in Republica, non Respublica in Ecclesia, ut loquebatur Optatus, & quatenus fieri potest, legibus sæculi obtemperari oportet. Jure autem Romanorum civili inter servos non est matrimonium legitimum, sed contubernium tantum. Multo minus inter liberum hominem & ancillam, vel liberam & servum erat Matrimonium, nec dos, nec nuptiæ, *Lege Lucius 27. ff. depositi*. Quin imo inter liberas personas, dispares tamen qualitatis sive dignitatis, nuptiæ Jure civili contrahi non poterant, e. c. civis Romanus cum Latina, vel peregrina; Senatores & eorum liberi non poterant cum libertina, scenica, vel cum ea, quæ corpore quæstum fecerat, Matrimonium contrahere, Ulpianus in *Regulis titulo 6. & titulo 16.* Ex quibus locis lucem accipiunt pleræque Leges & loca veterum Patrum. Earum tamen Legum asperitatem 1°. quidem Principes, etiam Pagani temperaverunt; deinde Christiani Imperatores; potissimum vero Justinianus, tandemque Ecclesia ad veram Juris naturalis & Evangelii lucem reduxerunt. Jure autem divino, quod Canonicum jus sequitur, quo apud Deum nulla est personarum acceptio, nec distinguitur servus & liber, non ingenuus, non libertinus, non plebeius, non nobilis; valent hujusmodi nuptiæ, maxime inter scientes. Si tamen inter servum vel servam, & liberum vel liberam, per errorem Matrimonium contractum fuerit, admittit Ecclesia eos posse divertere, *Can.* 1. 2. 3. & 5. *hac Quæstione nostra & cap.* 1. *extra De conjugio Servorum*. In conjugiis tamen hujusmodi servorum, etsi non ignorarent conditionem suam, ab initio consensus dominorum desiderabatur; alioquin permittebat Ecclesia dissolvi conjunctiones hujusmodi, *Can. ult. hac nostra Quæst.* Quod postea mutatum fuit; adeo ut etiam contradicentibus dominis facta hujusmodi servorum conjugia valeant. *cap.* 1. *de Conjugio servorum extra.*

Notandum tamen, sicut supra attigimus, statim atque error conditionis deprehensus fuerit ab altero ex conjugibus, qui conqueritur se fuisse deceptum, confestim eum recedere debere; alioquin si, postquam conditionem intellexerit, vel facto, vel verbo expresse, vel tacite consenserit, amplius non poterit dirimi Matrimonium, *Can.* 4. *hac nostra Quæst. & cap.* 2. 3. *& ultimo extra de Conjugio servorum*. Liberi autem, qui ex hujusmodi conjugiis suscepti fuerint, non patris, sed matris conditionem sequuntur: si mater libera fuerit, erunt liberi; si serva, manebunt servi secundum legem nempe naturæ, per quam partus ventrem sequitur, *Lege Lex natura ff. de Statu hominum*, Gajus *lib.* 1. *Instit. tit.* 4. §. 11. & Ulpianus in *Regulis tit.* 6. §. 8. Ex quibus locis etiam constar adversari regulam Juris civilis, qua in legitimis conjunctionibus liberi patris, non matris conditionem sequuntur. Sed, ut recte obser-

observat Cujacius ad *dictum Tit. de Conjugio servorum*, quamvis servorum contubernium post magnas & multas varietates tandem Ecclesia legitimis conjunctionibus adnumeraverit; retinuit id saltem ex Jure civili, ut si servus cum libera, vel contra liber cum ancilla contraxerit, non sequatur tamen partus conditionem patris, sed matris, *cap. ultimo de Servis non ordinandis, & cap. unico De natis ex libero ventre*.

Ad Quæstionem I. III. & IV.

Causa XXX.

PRosequitur Gratianus explicationem causarum, quæ vel impediunt Matrimonium contrahendum, vel etiam contractum dirimunt. In hac vero Causa tractat potissimum de impedimento, quod ex cognatione spirituali oritur, nempe in *Quæst.* 1. 3. & 4. Nam in 2. attingit leviter tantum impedimentum ætatis, & utrum inter infantes recte sponsalia contrahantur. In quinta quæritur an clandestina desponsatio manifestæ præjudicet.

Agamus prius de cognatione spirituali, quam in tres quæstiones dividit. In 1. quærit, an maritus, qui proprium filium de Baptismate suscepit, vel si uxor susceperit proprium filium mariti, Matrimonium retinere debeant. In 3. an spirituales vel adoptivi filii naturalibus copulari valeant. In 4. an uxorem compatris uxoris suæ alicui ducere liceat. Ad quarum intellectum notandum tres esse cognationum species: aliam naturalem; aliam legalem; aliam spiritualem: quibus singulis assignantur speciales Tituli lib. 4. Decretalium apud Gregorium IX.

Cognatio naturalis ex justo Matrimonio descendit Jure civili: Jure vero canonico etiam ex qualibet conjunctione, ut in sequentibus explicabimus. Legalis ex adoptione oritur, quæ civili Jure nuptias legitimas imitatur. Cognatio vero spiritualis illa dicitur, quæ sola auctoritate Ecclesiæ & Canonum introducta fuit; adeoque non principaliter & directo, sed relative tantum & latius accepto legis divinæ nomine, ne pugnare videatur, quod in Canonibus dicitur, *Lege divina cognitam spiritalem cognationem*. Quod innuere videntur *Canon.* 1. & 3. *hac Causa* XXX. *Quæst.* 3. Oritur vero illa cognatio ex causa Baptismi, Catechismi, Confirmationis, Ordinum sacrorum, Pœnitentiæ & Confessionis: in quibus omnibus vetus consuetudo inoleverat, ut fideles quosdam Patronos & susceptores sibi assumerent, qui locum parentum obtinebant. Nam generationis cujusdam spiritalis similitudines in illis reperiuntur; potissimum tamen in Baptismo illius regenerationis imago certissima repetitur ex verbis Christi, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua*, &c. Reliquæ species spiritualis cognationis, v. g. in Catechismo, & Confirmatione, paulo sunt obscuriores. De illis tamen agitur in *hac* 1. *Quæst. Causæ* XXX. *Can.* 1. 6. 8. 9. & 10. in quibus etiam filius & filia spiritualis appellantur, qui confitentur Sacerdoti & Presbytero, qui Patres suorum pœnitentium vocitari solent etiam hodie. Sed hæc postrema cognatio nihil ad hanc materiam pertinet.

Redeamus ad cognationem ex Baptismo, quæ propria species spiritua-

tualis cognationis: ea ab initio contrahebatur tantum inter susceptum & suscipientem; inter quos etiam per consequens nuptiæ prohibebantur tantum: *nihil aliud inducere debet justam nuptiarum prohibitionem, quam nexus hujusmodi, per quem, Deo mediante, animæ copulatæ sunt*, *Lege 26. Codice de nuptiis*, quæ est Justiniani. Verum Canonibus longius porrectum est hoc jus. Et primum quidem inter patrem & matrem naturalem, & spiritalem, quæ appellatur compaternitas; hac ratione quia alii per naturam, alii per spiritum parentes intelliguntur. Itemque quoniam vir & uxor una caro censentur; si post Matrimonium contractum vir vel mulier de Baptismo suscíperent aliquem vel aliquam, non inter solum suscipientem maritum vel susceptricem uxorem, sed etiam cum utrisque ex conjugibus compaternitas vel commaternitas contracta intelligebatur: & hujusmodi patres & matres spiritales ascendentium naturalium speciem & similitudinem obtinent *tota Quæst.* 4. Hoc amplius quædam cognatio a latere inducebatur per Baptismum, fraternitas scilicet; e. c. qui ex susceptore & susceptrice nati erant, vel ante vel post susceptionem ex Baptismo, non poterant jungi Matrimonio cum suscepto susceptave, *Can.* 1. 2. & 3. *Quæst.* 3. imo nec cum filiis vel filiabus patris vel matris naturalis ejus, qui erat susceptus, idest cum fratribus aut sororibus suscepti, sive ante sive post baptismum forent nati; perinde ac si inter se omnes ex iisdem parentibus geniti forent: quoniam utrique parentes invicem se compatres & commatres appellabant. Quod jus postea immutatum fuit, & generaliter statutum, ut hujusmodi personæ legitime possent copulari; exceptis tantum illis personis, per quas compatres vel commatres effecti fuerant, & quæ causam dederant compaternitati. Uno verbo inter solos susceptos vel susceptas & filios filiasve susceptoris aut susceptricis prohibitio remansit. Quod explicatur in *Can.* 4. *dicta Quæst.* 3. Cui non adversatur *Canon.* 5. *eadem Quæst.* Nam quod in eo Canone dicitur, sic est intelligendum, ut personæ, quæ susceptæ fuerint ex Baptismo, Matrimonio nunquam jungi valeant cum filiis vel filiabus suscipientium; non tantum si nati fuerint ante susceptionem de Baptismo, sed etiam si post susceptionem ex suscipiente natus vel nata fuerint filius aut filia? Quæ vera est conciliatio dicti *Can.* 4. cum. 5. quam indicaverat vetus Interpres Hugutio, cujus mentem & sententiam secuti sunt Pontifices in *cap.* 1. 3. & *penult. extra De cognatione spiritali*: quam sententiam Cujacius ad *illa capitula* rectissime vindicavit. Manet itaque jus vetus inter eas personas, quæ susceptæ fuerint in Baptismo; non in reliquis, *dicto cap.* 1. & 3. *penult.*

Quod autem diximus compaternitatis ratione inter susceptorem & matrem naturalem prohiberi nuptias; illud protractum etiam ad eos, qui baptizaverunt & inter baptizatos. Minister enim Baptismi pro patre spirituali accipitur, *cap. ultimo dicto tit. de Cognatione spiritali extra* & *cap.* 1. *eodem tit. in* VI.

Ex supradictis omnibus causis cognatio præcedens, sive ex Baptismo, sive etiam ex Confirmatione, & Matrimonium contrahendum impediebat, & contractum dirimebat: quas omnes species breviter & dilucide comprehendit *dictum cap.* 1. *de Cognatione spiritali in* VI. quibus & contrahendum Matrimonium impediri, & contractum dirimi decernit, eundemque

demque ait esse effectum cognationis spiritalis, quæ ex Confirmatione oritur.

Quod si per Catechismum, quem vocare solent Canones pabulum sacrati salis, contracta fuerit cognatio spiritalis, Matrimonium quidem contrahendum impedit; propter tamen illam cognationem contractum postea Matrimonium non solvitur *cap. 5. extra de cognatione spirituali*, & *cap. penult. eodem tit. in 6.* Ex datione vero aliorum Sacramentorum, e. c. Pœnitentiæ, Corporis Jesu Christi Domini nostri, Ordinis & Extremæ-unctionis, non oritur cognatio, quæ Matrimonium impediat, aut dissolvat, *cap. ultimo eod. tit. in* VI.

Diximus autem hæc ita locum habere, si cognatio spiritalis præcesserit Matrimonium. Quid enim si sequatur contractum Matrimonium & superveniat? Quæ quæstio tractatur in 1. *quæst. hujus Causæ*, v. g. si post contractum Matrimonium vir vel uxor filium aut filiam communem de fonte susceperint, vel in Confirmatione; vel etiam baptizaverint ipsi filiastrum, ut loquuntur, vel filiastram alterutrius ex præcedenti Matrimonio, post secundum Matrimonium; vel de Baptismo susceperint, vel in Confirmatione: his omnibus casibus quæritur, an propterea recte ab initio contractum Matrimonium dissolvatur. Et quidem vetustissimo Jure Canonum dirimebatur Matrimonium; sequentibus vero Canonibus retinetur Matrimonium, aliquo temperamento adhibito, ut constat ex *dicta Quæst.* 1. quos merito etiam prætulerunt Alexander III. & sequentes SS. Pontifices in *tit. de cognatione spirituali*. Cum enim ipse Christus præceperit, ut quos ipse Deus conjunxit homo non separet, scrupulosum & anxium nimis visum est, ut per supervenientem cognationem quandam commentitiam humanis constitutionibus inductam, sicut diximus, vinculum lege divina firmissime connexum dissolveretur temere.

Postremo notandum ex *Can. Non plures* 101. *de Consecrat. Dist.* IV. rectissime constitutum, non plures ad suscipiendum de Baptismo infantem & in Chrismatione, quam unum, sive virum, sive mulierem debere adhiberi. Quod & confirmat *cap. ult. de cognatione spirituali in* VI. cum hac tamen interpretatione, ut si plures accesserint de facto, spiritualis inter omnes cognatio contrahatur, impediens contrahenda Matrimonia, & contracta dissolvens. Meminisse vero debent maxime susceptores & susceptrices admonitionis D. Augustini in *Sermone* 163. *de Tempore*, *se pro ipsis fidejussores apud Deum extitisse; & ideo semper illis sollicitudinem veræ caritatis impendere*, *Can.* 105. *Vos ante omnia de Consecrat. Dist.* IV.

Hactenus de veteri Jure Canonum & Decretalium. Postremo Concilio Tridentino multitudo hujusmodi prohibitionum, spiritualis cognationis occasione inductarum, valde fuit coercita, & ad certas personas restricta, quæ numerantur in *cap. 2. de Reformat. Matrimonii Sessione* 24. Primo quidem unum & unam tantum, non autem plures ad suscipiendum de Baptismo jubet accedere secundum *Can.* 101. *de Consecrat. Dist.* IV. Quod si plures adhibeantur, inter eos cognatio spiritalis non contrahitur, abrogato *Capitulo Quamvis de spirituali cognatione in* VI. Inter unicum vero susceptorem & susceptricem, & baptizatum, & baptizati patrem & matrem, pariterque inter baptizantem, & baptizatum, & baptizati patrem & matrem tantum cognatio spiritalis contrahitur, quæ nu-

ptias impediat : reliquis omnibus ſpeciebus abrogatis, & extincta omnino cognatione, quæ ex Catechiſmo oriebatur. Et merito: totum enim illud jus cognationis ſpiritualis, præſertim quatenus ad impedimentum nuptiarum pertinet, non a Lege divina, nec ab Apoſtolo, nec Conſtitutionibus Canonicis antiquiſſimis fuit inductum, ſed recentioribus, ut docuimus.

Aliquid addendum de legali cognitione, de qua etiam agitur in *Quæſt.* 3. *hac noſtra Cauſa, & in tit. de Cognat. legali Extra*. Hujuſmodi vero cognatio legalis contrahitur per Adoptionem, quæ frequens erat apud Romanos, & cujus ratione prohibetur Matrimonium inter eos tantum, qui inter ſe Jure civili parentum, filiorum, & fratrum aut ſororum ſimilitudinem obtinent, quamdiu nempe durat Adoptio. Nam per emancipationem ea diſſoluta, diſſolvitur etiam cognatio. Quod & Jure canonico confirmatur, *Can.* 1. *&* 6. xxx. *Qu.* 3. *& cap. unico de Cognatione legali Extra*. Ad quod Capitulum recte Cujacius admonet etiam poſt Concilium Trid. fraternitatem adoptivam Matrimonium contrahendum impedire & diſſolvere; quoniam adoptio fraternitatem quamdam adoptivam parit, *dicto cap. unico*. Baptiſmus autem non parit fraternitatem; imo nec proprie filium adoptivum facit, ſicut Adoptio; in qua neceſſarius utriuſque conſenſus intervenit, & futuri patris & filii adoptivi. In Babtiſmo vero non id agitur nominatim, ut ſuſceptus ſuſceptori, vel Miniſtro filius fiat vel filia; ſed per interpretationem & fictionem quandam Adoptivi loco & quaſi Adoptivi ſuſceptores & ſuſceptrices, & ſuſcepti habentur.

AD QUÆSTIONEM II.

QUæritur in hac Quæſtione utrum Sponſalia ante ſeptennium poſſint contrahi: & deciditur propter ætatis & judicii infirmitatem non poſſe; quamvis parentes utriuſque infantium nomine hujuſmodi ſponſalia contraxerint, *Can. unico*, qui ſolus in *hac Quæſt.* collocatur, & Nicolao Papæ tribuitur: qui Canon comparari debet cum *cap.* 4. *de Deſponſatione impuberum in* 1. *Collectione, & cum cap.* 2. *eodem tit. Extra*. Ex quibus hæc elicitur ſententia, inter utrumque vel alterum ſeptennii minorem ſponſalia, quamvis communi parentum conſenſu contracta, non valere propter judicii imbecillitatem. Conſenſus enim ſatis firmus in tenera illa ætate non æſtimatur: is autem neceſſarius eſt omnino, & quidem integer, non tantum in Matrimonio, ſed etiam in Sponſalibus: qui quidem nullus eſſe videtur, niſi intelligant contrahentes qua de re agatur. Excipitur, niſi conſentiant, poſtquam pubertatem attigerint, & ratum habeant, quod eorum nomine parentes geſſerint: idemque in Matrimonio multo magis *eodem Can.* conſtituitur, nempe ut inter puberes tantum rite contrahatur; alioquin ſi interveniente auctoritate & conſenſu parentum duntaxat, ante legitimam ætatem fuerunt juncti matrimonio, uſque ad pubertatem expectandum eſt, ut tunc vel ratum habeat Matrimonium, vel ſi non placeat, teneatur contradicere, qui minor annis Sponſalia vel Matrimonium contraxit. Excipiendum, niſi malitia ætatem ſupplente, carnalis copula ſupervenerit. Copula, inquam, non niſus & copulæ cona-

conatus, qui non sufficit solus, *cap. 6. 7. 8. 9. & 10. Extra de Desponsatione impuberum*. Excipitur etiam in *dicto cap. 2. eodem tit.* nisi forte aliqua urgentissima necessitate interveniente, utpote pro bono pacis, talis conjunctio, scilicet nondum puberum, toleretur. Quod non de quibuslibet intelligendum, sed quoties pro bono pacis publicæ inter Reges & Principes, aut illustres familias Sponsalia vel Matrimonia ante legitimam ætatem contrahuntur: quoniam, ut loquitur *cap. 6.° de Desponsat. impuberum in 1. Collectione, multa dissimulantur, & æquanimiter tolerantur, ne discordia inter Potentes olim exorta, & per matrimonium hujusmodi sopitæ, denuo suscitentur.*

Ad Quæstionem V. et Ultimam.

De vitio clandestini & de furtivis Nuptiis in *hac Quæst.* agitur; in cujus fine Gratianus notat, clandestini vitium non facere, quominus ipso jure Matrimonium consistat. Quæ etiam erat communis sententia Theologorum illius temporis, qui nempe hoc vulgari argumento nitebantur solum consensum sufficere eorum, de quorum conjunctione agitur, ex *Can.* 2. XXVII. *Quæst.* 2. quamvis legitimæ probationes deessent: aliæ enim probationes non admittuntur. Unde eveniebat aliquando, ut probationibus deficientibus in foro exteriori, aliis nuptiis postea jungerentur, qui prius clandestinas contraxerant, & tamen tolerarentur: quamvis in foro interiori conscientiæ adulteri haberentur, nec consisterent hujusmodi Matrimonia. Qui allegat vero se clandestine Matrimonium contraxisse, sive vir, sive mulier, indistincte tenetur probare, juxta vulgarem regulam Juris, qua actor probare tenetur. Et sic intelligendum *cap. 1. de Clandest. desponsat.* licet loquatur tantum de viro. Et quidem probare tenetur modis legitimis, nempe per testes vel authenticam scripturam, *Can. 9. 10. & ult. hac nostra Quæst.* Quod si legitime probatum non fuerit, ab Ecclesia non compellebantur invicem cohabitare; liberum tamen eis erat clandestine factum Matrimonium postea publicare, & palam notum facere in Ecclesia, a qua ratum habebatur, tanquam si ab initio conspectu Ecclesiæ celebratum foret, *cap. 2. de Clandestina Desponsat.* quod desumptum est ex postremis verbis *Can. 1. hac nostra Quæst.* his nimirum: *Nisi voluntas propria & vota succurrerint legitima:* ex quibus etiam & ex notatis Gratiani ad *Can. 8. eadem Quæst. & ex d. cap. 2.* constat si postea conjuges, qui clam contraxerint, erratum agnoverint, & publice Ecclesiæ renuntiaverint, ratum haberi, & publice solemnitatibus adhibitis reconciliari. Quod necessarium est maxime post Concilium Trid. quo clandestina Matrimonia secundum Jus Ecclesiæ & civile vetustissimum irrita sunt, ut deinde dicemus.

Quid si medio tempore ex hujusmodi clandestino & irrito Matrimonio liberi suscepti forent? Post ratihabitionem & comprobationem Ecclesiæ liberi suscepti legitimi fiebant, *cap. 9. extra qui filii sunt legitimi*. Confirmavit autem Ecclesia hujusmodi Matrimonia clandestina, si nullum alium impedimentum superfit præter clandestini vitium. Nam si aliud præterea subsit, propter quod Matrimonium dissolveretur, aliud

erit dicendum. Etenim sæpissime ideo clam & furtive hujusmodi Matrimonia perficiuntur; quia publice non permitterentur, si nempe ritus & cæremoniæ omnes ab Ecclesia & jure publico præstitutæ observarentur. Unde si e. c. in gradu prohibito cognationis, non palam, sed clam, licet inter ignorantes celebretur Matrimonium, eo casu ita dissolvetur, ut & proles medio tempore suscepta sit illegitima. Nec enim de parentum ignorantia liberi debent habere subsidium; quoniam eorum parentes clam & furtive contrahentes, non expertes scientiæ, vel saltem affectatores ignorantiæ fuisse videntur, ut loquitur *cap. ult. de Clandestina desponsatione*.

Observandum vero ex *Can.* 1. *hac Quæst.* clandestina Matrimonia vetustissimo Jure Canonico plane irrita fuisse, sicut ostendunt verba dicti Canonis; *Aliter præsumpta connubia, non conjugia, sed adulteria & contubernia, vel stupra, aut fornicationes potius, quam legitima conjugia esse non dubitate*. Quod & antiquo Jure Civili Romano receptum fuit, quo furtivæ conjunctiones irritæ erant, argumento *Legis* 7. *Cod. de Repudiis & Lege* 3. *ff. de Concubinis*, ut recte observavit Cujacius *lib.* 6. *Observat. cap.* 20. quamquis postea clandestini vitium solum non dissolveret nuptias, dummodo consensisse contrahentes probarentur. Quam in rem expressa est *Novella* 74. *cap.* 4. ex quo sumptus est *Canon* 9. *Causa* xxx. *Qu.* 5. Jus vero Canonicum antiquissimum, sicut & antiquissimum Jus Civile prævaluerunt, ut modo dicemus. Ecclesia tamen perpetuo damnavit clandestinas nuptias, & publicari in Ecclesia jussit a Presbyteris, antequam contraherentur, *Can.* 1. 2. & 6. *hac nostra Quæst.* adhibitis ad id secundum consuetudinem quorumdam locorum denuntiationibus, quas Banna vocare solemus, eamque consuetudinem generaliter Lateranense Concilium sub Innoc. III. prorogavit ad omnia loca, *cap. ult. de Clandestina desponsat.* Per consuetudinem vero quorumdam locorum intellige præcipue Ecclesiarum Gallicanarum, in quibus ab antiquo, etiam ante dictum Concilium Lateranense, denuntiationes sive Banna præcedere contrahendum Matrimonium debebant, ut constat *ex cap.* 27. *de Sponsalibus extra*, juncto *capit. ultimo qui Matrimonium accusare possunt*. Quæ duo capita ex *unico Rescripto* Innocentii III. desumpta sunt scripto ad Episcopum Bellovacensem; & extant pleniora & integriora in 4. *Collectione Decretalium* his verbis: *Bannis, ut tuis verbis utamur, secundum consuetudinem Ecclesiæ Gallicanæ editis*. Quamvis justis & gravibus ex causis denuntiationum & bannorum hujusmodi publicationem ab Ordinario remitti posse Concilii Trid. Patres admittant *cap.* 1. *de Reformatione Matrimonii sessione* 24. in quo capite dignissima observatione sunt verba hæc, quibus Jus antiquissimum adversus clandestina Matrimonia „ reducitur. Qui aliter quam præsente Parocho, vel alio Sacerdote, de „ ipsius Parochi, seu Ordinarii licentia, & duobus vel tribus testibus, „ Matrimonium contrahere attentabunt, eos sancta Synodus ad sic contra- „ hendum omnino inhabiles reddit: & hujusmodi contractus irritos & „ nullos esse decernit, prout eos præsenti decreto irritos facit & annullat.

Postremo notandum *Canones* 1. 10. & *ultimum* non videri eorum Pontificum, quorum nomina habent inscripta. Sed desumpti sunt ex suppositiis quibusdam epistolis, de quibus in præfatione diximus. Nam *Canonis ulti-*

ultimi 1. pars usque ad hæc verba ; *Nec litigantibus* , desumpta est ex ipsis verbis *Legis* 1. *Cod. Theodosiano de Judiciis*. Reliqua vero pars dicti Canonis est desumpta ex interpretatione Aniani veteris Interpretis ad *dictam Legem* 1. Cætera , quæ occurrunt in his Canonibus , & in *hac tota Quæst.* de variis ritibus & cæremoniis Nuptiarum , a viris doctis explicata pridem fuerunt , præcipue a Brissonio lib. in eam rem singulari *de ritu Nuptiarum*. Hoc tantum ad *Can.* 3. adnotabimus, qui desumptus est ex *responsis* Nicolai Papæ I. *ad Consulta Bulgarorum cap.* 3. quo ait apud Græcos eam fuisse consuetudinem, ut mares & fœminæ in capitibus deferrent ligaturas aureas & argenteas , quando nuptialia fœdera contrahebant . Quod quidem ex veteri ritu Paganorum fluxerat : quem ideo primi Christiani reprobaverant, qui novas nuptas more Gentilium prohibebant coronas ferre, ut notat Tertulianus *de Corona Militis*, ut omnis color & superstitio idololatriæ removeretur. Coronæ enim omnes in alicujus numinis tutela censebantur , cui per gestationem coronæ cultus & honor aliquis exhiberi videbatur. Postquam vero omnes idololatriæ cultus abolitus est , non improbavit Ecclesia usum coronarum & ornatum in nuptiis tam in Ecclesia Occidentali quam in Orientali . Et quidem in ipsa urbe Roma de Nuptiis Patricii Ricimeris cum filia Imperatoris Anthemii testis oculatus Sidonius *lib.* 1. *epist.* 5. ita loquitur: *Jam quidem virgo tradita est , jam corona sponsus , jam palmata Consularis* , &c. Ad quem locum adhibe doctissimos Interpretes. Consuetudines vero pravas lampadum , chorearum, Scenicorum & Mimorum , quæ in nuptiis frequentantur, gravissime reprehendit D. Chrysost. *Homil. 56. in Genesim.*

Plura de cæremoniis & diversis Nuptiarum solemnitatibus tam ex Conciliis , quam ex Pontificum constitutionibus in *hac Quæst.* referuntur a Gratiano , & plenius a doctissimo Antonio Augustino *lib.* 28. *Epitomes Juris Canonici antiqui cap.* 5.

AD QUÆSTIONEM PRIMAM.

Causæ XXXI.

IN prima parte hujus Quæstionis quæritur , utrum & quibus casibus possit aliquis ducere in uxorem mulierem, cum qua , vivente uxore , commiserit adulterium . Quam quæstionem merito Gratianus tanquam difficilem proponit. Nam generaliter & indistincte in *Can.* 1. 3. & 4. videtur definiri, nullo casu eam posse duci in Matrimonium , quam per adulterium polluerit. Quod & probant Canones relati ab Antonio Augustino *lib.* 28. *Epitomes tit.* 21. quem titulum ita inscribit absolute: *Adulter non potest ducere uxorem cum qua , vivente ejus viro , concubuit*. In quam etiam sententiam proclivior est Cujacius in *cit. Decretal. de eo qui duxit in matrimonium , quam polluit per adulterium*. Unde & in *Can.* 2. qui est D. Augustini , plerique codices manuscripti & editiones meliores negationem habent ibi : *Fieri non potest connubium , cum quo præcessit adulterium*. Ubi tamen Gratianus negationem non habuit : imo nec etiam ante Gratianum doctissimus Hincmarus, ut constat ex *Tractatu de Divortio Lotharii & Thetbergæ tom.* 2. *ejus operum editionis Parisiensis ulti-*

ultimæ pag. 560. 672. & 673. quo loci refert dictum locum D. Augustini, detracta negatione; proindeque admittit absolute cum ea muliere contrahi posse matrimonium, cum qua prius præcesserit adulterium; dummodo priore marito mortuo, pœnitentiam de adulterio commisso uterque peregerit.

Duas tamen addiderunt exceptiones Gratianus & Pontifices, qui eum secuti sunt: quibus non permittitur Matrimonium, & si contractum fuerit, dissolvitur, nempe si vir vel mulier, qui vivente uxore legitima, adulterio se polluerint, de contrahendo matrimonio fidem invicem dederint, adhuc superstite priore uxore; vel etiam si consilium cœperint prioris mariti vel uxoris occidendi, ut ad sceleftas nuptias pervenirent. Nec refert utrum eventus sequatur, vel non: sufficit machinatos fuisse, *Can.* 4. 5. 6. *hac Quæst.* & *cap.* 6. *penult.* & *ult. Extra de eo qui duxit in matrimonium*. Atque notandum, si prima uxore adhuc superstite, cum posteriore de facto, non de jure matrimonium contrahatur: & prior uxor per insidias & Machinationes sublata fuerit, nunquam posse hujusmodi Matrimonium posterius reconciliari; quoniam per necem primæ uxoris posteriores nuptiæ conciliatæ sunt, *cap.* 3. *de eo qui duxit in matrimonium*. Nec admittenda distinctio Glossæ falso desumpta ex *cap. ult. codem tit.* si priore legitima uxore vivente, posterior uxor hujusmodi polluta non fuerit per adulterium, tolerari posse Matrimonium inter eos; si vero & homicidium & adulterium concurrat, non posse. Nam in specie quidem *d. cap.* 3. utrumque concurrebat, & homicidium & adulterium; & ab utroque se purgare debent, antequam Matrimonium consistere possit, ut doctissime probat Ivo Carnotensis *epist.* 170. *editionis* 2. At si de facto Matrimonium proponatur, etsi secuta non fuerit copula corporum, vivente priore uxore, quæ tamen per insidias peremptra fuerit, conscia posteriore uxore: eo casu, sicut diximus, verius est nunquam posse reconciliari flagitiosum illud Matrimonium. Si vero insidias prioris uxoris vitæ non struxerint, licet ea superstite, cum posteriore de facto contrahatur Matrimonium; modo tamen nec ante nec post secuta sit copula carnalis: pœnitentia utrique propter præmaturam properatarum nuptiarum spem & votum imposita, non dissolvetur Matrimonium post prioris uxoris obitum; quæ est vera sententia *Capituli ultimi dicto titulo*.

Observandum tamen si ignorantem mulierem, viva uxore, ducat quis in uxorem contra jus omne divinum & humanum, quamvis nullum sit hujusmodi Matrimonium: mortua tamen uxore prima non poterit maritus, qui posteriorem uxorem ignorantem decepit, divortium petere, ne de proprio dolo lucrum reportet. Poterit tamen mulier dissolutionem petere si velit, *cap.* 1. & 7. *eod. tit.* Quod si cum sciente muliere, etiam superstite prima, Matrimonium de facto contrahatur, & liberi suscepti fuerint: tunc separandi sunt omnimodo conjuges, propter hujusmodi audaciam & contemptum Ecclesiæ: nec ex hujusmodi fornicatione & adulterio suscepti liberi erunt legitimi. Poterunt tamen, si adhuc sint ætatis ejus ut continere non possint, alias nuptias contrahere, post peractam scilicet de adulterio pœnitentiam. Nec enim propter solum adulterium eis perpetua continentia imponetur, *cap.* 2. 4. & 5. *eodem titulo*: in quo tamen *cap.* 5. (quod videtur

tur obstare) propter varias publici adulterii, perjurii, & provectioris præcipue ætatis circumstantias indicitur perpetua continentia; sicut etiam solet indici, quoties vir aut mulier virum aut uxorem priorem occidisse convincuntur, *Can.* 5. *&* 6. *hac Causa & Quæst.* Hoc tamen singulare notandum ex *dicto cap.* 5. liberos ex adulterino & damnato coitu susceptos esse alendos a parentibus, & admoneri parentes, ut eis secundum facultates suas necessaria ministrent: quod & confirmatur *capitulo per venerabilem in fine extra qui sint legitimi*, scilicet ex æquitate naturali: quia hujusmodi liberi non proprio, sed alieno vitio laborant.

Postremo quod dicitur in *Can.* 8. 9. *&* 10. *& seqq.* secundas, tertias, vel quartas nuptias damnandas non esse; id constitutum est adversus hæreses quasdam veteres, & novas, quæ unicas tantum nuptias admittebant; secundas & reliquas contra manifesta Apostoli verba fornicationes appellabant. In quo errore versatur auctor *Canonis* 9. *in hac Quæst.* quem Chrysostomum non recte appellat Gratianus: ejus enim auctor est, qui opus imperfectum in Matthæum scripsit: qui liber ab initio Latine scriptus est, & plures alios continet errores, a quibus longe alienus est D. Chrysostomus: quorum plurimos Sixtus Senensis in *Sacra Bibliotheca* retulit, & post eum Bellarminus in *Catalogo sacrorum Scriptorum* in recensione librorum D. Chrysostomi. Gratianus tamen in eo secutus est communem errorem sui temporis, quo solebat illud opus tribui D. Chrysostomo: & male. Nam qui extat hodie Commentarius D. Chrysostomi in Matth. longe diversus est.

Ad Quæstionem II. et III.

Consensum in nuptiis intervenire debere non tantum parentum, sed etiam eorum, qui contrahunt, Jure Civili & Canonico receptum fuisse probavimus. Ille autem consensus non coactus, nec per metum expressus esse debet. Per metum intelligimus, non quemlibet pavorem & formidinem, sed atrociorem impressionem, quæ cadat in virum constantissimum, e. c. si vitæ periculum, omnium bonorum, vel existimationis & famæ immineat; sicut explicatur *tit. ff. quod metus causa*, *& eodem titulo lib.* 1. *Decretal.* Unde in *Can.* 1. 2. *&* 3. *hac Causa Quæst.* 2. si pater coactus & nolens filium aut filiam nolentes & contradicentes in Matrimonium tradant, hujusmodi Matrimonium non consistit: idemque dicendum, si filius vel filia tantum contradicentes & inviti a parentibus in Matrimonium collocentur.

Notandum vero in *Canone* 2. qui inscribitur Palea, & iterum refertur in *cap. primo Extra de Desponsatione impuberum*, patrem filium puberem invitum & contradicentem non posse tradere in Matrimonium, si aliquo modo non consentiat. Nam si quodammodo annuat, volens simul & nolens, nec contradixerit patri, reverentia paterna voluntatem filii inflectente, qui si suæ spontis & arbitrii foret, non elegisset hujusmodi nuptias; Matrimonium tamen valebit: & in hoc casu coacta, ut ita dicam, voluntas, sive potius remissa, & non absolute libera sufficit. Quod ex Jure Civili repetitum est, ut constat ex *Lege* 2. 21. 22. *Dig. de Ritu Nuptiarum*, *& Lege* 12. *Cod. de Nuptiis*. Additur in *d. Can.* 2. si pater

pater impuberem filium in Matrimonium tradiderit, quamvis nondum habeat certum animi judicium, ut possit consentire; tamen postquam hujusmodi filius ad pubertatem & perfectam ætatem venerit, adimplere omnino debet quod pater promisit. Quæ verba solutionem Glossæ ad *dictum caput* 1. *extra de desponsat. impuberum*, inanem & falsam esse ostendunt; cum ait de honestate esse hoc intelligendum, non autem de necessitate. Nam verba Pontificis necessitatem absolutam imponunt. Et dicendum filium puberem rescindere non posse & dissolvere Matrimonium, quod eo impubere pater elegerat. Nam sicut dicitur in *Lege Quamvis* §. *penult. ff. de acquirenda possessione*, judicium impuberis pupilli infirmum suppleri auctoritate & consilio tutoris; ita pariter in hac specie multo magis dicere possumus, infirmum impuberis filii judicium suppleri & confirmari auctoritate & consilio patris, perinde ac si ipse plenissime consensisset.

In *Canone* vero *ultimo* confirmatur quod diximus, non quemlibet metum efficere, ut semel contractæ nuptiæ dissolvantur; sed qui tantum cadat in constantem virum, sicut declarant verba *dicti Can. ultimi* in hoc loco: *Metu hominis unius tantus Rex non debuit*, &c. Desumptus vero fuit ille Canon ex Commonitorio Nicolai I. dato Legatis Rodoaldo & Joanni, quos in Gallias mittebat, ut auctoritate sua interessent Synodo habendæ & celebrandæ super divortio Lotharii II. Ludovici Pii nepotis, qui regnum Lotharingiæ & Burgundiæ Transviranæ obtinebat, & Thetbergæ uxoris ejus legitimæ, quam insano amore Valdradæ pellicis injuste dimiserat: de qua lite plures Canones apud Gratianum referuntur, eamque in rem insignem tractatum edidit Hincmarus Remensis *de Divortio Lotharii & Thetbergæ*.

In Quæstione 3. unicus Canon refertur, quo pœnitentia triennii imponitur & parentibus, & eorum liberis, qui sponsalia fregerint: excusantur vero parentes, si absque eorum consensu liberi soli fidem datam in sponsalibus fregerint; quod desumptum est ex Concilii Eliberitani *Can.* 54.

AD QUÆSTIONEM PRIMAM.

Causæ XXXII.

In hac 1ª. *Quæst.* quæstiones duæ proponuntur, utrum adulteram mulierem retinere liceat, etiam postquam vel deprehensa fuerit in adulterio, vel damnata; nempe si postea eam pœnitere contingat; vel si dimissa fuerit a marito ex causa adulterii, eam maritus postea reducere possit. Secunda quæstio est, utrum cum ea muliere, quæ vulgo corpore quæstum fecerit, nuptiæ consistere possint eo scilicet casu, quo parata est mulier, pœnitentia peracta, mores castiores colere cum marito in posterum. Et quidem observandum ad 1. Quæstionem, licere uxorem adulterii causa dimittere: imo dimitti debere tam Jure Civili, quam Canonico Jure, inquam, Canonico, si obstinata in flagitio permaneat, non poterit retineri etiam a marito volente: sed poterit retineri, si resipiscat. Jure vero Civili deprehensam in adulterio, vel damnatam, nec

nec maritus poteſt reducere, nec alius quilibet in uxorem ducere: alioquin in crimen lenocinii incidebat maritus, & in pœnas Legis Juliæ de adulteriis; ſicut & extraneus quilibet, qui eam duxiſſet. Dixi *deprehenſam*, *vel damnatam*. Nam tantum ſuſpectam ſine crimine retinere poterat *Lege* 29. *ff. ad Legem Juliam de Adulteriis*, *&* *Lege* 2. *&* 9. *Cod. eodem tit.* Dimiſſa vero uxore ex adulterii cauſa liberum erat marito aliam ſuperducere uxorem; quoniam Jure Civili violato geniali toro plane diſſolutum intelligebatur vinculum Matrimonii. Contra vero Jure Canonico ſi propter adulterium dimiſſa fuerit uxor, vel a marito diverterit; nec viro nec uxori aliis nuptiis implicari permittitur. Manet enim vinculum fœderis conjugalis, quod Deus ab homine ſolvi non poſſe pronuntiavit; etſi nunquam reconcilietur: quod pluribus D. Auguſtinus docuit *hac eadem Cauſa* XXXII. *Quæſt.* 7. Nec obſtat qui vulgo objici ſolet D. Ambroſii locus in *Can.* 17. *eadem Cauſa & Quæſt.* in quo differentia conſtituitur inter virum & mulierem; ut nempe uxor, quæ a viro diſceſſerit, aut maneat innupta, aut reconcilietur viro. Ait vero, *ideo non idem de viro ſubdidiſſe D. Apoſtolum*, *quia viro licet ducere aliam*. Qui Canon quamvis tribuatur D. Ambroſio; ad illud tamen Canonem recte Romani Correctores obſervant, aliam omnino ſententiam elici ex aliis ſcriptis D. Ambroſii; quæ erudite adnotaverunt ad *dictum Canonem* 17. Quibus addimus, Commentarios illos in epiſtolas D. Pauli, qui tribuuntur D. Ambroſio, non eſſe D. Ambroſii, ſed alterius; nempe Hilarii Diaconi, qui Luciferianus fuit, ut conſtat ex *Dialogo* Hieronymi *adverſus Luciferianos* ſub finem. Nam in illis Commentariis non illo tantum loco, ſed & aliis pleriſque, non rectæ fidei plurimæ reperiuntur opiniones: nec ſtilus plane convenit cum Ambroſiano. Quæ tandem controverſiæ poſtremo Concilio Trid. deciſæ fuerunt, & prævaluit major pars Latinorum Patrum & celebriorum ex Græcis, qui negabant poſſe ſuperduci aliam uxorem, niſi prior, quæ dimiſſa fuerat, morte prius ſublata foret.

Obſervandum etiam in hac 2. *Qu.* recedere Jus Canonicum a Jure Civili in eo; quod Jure Civili non liceret indiſtincte vel meretricem, vel ſcenicam mulierem, aut infamem in uxorem ducere, vel abjectæ aut humilis conditionis: quas nuptias impares vocabant, & Lege Julia prohibebantur inter Senatores, Equites & illuſtriores perſonas *Lege* 23. 41. 42. 43. 44. *&* 49. *ff. de Ritu nupt. & Lege* 7. *Cod. de Inceſtis & inutilibus nuptiis.* Jure tamen Canonico non tantum hujuſmodi Nuptiæ comprobantur, ſed etiam laudantur: imo & ad peccatorum remiſſionem proficere dicuntur; ut nempe retrahatur a peccato mulier, quæ vulgo corpore quæſtum facit. Quod & confirmatur Clementis III. auctoritate in *cap.* 20. *extra de Sponſalibus & Matrim.* quod *cap.* totidem verbis repetitur ab Innocentio III. *lib.* 1. *Regiſt.* pag. 70. *edit.* 1.

Ad Quæstionem II. et III.

IN 2. *Quæſt.* quæritur, utrum ea uxor ſit, quam ſola incontinentiæ cauſa aliquis duxerit in uxorem. In qua recte Gratianus ad *Canonem* 2. juxta Conciliorum & Patrum auctoritates, quas poſtea ſubjicit, re-

spondet hac distinctione adhibita inter primam scilicet, & secundam institutionem Matrimonii. Prima institutio conjugii in Paradiso ante peccatum ea fuit, ut esset torus immaculatus, & honorabiles nuptiæ; ex quibus sine ardore concupiscentiæ matres conciperent, & sine dolore parerent. Secunda institutio post peccatum, & extra Paradisum facta fuit in remedium incontinentiæ, quam B. Apostolus 1. *ad Corinth. cap.* 7. significat: propter fornicationem, inquit, unusquisque uxorem, & unaquæque virum suum habeat.

Notandum in ipsa immoderatiore exactione debiti carnalis, quam non secundum imperium præcipit, sed secundum veniam concedit Apostolus, tolerari, ut etiam præter procreandi causam possint sibi misceri: & quamvis eos pravi mores ad talem concubitum impellant; nuptiæ tamen a peccato defendunt. Nec enim illud propter nuptias admittitur, sed propter nuptias ignoscitur: & ad illicitos concubitus vitandos mutuam conjuges sibi debent quodammodo servitutem, ut loquitur D. Augustinus in *Can.* 3. *Quæstione* 2. dummodo tamen ab initio eo animo & voto Matrimonium contractum fuerit, ut perpetua & individua societas vitæ retineatur; non autem si ad tempus & concubitus solius & incontinentiæ causa juncti fuerint sicut in *Can.* 6. hac nostra *Qu.* 2. plenius explicatur.

In fine vero Quæstionis, nempe a *Can.* 13. usque ad finem, secundum Jus Civile, de quo sæpius diximus, definitur parentum consensum desiderari in nuptiis, & absque illo consensu nuptias non esse legitimas: quod dictis Canonibus probatur. In quo articulo Jus Canonicum vetus cum Civili conveniebat: quamvis recentioribus postea displicuerit; tandemque Concilio Trid. mutatum sit. Jus vero vetus in *Quæst.* 3. *Can. unico* confirmatur, in quo quæritur, utrum filia, quæ sit in potestate avi ingenui, & cujus pater sit servus, debeat adhibere consensum patris, vel avi: & respondet Pontifex Pelagius, non patris, sed avi consensum spectandum. Cum enim pater sit servus; nec videtur quidem habere liberum voluntatis propriæ arbitrium: & Jure Civili præterea, quo utebatur tunc temporis Ecclesia, servitute liberantur liberi a potestate parentum, perinde ac si mortui forent. Servitutem enim mortalitati comparabant.

AD QUÆSTIONEM IV.

QUæstio 4. est, utrum vivente uxore, liceat alicui filios ex ancilla quærere. Dubitandi ratio oriebatur propter Abrahæ, Jacob & aliorum Patriarcharum exempla, qui propter uxorum suarum sterilitatem, prolis procreandæ causa ad ancillas accesserant, ex quibus prolem acceptam Deo susceperunt. Verum hæc omnia ante Legem Mosis & Diluvium, tum propter generis humani raritatem, tum etiam propter mysticam & occultam quamdam rationem Patres defendunt: & pro varietate temporum dispensatio illa divina habuit locum, ut constat ex Canonibus in *hac Quæst.* relatis: & ut D. Hieronymus loquitur in *Can.* 6. *Servierunt Patriarchæ Legi & tempori suo; serviamus & nos Evangelio & tempori nostro:* quo qui post fidem Christi fornicatur, templum Dei violat. Qui-

Quinimo damnantur voluptates extraordinariæ & immunditiæ in propriis uxoribus, & quales in meretricibus capi solent. Et ut D. Hieronymus loquitur *Can.* 12. *&* 14. *hac Quæst.* damnantur ipsa nuptiarum opera, *si non cum honestate & verecunde, quasi sub oculis Dei, fiant, & ut tantum liberis serviatur*. Hujusmodi tamen nimius ardor & intemperantia in uxore propria, licet reprehendatur a Patribus, non punitur, tanquam si mortalis foret culpa; sed venialis est propter reliqua bona Matrimonii: ut sententia Patrum & Gratianus & Interpretes ad *Canonem* 5. *&* 14. *hac nostra Quæst.* notaverunt.

Ad Quæstionem V. VI. VII. et VIII.

IN Quæst. quinta multis SS. Patrum auctoritatibus definitur, si virgini vel nuptæ stuprum aut adulterium per vim inferatur, nec pudicitiam amittere virginem, nec adulterii ream esse uxorem. *Proposito enim animi permanente, per quod etiam corpus meruit sanctificari; nec ipsi corpori aufert sanctitatem violentia libidinis aliena, quam servat perseverantia continentiæ suæ*, ut ait D. August. *Can.* 4. *Quæst.* 5. & probatur pluribus Canonibus usque ad *Can.* 14.

A *Canone* 15. incipit agere de crimine adulterii, de quo aliquid initio hujus causæ diximus. Et quidem ad *Can.* 14. Gratianus ex D. Augustino adnotat, *Adulterium committi, cum vel propriæ libidinis instinctu, vel alienæ consensu, cum altero vel altera contra pactum conjugale concumbitur, atque ita frangitur fides*. Quod quidem adulterium nullo prætextu a viro, vel a muliere potest excusari, sive alter ex conjugibus languoribus & morbis confectus sit, sive absit: & quidquid excepta fornicatione horribile cogitari potest, alterutri contigerit, pro fide & societate sustineri debet. Nec est diversa causa vel conditio mariti aut uxoris. Christiana enim religio adulterium in utroque sexu pari ratione condemnat *Can.* 15. *&* 16. *& seqq. tota Quæst.* 5. Quibus etiam probatur non tantum uxorem ex causa adulterii a marito accusari & dimitti posse; sed etiam maritum ab uxore: quod & confirmatur *Quæst.* 6. in qua dicitur, quamvis maritus vel uxor se invicem ex causa adulterii dimittere debeant; si tamen qui ex conjugibus accusat, ejusdem criminis adulterii reus sit, eum non videri admittendum, nec ut accuset jugalem, nec ut abjiciat. Qua in re Leges & Constitutiones Romanæ differebant a Divinis Legibus & Canonibus. Nam Jure Civili mulier maritum adulterii reum postulare non potest: multoque minus ex illa causa recedere a viro. Adversus quas leges frequentissimæ sunt Græcorum & Latinorum Patrum querelæ, præcipue D. Basilii, D. Chrysostomi, D. Augustini, cujus plurima referuntur tam in *Quæst.* 6. quam in 7. Et ex eo notandum *cap.* 8. 9. 15. *& ultimum lib.* 2. *de Adulterinis conjugiis ad Pollentium*, in quibus nobis conservavit pulcherrimum rescriptum Antonini, cujus verba retulit Ulpianus in *Lege* 13. §. 5. *ff. ad Legem Juliam de adulter. Judex adulterii ante oculos habere debet, & inquirere an maritus pudice vivens mulieri quoque bonos mores colendi auctor fuerit. Periniquum enim videtur, ut pudicitiam vir ab uxore exigat, quam ipse non exhibeat. Quæ res potest & virum damnare, non rem ob compensationem mutui criminis inter utros-*

S 2 *que*

que communicare. Ideſt in eo caſu non ideo pœnam adulterii evitabit uxor, quia vir adulter eſt: ſed uterque puniendus eſt. Imo mariti gravius, quanto magis ad eos pertinet & virtute vincere, & exemplo regere fœminas. *Can. penult. Quæſt. 6.* & ut eleganter ait D. Auguſtinus in *Can. ultimo Quæſt. 6.* maritum alloquens: *Vis domum tuam capite deorſum pendere? Caput enim mulieris eſt vir. Ubi autem melius vivit mulier, quam vir; capite deorſum pendet domus.* Quæ metaphora elegans deſumpta eſt a Scenicis & Thymelicis, qui capite deorſum poſito, & pedibus ſurſum erectis, incedere ſolent. Ad quam loquendi formam doctiſſimus Ivo Carnotenſis alluſit in *Epiſt.* 247. 2. *editionis* in fine.

In *Quæſtione* vero 7. proponitur vexata quæſtio inter Theologos, utrum ex cauſa adulterii damnata & dimiſſa uxore a marito, ea vivente, alteram ducere liceat; vel contra utrum viro dimiſſo ab uxore ex eadem cauſa, quod Canones permittunt, ſuperſtite viro alteri nubere poſſit. In qua quæſtione conveniunt D. Hieronymus & D. Auguſtinus & Canones Conciliorum Eliberitani, & Africanorum, aliorumque, qui in iſta *Quæſt.* 7. referuntur: quorum ſententia nititur verbis Apoſtoli in 1. *ad Corinth. cap.* 7. *Si diſceſſerit uxor a marito*, &c. Ad quem locum venerabilis Beda ex D. Auguſtino *lib.* 1. *de ſermone Domini in monte cap.* 26. ita ſcribit: *Quare non addit, excepta fornicationis cauſa, quod Dominus permittit? Niſi quia ſimilem formam vult intelligi, ut ſi dimiſerit (quod cauſa fornicationis permittitur) maneat ſine uxore; aut reconcilietur uxori*, *Can.* 3. *Quæſt.* 7. Eamdemque fuiſſe ſententiam D. Baſilii & D. Chryſoſtomi, & maxime partis Græcorum Patrum nuper probare conatus eſt doctiſſimus Arcudius in *Concordia Eccleſiæ Orientalis & Occidentalis libro de ſacramento Matrimonii*.

Quod vero ſolet objici ex *Can.* 17. *hujus Qu.* 7. qui vulgo tribuitur D. Ambroſio, *ideo Apoſtolum non ſubdere de viro, quod præmiſit de uxore: quia licet viro ducere aliam.* Rectiſſime ad illum Canonem Romani Correctores adnotaverunt contrariam ſententiam D. Ambroſium aſſeruiſſe ſupra in *Can. Nemo* XXXII. *Cauſa Qu.* 4. *& in Canone An quod* XXXIII. *Qu.* 2. Et profecto verum videtur, quod adnotaverunt doctiſſimi viri Siſtus Senenſis, Bellarminus aliique Commentarios hujuſmodi in epiſtolas D. Pauli, vel D. Ambroſii omnino non eſſe, ſed Hilarii cujuſdam Romani Diaconi & Luciferiani, qui antiquior paulo fuit D. Ambroſio; vel non eſſe puros Ambroſii, ſed interpolatos. Quas etiam Gratianus & Interpretes ad *dictum Can.* 17. commiſcuntur ſolutiones, plane ſunt alienæ a verbis & mente Auctoris. Adeo enim certum eſt eum, qui dimiſerit uxorem, non poſſe aliam ſuperducere, dimiſſa vivente; ut qui dimiſerit uxorem eo animo, ut ducat infidelem, eamque Chriſtianam faciat, adulterii reus ſit, nec valeat Matrimonium *Can. unico Quæſt.* 8. *& cap.* 8. *extra de divortiis*. Quod jus poſtremo Concilium Trid. confirmavit *ſeſſione* 24. *Can.* 5. 7. *&* 8. *de ſacramento Matrimonii*.

Excepta vero cauſa adulterii, ex reliquis omnibus cauſis nunquam poteſt ſolvi Matrimonium Jure Divino; ex quibus tamen Jure Civili diſſolvebatur ſecundum leges & conſtitutiones, quæ referuntur ſub titulis de Repudiis & divortiis Digeſtis & Codice.

AD

Ad Quæstionem I. et II.

Causa XXXIII.

QUæ occurrit in *hac Causa* 1. quæstio pervulgata est & celebris, an propter impotentiam coeundi & impossibilitatem reddendi debiti, vel vir a muliere, vel mulier a viro possit separari: & per consequens utrum ille, qui ex conjugibus illo impedimento non laborat, aliud Matrimonium contrahere valeat. Subjicitur in fine, utrum ex maleficii causa, sive sortilegii idem sit dicendum: eodemque modo titulus Decretalium concipitur *de Frigidis & maleficiatis*.

Progressus juris in hoc articulo maxime observandus. Jure Civili Romanorum Castratus, idest qui sectus est, Matrimonium nec contrahere, nec adoptare, nec posthumum hæredem scribere potest: Spado vero hæc omnia potest, cui tantum frigiditas obstat, *Lege* 2. *sub finem ff. de adoptionibus*, §. *sed & illud Institutionibus eodem*, *& ad eum locum* Theophilus, *Lege* 39. *ff. de jure dotium & l.* 6. *ff. de liberis & posthumis*. Legibus tamen Juliis, quæ ad Matrimonium & prolem procreandam cives Romanos pœnis etiam propositis incitabant, de Spadonibus aliquid cautum fuisse conjunctim conjecturam facit *Lex* 128. *ff. de Verborum significatione*. Quin etiam reperio In *Lege* 60. §. 1. *& Lege sequenti ff. de Donationibus inter virum ut uxorem*, sæpe venire, ut propter sacerdotium, sterilitatem, senectutem, valetudinem, aut militiam divortium sequeretur: quia satis commode Matrimonium retineri non poterat. Sed, ut ait *Lex* 62. *eodem tit.* illis casibus bona gratia Matrimonium dissolvebatur, idest inter volentes & communi consensu.

Tandem Justinianus in *Lege penult. Cod. de Repudiis* constituit, ut si maritus ab initio Matrimonii usque ad duos annos continuos, propter naturalem imbecillitatem non valeat se virum præstare, liberum sit mulieri, vel parentibus ejus, absque dotis amittendæ periculo, hujusmodi marito repudium mittere. Et postea in *Novella* 22. ex qua sumpta est *Authentica hodie Cod. de repudiis*, triennium expectari voluit. Quod & Jus Canonicum admisit. Quæ causa repudii necessaria, & justa in speciem, primum fuit inducta a Justiniano.

Jure vero veteri Canonico semel contractum cum frigido vel Spadone Matrimonium dissolvi non poterat, *Can.* 18. *&* 27. *Causa* XXXII. *Qu.* 7. in quo ait D. Augustinus: *Manet vinculum nuptiarum, etsi proles cujus causa initum est, manifesta sterilitate non subsequatur: ita ut jam scientibus conjugibus non se filios habituros, separare tamen se vel ipsa causa filiorum, atque aliis copulare non liceat*, sicut pluribus idem D. Augustinus disputat *lib. unico de Bono conjugali cap.* 7. *&* 15. *& lib.* 2. *de Adulterinis conjugiis cap.* 19. initio. Quod & propius ad Legem divinam accedit, quæ solam fornicationis causam excipit, propter quam divertere quidem licet, sed prohibentur secundæ nuptiæ, prima uxore superstite, sicut diximus. Romana etiam Ecclesia probavit magis ex causa sterilitatis, frigiditatis, vel maleficii non debere solvi Matrimonium; sed potius sic permanere debere conjuges & continentiam colere, ut eam, quam non pos-

possunt habere tanquam uxorem, habeant quasi sororem, *Can.* 18. XXXII. *Quæst.* 7. juncto *Can.* 2. *hac Causa* XXXIII. *Qu. nostra* 1. Et ad jus vetus illud Romanæ Ecclesiæ consuetudinem pertinebat sententia illius Cardinalis in *Scholiis veteribus* 1. *collectionis*, qui sentiebat, ne quidem naturalem frigiditatem Matrimonium impedire, & multo minus dissolvere. Quod & posteriores Pontifices Alexander III. Clemens III. & Lucius III. confirmaverunt in *cap.* 2. 3. *&* 4. *tit. de Frigidis & maleficiatis in* 1. *collectione*, *& in cap.* 2. *eodem titulo in* 2. *collectione*. Et quidem in *dicto cap.* 3. *&* 4. de impedimento maleficii fit mentio: quod etiam Romana Ecclesia improbabat. In reliquis vero Ecclesiis, ut constat ex *dicto cap.* 3. jus illud controversum erat: patienter tamen Ecclesia tolerabat hujusmodi Ecclesiarum consuetudinem, in quibus admittebantur ex illis duabus causis divortia, & præterea aliæ nuptiæ permittebantur. Quod jus tandem universa recepit Ecclesia: sed per dispensationem & bono pacis; ideoque quæ in contrarium in *supradictis Decretalibus* reperiuntur, Gregorius IX. omisit.

In *hac* vero *Quæst.* distinguendum, utrum impedimentum sit perpetuum, vel temporale. Temporale non obstat, sed perpetuum. Itemque distinguendum in casu impotentiæ & maleficii: nam si infirmitas vel maleficium post contractum Matrimonium superveniat, non poterit amplius solvi, *Can.* 25. *&* 26. XXXII. *Quæst.* 7. Si vero præcesserit, iterum distinguendum. Vel contrahentes resciverunt hujusmodi impedimentum vel ignoraverunt. Si sciverint, non possunt amplius alter ab altero separari, ut Interpretes notant ad *cap.* 2. *Extra de frigidis*. Si vero ignoraverint, post aliquod tempus, hodie post triennium, quidem continuum, si modo de frigiditate antea manifeste non constiterit, Matrimonium dissolvi poterit, *cap.* 5. *& ult. eodem titulo*: quamvis tamen in parvo temporis spatio impedimentum illud facile dignosci non queat, ut ait *Novella* 22.

In hujusmodi vero lite instituenda præscribitur ea forma, ut si ambo conjuges consentiant se esse impotentes, non statim temere eis credatur, sed postquam juramento se se purgaverint, adhibitis septem conjuratoribus ex propinquis vel vicinis; qui nempe jurent de credulitate sua, idest credere se id, quod juraverunt conjuges, verum esse, *Can.* 1. *&* 2. *hac nostra Quæst.* 1. *cap.* 1. *de Frigidis & maleficiatis*. Quo casu perpetuo uterque continere debet. Quod si vir mulierem uxorem accuset, quæ inficiatur & negat, oneratur probatione. Si vero uxor accuset maritum; distinguendum est. Vel paulo post contractum Matrimonium accusat, e. c. post mensem aut duos, ut *cap.* 1. loquitur, *d. tit. de Frigidis*: & tunc si probari potest per rectum judicium, separari poterit. Vel post longum tempus, e. c. post annum vel dimidium: quo casu si maritus contrarium asseruerit, potius statur marito *Can.* 3. *hac Quæst. & cap.* 6. *extra de Desponsat. impuberum*, *& dicto cap.* 1. in quo hæc redditur ratio: *quia si proclamare voluit, cur tamdiu tacuit*.

Observandum tamen illud valde singulare, quocumque casu contigerit, etiam post judicium & sententiam Ecclesiæ, dissolvi Matrimonium ex causa frigiditatis & impotentiæ; si post subsecutum novum Matrimonium, non fuisse perpetuum illud impedimentum constet, sed subla-

sublatum fuisse hoc vel alio quolibet modo: tunc errore comperto, & remoto impedimento, primum Matrimonim redintegrabitur, secundo dissoluto; quod tamen secundum si bona fide contractum fuerit, pro fornicatione vel adulterio non habebitur *cap.* 1. 5. *& penult. Extra de frigidis & maleficiatis*, *& cap. lator Extra de sententia & re judicata*. Quod si alteruter tantum ex conjugibus laboret illo impedimento, soluto Matrimonio ex ea causa, manere debet perpetuo sine spe conjugii: alter vero qui non laborat, ad aliud Matrimonium transire potest, *Can.* 1. *&* 2. *hac Causa & Quæst. & cap.* 1. *&* 3. *dicto tit. de frigidis*.

In *Canone* vero *ult. hujus Quæstionis* agitur de maleficio & sortilegio, quo per sorciarias & maleficas Matrimonii consummatio impediri dicitur: quod quidem maleficium notatur in *dicto Can. ult.* qui desumptus est ex *epistola* Hincmari Remensis ab eo scripta jussu Synodi 2. Tullensis sub Carolo Calvo: in qua epistola sub finem comparat impedimentum Impotentiæ atque frigiditatis cum impedimento ex maleficii causa. Inter quæ duo notatur hæc differentia, ut qui maleficio defixi & obligati fuerint, etsi possibilitas eis reddita fuerit; non possint tamen reconciliari cum conjugibus prioribus, quas reliquerint. Aliud si ex conjugibus ille, cui frigiditas obstiterit, sanatus fuerit: tunc enim redire ad primam uxorem compellitur.

Differentiæ rationem reddunt interpretes & Theologi, quoniam ad certam fœminam, primam videlicet uxorem illud maleficium præstare solet impedimentum; quamvis & hoc rarissimum prudentiores ex illis esse dicant: non autem ad aliam quamlibet fœminam. Aliud vero esse dicunt in impotentia & frigiditate, quæ si semel sanata fuerit, generaliter ille qui sanatus est, ad omnes fœminas potens intelligitur. Præterea agnoscunt hæc omnia intelligenda de impedimento perpetuo maleficii cum tali fœmina, cui scilicet humano opere remedium non potest adhiberi. Si enim post separationem auctoritate Ecclesiæ factam, potentia redierit, antequam secundas videlicet nuptias contraxerint, se mutuo v. g. cognoscendo carnaliter, debebit inter eos Matrimonium redintegrari, quia constitit hujusmodi impedimentum temporale fuisse, non perpetuum.

In *Quæst.* 2. *parte* 1. usque ad *Can.* 5. probatur, quod & verissimum est, non licere temere absque judicio & sententia Ecclesiæ ex qualibet & qualicumque causa viro dimittere uxorem, vel uxori virum relinquere, alioquin per censuras Ecclesiasticas & auctoritate publica Magistratuum redire compelluntur; & ante omnia turbata quasi Matrimonii possessio redintegranda est. Quod si justus metus sævitiæ allegetur, & præsens periculum immineat; locus securus providendus est, in quo nulla vis reformidetur; & ubi tuto pars, quæ metuit, interim possit consistere, dum disceptatur de causa principali Matrimonii. Itemque locus prospiciendus, in quo difficile non sit testes vel cæteras personas producere super causa dissidii: quod *hac tota Quæst. probatur*, & passim confirmatur in *tit. de Restitutione spoliatorum*, maxime in *cap.* 8. 13. *&* 14. *& in cap.* 3. 4. *&* 6. *de divortiis*: quibus addendæ *Epistolæ* Nicolai I. scriptæ super causa Ingeltrudis uxoris fugitivæ Bosonis Comitis, quæ extant *tom.* 3. Conciliorum Galliæ pag. 159. & 329. De forma vero ordinandi judicii Ecclesiastici in causa dissidii & repudii, ele-

elegantissima est epistola Hincmari Remensis, quæ extat eodem *tom.* 3. Concil. pag. 174. 175. & seqq.

A *Canone* vero 5. usque ad 12. agitur de pœnitentia imponenda marito, qui vel uxorem adulteram, vel adulterii suspectam interfecerit: qui inter alias pœnas sine spe conjugii perpetuo manere jubetur, nisi propter juvenilis ætatis incontinentiam benigne cum eo dispensetur, ut aliud Matrimonium contrahere valeat.

Postremo a *Can.* 12. usque ad finem temperatur veteris Juris severitas, quo semel ad pœnitentiam publicam admissi, etiam post peractam pœnitentiam, prohibebantur vel militiæ cingulum, vel nova Matrimonia appetere. Ex æquitate vero posteriorum Canonum si post publicam pœnitentiam peractam, vel vir, vel fœmina non valuerint sustinere continentiam, licet eis legitimum Matrimonium contrahere.

Occasione vero rapta, quamvis alieno loco, incipit agere Gratianus in *Quæst.* 3. de materia Pœnitentiæ; quam materiam in septem sequentes Distinctiones dividit, quam omittemus, quoniam non est hujus loci.

AD QUÆSTIONEM IV. ET V.

IN *hac Quæst.* omnia clara sunt tam ex Scripturis, quam ex locis Patrum, & postremo ex Concilio Trid. nempe in ea proponitur, quod non deceat orationis tempore conjugali operi vacare; itemque de Matrimonio prohibito certis anni temporibus, ut in Quadragesima; quæ omnibus nota sunt.

In *Quæst.* vero 5. proponitur, quod supra explicavimus, virum sine consensu uxoris, nec uxorem absque consensu mariti continentiam vovere posse: & multo minus alias nuptias ille, qui non vovit, potest contrahere; sed simul uterque vovere debet.

AD QUÆSTIONEM I. ET II.

Causæ XXXIV.

QUæ proponuntur in *hac Causa quæstiones duæ*, lucem capiunt ex iis, quæ supra tractavimus in explicatione *Quæst.* 5. *&* 6. XXXII. *Causæ*, in qua de divortio ex adulterii causa plenius diximus, & ostendimus prævaluisse veriorem sententiam Patrum, prohiberi post hujusmodi divortium aliud Matrimonium utrique conjugum; nec distingui uter ex illis adulterio se maculaverit, & causam divortio dederit: Quod si contra fecerint, in adulterii crimen incidere. Durat enim adhuc vinculum prioris Matrimonii, quamdiu vivet alter ex conjugibus, & nullum erit secundum Matrimonium. Diximus, quamdiu superstes erit alter ex conjugibus: quod non tantum in hoc casu, sed generaliter in omnibus verum est, v. g. si per plures annos alter ex conjugibus vel absit, vel ab hostibus captus fuerit. Quinimo redeunte altero, si alter forte de facto secundum Matrimonium contraxerit (nam de jure non potest,) sicut diximus; ad priorem reverti debet conjugem. Omnimodo, idest sive scive-

sciverit, sive ignoraverit. Nec enim antea legitime secundum Matrimonium contrahi potest, quam certum nuntium de morte receperint, *cap.* 19. *de Sponsalib. & Matrimoniis*, & *cap.* 2. *extra de secundis nuptiis*. Quod & antea Justinianus constituerat in *Novel.* 117. & Leo Philosophus in *Novel.* 33.

Aliqua tamen differentia constituitur inter scientes & ignorantes; nempe, qui ignorat primum Matrimonium contractum fuisse, ad hoc prodest ei hujusmodi error & ignorantia, ut non committat adulterium, & ut alio postea Matrimonio jungi possit. Qui tamen ex conjugibus ab initio bonam fidem habuit, statim atque cognoverit primum praecessisse Matrimonium, & adhuc durare, superstite nempe adhuc altero ex conjugibus; debet statim a secundo recedere, nec amplius cum eo copulari; alioqnin ex eo momento adulterium committit: *Sicut*, ut eleganter loquitur D. Augustinus *Can.* 5. *in jure prædiorum tamdiu quisque bonæ fidei possessor rectissime dicitur, quamdiu se possidere ignorat alienum; cum vero sciverit, nec ab aliena possessione recesserit; tunc malæ fidei possessor perhibebitur; tunc juste injustus vocabitur*. Liberi vero medio tempore procreati, idest quamdiu alter ex conjugibus bonam fidem habuerit & justam ignorantiam, erunt legitimi; dummodo secundum illud Matrimonium qualecumque in facie Ecclesiæ solemniter fuerit contractum, *cap.* 2. & 14. *Extra qui filii sint legitimi*, & *dicto cap.* 2. *de secundis nuptiis*.

Postremi quatuor Canones de incestus crimine ad Causam sequentem magis pertinent.

AD CAUSAM XXXV.

TRactatur in *hac Causa* de Impedimento Matrimonii ex causa Consanguinitatis, sive cognationis naturalis, itemque de impedimento ex Affinitatis causa: de qua variæ fuerunt gravissimæ apud veteres controversiæ; sive Consanguinitas & Cognatio ex justis nuptiis, sive ex injusta conjunctione oriatur, sicut ex fornicatione.

Et quidem indistincte inter ascendentes & descendentes non tantum Jure Canonico, sed etiam Civili in perpetuum Matrimonium prohibetur. Idemque dicendum si personæ contrahentium habeant inter se aliquam similitudinem ascendentium & descendentium, quales sunt Patruus, Avunculus, Amita & Matertera, si comparentur cum filiis aut filiabus fratrum aut sororum; & ita deinceps Patruus magnus, Avunculus magnus, cum nepotibus & neptibus fratrum & sororum in infinitum.

In reliquis personis a latere venientium, v. g. in consobrinis Jure Civili nuptiæ permissæ sunt, quas ne quidem Lege divina fuisse prohibitas doctiores ex Patribus agnoscunt. Tamen, ut ait D. Augustinus, in consobrinis horrebatur illicitum propter vicinitatem illiciti. Posteaquam vero Episcopi prætextu & occasione Sacramenti omnia fere jura matrimonialia ad se pertraxerunt, prohibitionum gradus auxerunt usque ad septimum inclusive. Concilio vero Later. sub Innoc. III. tres gradus detracti fuerunt, dummodo in numerando formam Juris Canonici spe-

ctemus, ut Cujacius docet & Interpretes ad *cap. penult. Extra de Consanguinit. & Affinit.* quo jure hodie utimur.

Quod vero pertinet ad Affinitatem in *dicto cap.* redacta est ad illam tantum affinitatem, quæ inter Cognatos viri & uxoris, & ipsum virum & uxorem contrahitur, idque intra quartum gradum, non ultra; sublatis fictitiæ affinitatis cujusdam commentis in 2°. & 3°. genere.

Hoc tamen notandum, Jure Canonico Affinitatem ex illegitima conjunctione, v. g. ex fornicatione impedire nuptias, easque dirimere, si præcesserit Matrimonium. Quod ad primum & secundum gradum restrinxit Concilium Trid. *cap. de Reformat. Matrimonii Sessione* XXIV. contra Jus vetus Canonicum, de quo *Can. quædam cum sequentibus Causa* XXXII. *Quæst.* 7. *& toto tit. de eo qui cognovit consanguineam suæ uxoris*. Superveniens autem Affinitas ex injusta commixtione non dissolvit vel Matrimonium prius contractum, vel sponsalia de præsenti, etiam non secuta copula, *cap. discretionem Extra de eo qui cognovit consanguineam*, &c.

Publicæ postremum justitiæ impedimentum superest, quod per sola sponsalia contrahitur. Et olim contrahendum Matrimonium impediebat, & contractum dirimebat, *cap.* 4. *&* 8. *de Sponsalibus & Matrim.* & quidem ex quocumque gradu: hodie vero ad primum gradum restringitur ex Concil. Trid. & additum præterea sponsalia invalida non parere impedimentum honestatis publicæ, contra id quod Bonifacius VIII. constituerat in *cap.* 1. *de Sponsalibus in* VI.

AD CAUSAM XXXVI. ET ULTIMAM.

QUod de raptoribus in *Causa* XXXVI. statuitur, Matrimonium nempe non posse consistere inter raptam & raptorem, & esse nullum, reconciliari tamen posse docuimus sæpius: idque ex Jure Canonico recentiori factum, quod prævaluit. Nam in hoc articulo Jus vetus Canonicum conveniebat cum Jure Civili, quo nunquam hujusmodi nuptiæ confirmari poterant; ne quis auderet hujusmodi crimen attentare.

AD



AD LIBRI I. DECRETALIUM TITULOS TRES:

XXIX. de Officio & poteſtate Delegati,
XXX. de Officio Legati,
Et XXXI. de Officio Judicis Ordinarii,

TRACTATUS

PRÆFATIO GENERALIS ET COMMUNIS TRIBUS TITULIS.



NTEQUAM aggrediamur ſingulorum Titulorum explicationem, & de Delegatorum, vel Legatorum, vel Judicum Ordinariorum tractemus Officiis, per quos, veluti Eccleſiæ Magiſtratus, qui jurisdictioni Eccleſiaſticæ præſunt, effectus Canonum accipitur & executio; neceſſe videtur præmittere generalem Tractatum de univerſa Eccleſiaſtica Juriſdictione, quæ ſic definienda aut deſcribenda videtur. Jurisdictio Eccleſiaſtica eſt poteſtas, ſive auctoritas in omnes fideles ſtatuendi & decernendi de fide, de moribus, de rebus & locis ſacris, cæremoniis, ritibus & reliquis ad ſtatum & diſciplinam Eccleſiaſticam ſpectantibus, beatis Apoſtolis & eorum ſucceſſoribus Epiſcopis jure divino data atque conceſſa.

Ab ultimis verbis, quæ maximi ſunt momenti, principium ducemus. Et quidem Apoſtolis conceſſam fuiſſe a Chriſto primum illam jurisdictionem pleniſſime confirmatur paſſim in Novo Teſtamento, & inficiatur nemo. Quod vero ad Apoſtolorum ſucceſſores Epiſcopos, multiplex occurrit difficultas. Quidam enim velut Æriani negant ullam differentiam inter Epiſcopos & Presbyteros, & æquali jure & honore utroſque pariter

 ter

ter donandos existimant. Alii vero agnoscunt quidem eam distinctionem, adacti auctoritate & veritate, præcipue Conciliorum generalium & particularium, quæ collecta fuerunt in Ecclesia statim initio secundi sæculi & antea; sed negant hujusmodi distinctionem ab Apostolis incepisse. Ad quorum refutationem præter ea, quæ a viris doctissimis fuerunt conscripta, seligemus quædam loca Patrum Græcorum & Latinorum, quibus manifeste confirmabimus ab Apostolis & eorum successoribus fuisse confirmatam seriem successionis, veritatem doctrinæ, auctoritatem & potestatem Episcoporum in universa Ecclesia.

Incipiemus ab *Epistola* Clementis his verbis: *Apostoli nostri præsciverunt per Jesum Christum Dominum nostrum, quoniam erit contentio super nomine Episcopatus. Propter illam igitur causam habentes perfectam præcognitionem, constituerunt Episcopos, & hanc Ordinationem in futurum ordinandam & continuandam dederunt; ita ut postquam mortui fuerint primi, succedant alii probati viri, eorum officium suscepturi.* Clementem excipiet Sanctus Ignatius, uterque a B. Petro ordinatus Episcopus, Clemens Romæ, Ignatius Antiochiæ. Unde de Sancto Ignatio S. Chrysostomus in *Encomio* Ignatii non tantum ait se mirari, quod tantam dignitatem meruerit Ignatius, sed quod a sanctis illis Apostolis ei commissus fuerit Episcopatus, & quod beatorum Apostolorum manus sacrum illud caput tetigerint. Quod Theodoretus in *Dialogo* 1. apertius de Ignatio loquens prosequitur: *Qui per dextram magni Petri Pontificatus gratiam suscepit, & Ecclesiam Antiochenam regens martyrii corona redimitus est.* Ignatius itaque successor Petri in Antiochena Sede in *Epist. ad Ephesios* sic loquitur. *Ut quando caritas non sinit me tacere, propterea anteverti vos admonere, ut in Domini sententiam concurratis. Etenim Jesus Christus, qui est inseparabilis nostra vita, est sententia patris; sicut Episcopi, qui per orbem terrarum sunt constituti, sunt in voluntate & sententia Jesu Christi: quare oportet vos concurrere in Episcopi sententiam. Nam memorabile & venerandum Presbyterium vestrum Deo dignum, ita coaptatum est suo Episcopo, sicut chordæ citharæ.* Et in *Epist. ad Philadelphienses. Operam dedi*, inquit, *ut una Eucharistia utamini: ea est enim una caro Domini nostri Jesu Christi, & unus calix in unionem sanguinis ipsius: unum altare, sicut unus Episcopus cum Presbyteris & Diaconis.* Et *ad Smyrnæos. Omnes Episcopum sequamini, ut Jesus Christus Patrem; & Presbyterium, ut Apostolos: Diaconos autem revereamini, ut Dei mandatum ministrantes. Sine Episcopo nemo quidquam faciat eorum, quæ Ecclesiam spectant. Rata Eucharistia habeatur illa, quæ sub Episcopo fuerit, vel cui ipse concesserit. Ubi comparuerit Episcopus, ibi & multitudo sit; quemadmodum ubi Christus Jesus, ibi Catholica est Ecclesia. Non licet sine Episcopo baptizare, neque agapen celebrare: sed quodcumque ille probaverit, hoc & Deo beneplacitum est, ut tutum & ratum sit quodcunque agitur.* Justinus etiam Martyr in *Apologia secunda ad Antoninum Pium* scripta anno Christi 150. meminit etiam *Præsidentium in Ecclesia*, quos Tertullianus eum imitatus, *Præsides & Præsidentes* sæpe vocat, & alibi *Episcopos*, maxime in *Apologetico*. Justinum excipiet Irenæus *lib. 3. adversus hæreses cap. 3. Habemus annumerare eos, qui ab Apostolis instituti sunt Episcopi in Ecclesiis & successores eorum usque ad nos.* Et postea: *Sed quo-*

quoniam valde longum est & in hoc tali volumine omnium Ecclesiarum enumerare successiones, maximæ & antiquissimæ & omnibus cognitæ a duobus Apostolis gloriosissimis Petro & Paulo Romæ fundatæ & constitutæ Ecclesiæ eam, quam habet ab Apostolis traditionem, & annuntiatam hominibus fidem per successiones Episcoporum pervenientem usque ad nos indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquo modo vel per sui placentiam malam vel vanam gloriam, vel per cæcitatem vel malam sententiam præterquam oportet colligunt. Ad hanc enim Ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est omnes qui sunt ubique fideles, in qua semper ab his qui sunt undique, conservata est ea, quæ est ab Apostolis traditio. Quibus ex locis apertissime constat ab ipsis Apostolis constitutos fuisse Episcopos, & a Presbyteris distinctos, & in universam Ecclesiam Romanam obtinuisse principatum. Unde eleganter S. Athanasius in *Epistola ad Drachontium*. *Si Ecclesiarum constitutio tibi non placet, nec existimas Episcopi officium mercedem habere; sed eo devenisti, ut contemnas Salvatorem, qui illa constituit, rogo te noli talia meditari, neque tolera illos qui tibi ista suggerunt: nec enim digna sunt Drachontio. Quæ enim Christus per Apostolos ordinavit, illa præclara & firma permanent.* Cum tamen circa tempora Athanasii Ærius quidam in Ponto exortus fuisset, qui Presbyteros in omnibus Episcopis exæquaret, ea hæresis ab Ecclesia damnata fuit: adversus quam scribit Epiphanius *hæresi* 75. circa annum 350.

Eadem etiam per omnia fuit sententia Latinorum, quam nemo elegantius & firmius Tertulliano confirmavit, præcipue *Lib. de Præscriptionibus adversus hæreticos cap.* 20. *&* 32. quibus in locis Irenæi locum & formam tractandi imitatur: sic enim compellat hæreticos. *Edant ergo origines Ecclesiarum suarum: evolvant ordinem Episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverit, habuerit auctorem & antecessorem. Hoc enim modo Ecclesiæ Apostolicæ census suos deferunt; sicut Smyrnæorum Ecclesia Polycarpum a Joanne collocatum refert: sicut Romanorum, Clementem a Petro ordinatum itidem. Perinde utique & cæteræ exhibent quos ab Apostolis in Episcopatum constitutos Apostolici seminis traduces habeant.* Cyprianus *lib. de Unitate Ecclesiæ Catholicæ*, in *editione ultima*. *Super unum ædificat Ecclesiam: & quamvis Apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuat, & dicat, Sicut misit me Pater & ego mitto vos, accipite Spiritum sanctum, si cujus remiseritis peccata, remittentur illi; si cujus tenueritis, tenebuntur: tamen ut unitatem manifestaret, unitatis ejusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit. Hoc erant utique & cæteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio prediti & honoris & potestatis; sed exordium ab unitate proficiscitur, ut Ecclesia Christi una monstretur.* Quod a Magistro Tertulliano in *cap.* 20. *de Præscriptionibus adversus hæreticos* desumpsisse videtur, cujus hæc sunt verba notanda. *Omne genus ad originem suam censeatur necesse est: itaque tot ac tantæ Ecclesiæ una est illa ab Apostolis prima, ex qua omnes. Sic omnes primæ & Apostolicæ, dum una omnes probant unitatem: dum est illis communicatio pacis & appellatio fraternitatis, & contesseratio hospitalitatis. Quæ jura non alia ratio rei, quam ejusdem*

dem Sacramenti una traditio, idest ejusdem Spei & Symboli, ut ex *sequenti capite* colligitur. Eundem locum urget Optatus Milevit. *lib.* 2. & Augustinus sæpius adversus Donatistas, maxime in *Epistola*.

Nec obstat adversus ea quæ diximus, ab initio ab ipsis Apostolis eorumque successoribus immediatis distinctos fuisse Episcopos a Presbyteris, & Presbyteros a Diaconis, quod vulgo ex Augustini *Epist. ad Hieronymum* objicitur, qua ait amplius nihil habere se Augustinum Episcopum quam Hieronymum Presbyterum, nisi quod auctoritas Ecclesiæ ei concesserit. Illa enim auctoritas Ecclesiæ, ut docuimus, cœpit ab ipsis Apostolis. Nec etiam quod ex Hieronymi *Epistola* 85. *ad Evagrium*, cujus magna pars refertur in *Can.* 24. *Dist.* XCIII. Si enim diligenter expendamus argumentum epistolæ & sententiam S. Hieronymi, eam potissimum scriptam fuisse reperiemus ad excutiendam superbiam Diaconorum, qui status sui immemores ultra Presbyteros intumescebant & se efferebant: quibus ut ostenderet magnam esse differentiam inter Diaconos & Presbyteros, ait in paucis ab Episcopis distare Presbyteros; idque etiam probat ex promotione Diaconorum ad Presbyteratum, quod ita eleganter exprimit. *Si ex Diacono Presbyter ordinetur, noverit se lucris minorem, Sacerdotio esse majorem;* sicut recte Romani Correctores ad *dictum Can.* 24. *Dist.* XCIII. notaverunt: qua *Distinctione* etiam plures referuntur Canones, quibus comprimitur Diaconorum fastus & tumor, & Presbyteris subjiciuntur. Et hæc est vera sententia S. Hieronymi, ut ex totius *Epistolæ* contextu licet colligere. Tantum enim abest ut in ea comparet Episcopos Presbyteris in omnibus; quin manifeste agnoscit differentiam non tantum quod ad honorem & ut præsideant, sed etiam in officio & munere. Solis enim Episcopis ordinationes & consecrationes Episcoporum & Presbyterorum tribuit: non aliter atque S. Epiphanius in *hæresi* 75. *Arianorum*, cujus elegantibus verbis concludemus differentiam inter Episcopos & Presbyteros. *Episcoporum ordo est ordo progenerans patres: patres enim gignit Ecclesia: ordo vero Presbyterorum non potest generare patres, sed per lavacrum regenerationis filios generat Ecclesiæ, non autem patres aut Doctores*.

Sequitur excutienda pars ultima definitionis, in quibus consistat Ecclesiastica jurisdictio: nempe est potestas statuendi & decernendi de fide, de moribus, de rebus & locis sacris, religiosis & venerabilibus, de ritibus & cæremoniis, & generaliter de omnibus, quæ ad statum & disciplinam Ecclesiasticam pertinent: eaque potestas in omnes fideles, sive Clericos sive Laicos, proportione tamen & quatenus ad singulos pertinet, exercetur; idque ex locis Scripturæ, quibus generaliter constituitur potestas solvendi & ligandi & corripiendi & denuntiandi Ecclesiæ delinquentes. Ecclesiæ autem caput est Episcopus, qui judicat cum Clero & Presbyterio, disceptat, pronuntiat & exequitur sententiam, pœnasque imponit, & ita plenam & perfectam jurisdictionem habet. Hujusmodi judicia in primitiva Ecclesia Episcopo præsidente coram universis fidelibus agitabantur & terminabantur: postea in Synodis & Conciliis agitari cœpta, vel etiam apud Episcopos consilio Cleri adhibito: & postremo etiam apud solos Episcopos, vel apud eos, qui vices Episcoporum repræsentant.

Hujusmodi judiciorum in antiqua Ecclesia formam nobis repræsentat Tertullianus in *Apologetico*, agens de cœtibus sive congregationibus Ecclesiæ,

clesiæ, & quid in illis ageretur, his verbis. *Ibidem etiam exhortationes, castigationes & censura divina: nam & judicatur magno cum pondere, ut apud certos de Dei conspectu, summumque judicii præjudicium est, si quis ita deliquerit ut a communione orationis & conventus & omnium Dei fidelium relegetur. Præsident probati quique seniores, honorem istum non pretio sed testimonio adepti: neque enim pretio ulla res Dei constat.* Et idem *lib. de præscriptione adversus hæreticos* laudans Ecclesiæ disciplinam, quæ nulla inter hæreticos occurrit. *Adeo & de genere conversationis qualitas fidei æstimari potest; doctrinæ judex est disciplina. Negant Deum timendum*, ideft hæretici. *Itaque libera sunt illis omnia & soluta: ubi autem Deus non timetur, nisi ubi non est? Ubi deus non est, nec veritas ulla est. Ubi veritas nulla est, merito & talis disciplina est. At ubi Deus, ibi metus in Deum, qui est initium sapientiæ. Ubi metus in Deum, ibi gravitas, honestas & diligentia attonita, & cura sollicita, & allectio explorata, & communicatio deliberata, & promotio emerita, & subjectio religiosa, & apparitio devota, & processio modesta, & Ecclesia unita, & Dei omnia. Proinde hæc pressioris apud nos testimonia disciplinæ ad probationem veritatis accedunt; a qua divertere licet nemini, qui meminerit futuri judicii*, &c.


Hujusmodi disciplinæ manifesta testimonia suppeditant pœnitentiæ publicæ, pœnæ canonicæ & censuræ Ecclesiasticæ, quæ semper in Ecclesia viguerunt, sicut colligitur ex antiquis Conciliis: & quamvis ex recentioribus laxata fuerit paulatim publicarum pœnitentiarum severitas, non tamen omnino sublata; quam & Concilium Tridentinum ex variis circumstantiis in usum aliquando certis casibus revocari ab Episcopis posse definivit.

De materia autem jurisdictionis Ecclesiasticæ quod ex Scriptura & Canonibus diximus, Legibus Imperatorum Christianorum sæpius confirmatum fuisse colligimus ex variis eorum Constitutionibus. De Constantino illustre exemplum extat *lib. 1. Historiæ Eccles. cap. 2.* Et in *Lege 23. Cod. Theodosiano de Episcopis & Clericis* Valens, Gratianus & Valentinianus jubent, *ut si qua sunt ex quibusdam dissentionibus levibusque delictis ad Religionis observantiam pertinentia, locis suis & a suæ diœceseos Synodis audiantur; exceptis, quæ actio criminalis ab ordinariis extraordinariisque judicibus aut illustribus potestatibus audienda constituit*. De Valentiniano seniore S. Ambrosius *epist. 32. ad Valent. ejus filium*, scripta in causa Auxentii. *Nec quisquam contumacem judicare debet me, cum hoc asseram quod augustæ memoriæ pater tuus, idest Valentinianus senior, non solum sermone respondit, sed etiam legibus suis sanxit; in causa fidei vel Ecclesiastici alicujus ordinis eum judicare debere, qui nec munere impar sit, nec jure dissimilis. Hæc enim verba rescripti sunt: hoc est sacerdotes, voluit de sacerdotibus judicare. Quin etiam si alias quoque argueretur Episcopus, & morum esset examinanda causa, etiam hanc voluit ad Episcopale judicium pertinere.* Et postea. *Et certe si vel Scripturarum seriem divinarum, vel vetera tempora retractemus, quis est qui abnuat in causa fidei, in causa, inquam, fidei Episcopos solere de Imperatoribus Christianis, non Imperatores de Episcopis judicare?* Et *Lege 3. Cod. Theodosiano de Episcopali judicio* idem ipse Valentinianus II. prudentior factus cum Theodosio & Arcadio ita loquitur de Episcopis & Clericis. *Ne ad judi-*

judicia sive ordinariorum sive extraordinariorum judicum pertrahantur. Habent illi judices suos: nec quidquam his publicis commune cum Legibus, quantum ad causas tamen Ecclesiasticas pertinet, quas decet Episcopali auctoritate decidi. Idemque Arcadius & Honorius in *Lege* 1. *Cod. Theod. de Religione. Quoties de Religione agitur, Episcopos convenit agitare: cæteras vero causas, quæ ad ordinarios cognitores, vel ad usum publici juris pertinent, Legibus oportet audiri.* Et postremo *Novella* Valentiniani junioris in *eod. Cod. Theod.* in eam rem expressa est. *Quoniam constat Episcopos & Presbyteros forum Legibus non habere, nec de aliis causis secundum Arcadii & Honorii divalia constituta, quæ Theodosianum Corpus ostendit* (intelligit vero Leges, quas supra retulimus ex *Cod. Theod.*) *præter Religionem posse cognoscere.* Quam etiam distinctionem & separationem jurisdictionum confirmant Leges relatæ in *Cod. Justinianeo*, nempe *Leges* 13. *&* 29, *Cod. de Episcopali audientia*, *& Lex cum Clericis Cod. de Episc. & Clericis & Novellæ* 79. 83. *&* 123. in quibus plenissime de universa jurisdictione Ecclesiastica & publica, sive sæculari in Clericos & Monachos tractatur.

Ecclesiastica vero Jurisdictio, de qua tractamus, exercetur & ad effectum perducitur vel per S. Pontificem, vel per Episcopos. Et iterum vel S. Pontifex per se cognoscit, vel per Judices delegatos, Legatos aut Nuntios, de quibus *titulo de Officio Judicis delegati*, & sequenti *de Officio Legati*. Episcopi etiam vel per se cognoscunt, vel per alios, qui eorum vices gerunt, vel ex officio & consuetudine; vel ex delegatione speciali, quales sunt Officiales & Vicarii Episcoporum generales vel particulares; qui etiam delegare possunt, idest judices dare in aliqua causa speciali; & hi omnes opus habent mandato vel commissione Episcopi. Ex officio vero & ex consuetudine Episcoporum vices gerunt in quibusdam articulis Archidiaconi, Archipresbyteri, Decani rurales, qui vulgo vocantur: qui quidem ratione dignitatis & officii partem aliquam jurisdictionis Episcopalis exercent absque ullo mandato & speciali commissione: quibus omnibus addere possumus Plebanos & Rectores Ecclesiarum, quibus etiam in parochianos ex more & consuetudine quædam potestas & auctoritas conceditur sub Episcopis tamen; de quibus omnibus agitur in *titulo de Officio Juris Ordinarii*.

AD



AD LIB. I. DECRET.

TITULUM XXIX.

De Officio & potestate Judicis Delegati.

LATISSIME patet hujus tituli & sequentium materia: nec enim tantum sub illis de Jurisdictione, de Judicum datorum notione & Judiciorum ordine & executione tractatur, sed etiam generaliter plurima sub illis continentur, quæ ad reliquas partes & munera Judicum delegatorum, Legatorum & Ordinariorum Judicum seu Prælatorum referuntur; ut & in Jure Civili officium Magistratus latius extenditur quam jurisdictio: idque etiam observatur in *Lege 1. ff. de Jurisd. omnium judicum*. Officii enim nomine non ea tantum quæ sunt jurisdictionis & Imperii, sed etiam continentur ea, quæ specialiter Lege vel Senatus-consulto Magistratibus concessa fuerint. Unde ut in *ff.* & in *Cod.* post expositos singulares titulos *De Magistratibus Civilibus & militaribus; de Urbanis & provincialibus*, subjiciuntur tituli generales *de omnium Judicum jurisdictione, & de Foro competenti*: ita Decretalium libro I. quibusdam titulis singularibus præmissis de Dignitatibus aliquot Ecclesiasticis, earumque officio, subjiciuntur tres isti tituli generales, in quibus communia quædam Prælatis omnibus explicantur; ubi & generaliter de omnibus speciebus Judicum Ecclesiasticorum prolixe tractabimus.

Observandum etiam, sicut Magistratus officium latius patet quam jurisdictio, quæ & jure Magistratus competit: ita etiam Officium Judicis dati, sive Delegati, de quo specialis titulus in *Institutionibus* tit. *de Officio judicis*, latius patet quam notio, sive judicandi facultas, quæ Judici data competit.

Ad hujus autem tituli intellectum præmittendum primum, quid sit Jurisdictio; quid sit delegare sive mandare Jurisdictionem: quid vero Judices dare. Et quidem Jurisdictio ita definiri potest ex D. Cujacio in *Parat. Cod. de Jurisdict. omnium judicum*. Jurisdictio est notio, quæ jure Magistratus, vel ex mandato Magistratus, vel extra ordinem competit. Et sane ad illas tres species possumus revocare tres illos titulos. Nempe in Ecclesia vel jurisdictionem habent ordinariam quidam, de quibus sub *titulo de Officio judicis ordinarii*; vel extraordinariam, quales Legatos Pontificios possumus vocare; vel ex mandato Magistratuum jurisdictionem habent, quibus ordinarii Judices jurisdictionem vel universam, vel pro parte tantum mandaverint vel delegaverint: qui quidem diligenter separandi sunt a Judicibus datis sive delegatis. Nam dati Judices jurisdictionem non habent, sed notionem tantum & judicationem, vel potius necessitatem judicandi. Est enim munus publicum facultas illa judicandi, ad quam vel inviti a Magistratibus compellebantur. Quare in multis

differant Judices dati ab illis, quibus mandata est jurisdictio. Illi enim, quibus jurisdictio mandata est, eandem habent potestatem, quam ille qui mandavit; eosdem Apparitores per quos suas sententias exequantur: Judices vero dati de plano judicant, non pro tribunali, sed *de simplici solo*, ut loquitur Modestinus: non habent propriæ sententiæ executionem, sed statim atque pronuntiaverint in lite, in qua specialiter Judices dati fuerint, officio functi sunt, nec ulla amplius potestas superest, sed ad sententiæ executionem recurrendum est ad Magistratus, qui eos dederunt *Lege a divo Pio ff. de re judicata*.

Excipiuntur Judices dati ab Imperatorio culmine, qui propter summam auctoritatem jurisdictionem habent extra ordinem, habent Tribunal, habent Apparitores, & ipsi suas sententias executioni mandare possunt: imo & Judices dare, a quibus ad eos appellatur, non autem ad Principem *Lege a judice Cod. de judiciis*, & *Lege unica Cod. qui pro sua jurisdict.* Notandum tamen nullo juris loco proditum, Judices a Principe datos jurisdictionem suam mandare posse: qua de re plenius in *sequentibus* dicemus.

Romani tamen Pontifices non tantum ea omnia tribuerunt Judicibus a se delegatis, quæ Imperatores suis Judicibus delegatis; sed hoc amplius eis permiserunt, ut delegatam sibi a Pontifice jurisdictionem iterum aliis demandare & subdelegare possent, perinde ac si jurisdictio mandata eis proprio jure competeret: quod proculdubio Pontifices contra Juris Civilis regulas, amplificandæ & prorogandæ suæ potestatis causa induxerunt, ut eorum Delegati non tantum Judices dare (quod Jure Civili licuit delegatis ab Imperatore Judicibus); sed etiam iterum jurisdictionem sibi delegatam aliis mandare possent; quod subdelegare vocant: & quidem vel totam mandare, vel partem, v. g. principium, medium vel finem litis, aliqua tantum sibi parte servata; cujus juris novi auctores videntur fuisse Alexander III. in *cap. 7. in antiqua Collect. 1. hoc tit.* & in *cap. 18. hoc tit.* & Innocentius III. in celebri *cap. 27. hujus tit.* in quo quidem Innocentius III. ut & ante Alexander III. manifeste impugnant *Novellam 60.* in qua Justinianus Judicibus a se delegatis nominatim interdixit, ne suis Assessoribus ullam litis partem committerent, neque principium, neque medium, neque finem; sed ipsi per se in omnibus litis partibus una cum suis Assessoribus vel Consiliariis adessent vigilantius. Quinimo solis Magistratibus Urbanis, qui in comitatu Principis constanter Jus dicebant, quoniam sæpius contingebat eos Principis jussu negotiis publicis distringi, illud tanquam valde singulare *dicta Novella* permittitur, ut particulares litium examinationes possint suis Assessoribus committere, v. g. depositiones & examinationes particulares testium; *attestationes & allegationes partium*, ut loquitur in *dicto cap. 7.* Alexander III. ita tamen ut ipsi per se una cum Assessoribus cognitionibus causæ interesse debeant, nempe in principio in litis contestatione facienda, in medio litis & in fine, sive in ultima cognitione, quando sententia pronuntianda est; ut majoribus auspiciis accuratius & perfectius ipso Magistratu præsente lis omnis disceptaretur & terminaretur. Quæ tamen singulariter Urbanis Magistratibus fuisse concessa, non autem Magistratibus Provincialibus ex verbis *dictæ Novellæ*

vella 60. & Novell. 82. *cap.* 2. colligimus.

Verum illas rationes ita Innocentius III. eludit, colorate potius quam vere, ut quamvis permittat principium, ideſt litis conteſtationem, vel medium litis, vel ſententiæ prolationem, quæ eſt in fine, a ſuis delegatis Judicibus ſubdelegari: Judex tamen qui definitivam ſententiam prolaturus eſt, ſive ſit Delegatus, ſive Subdelegatus, debet accurate ſingula excutere, quæ vel ab iſtis vel ab aliis antea fuerint peracta in principio, medio vel fine litis, antequam ipſi ſententiam proferant: quam tamen rationem parum providam eſſe conſtat. Plurimum enim refert utrum Judex, qui ſententiam prolaturus eſt, per ſe & præſens interfuerit ſingulis eo ipſo tempore, quo peraguntur; an vero ea quæ alius v. g. Aſſeſſor aut Conſiliarius ab eo delegatus antea peregerit eo abſente, poſtea ex relatione vel actione didicerit; quoniam ea ratione facilius imponi & ſubripi cognitio poterit Magiſtratui vel Delegato a Principe, qui ſibi ſolam ſententiam reſervaverit. Quæ eſt vera & ſincera ratio *dictæ Novellæ*, quæ pertinet ad interpretationem *Legis* 2. & 13. *Cod. Aſſeſſoribus*: ad quorum Aſſeſſorum callidas machinationes & fraudes amoliendas dictæ *Leges & Lex ult. ejuſdem tit. & d. Novell.* 60. promulgatæ fuerunt. Hujus novi Juris aliam rationem attulit Alexander III. in *dicto cap.* 6. *hoc tit.* ut parceretur laboribus partium & expenſis, Delegatum poſſe ipſius cauſæ cognitionem & teſtium examinationem, ſibi ſententia reſervata, ſubdelegare & committere.

Saltem Alexander III. litis deciſionem & ferendæ ſententiæ poteſtatem ſubdelegari prohibuiſſe videtur. Audacior autem Innocentius III. ut judicialis auctoritas liberius exerceri valeret, Delegatis a S. Pontifice permiſit principium, medium & finem cauſæ ſibi commiſſæ ſubdelegare, non ſolum conjunctim, ſed etiam diviſim; cum aliqua tamen diſtinctione, v. g. ſi medium tantum cauſæ ſubdelegaverit, puta teſtium examinationem & atteſtationes; tunc Subdelegatus, non tanquam Judex & Cognitor, ſed tanquam executor vel potius auditor habetur, ut ipſe Innocentius dixit. Quare tanquam ab executore non poterit ab illo auditore appellari, arg. *Legis ab executore ff. de Appell. Lege ab executione Cod. quorum appellat. non recip. & cap.* 43. *extra de appellat.* Ideoque ſi ab ejuſmodi auditore appellatum ſit, ea appellatione non obſtante, Judex delegatus definitivam ſententiam proferre poterit. Ea vero ſubdelegatio poterit in cauſa fieri recte; dummodo nulla juſta cauſa recuſationis parti, quæ ei non conſentit, occurrerit eo tempore quo datur Auditor: ſi quam enim habuerit adverſus ſubdelegatum Auditorem, debet illam ſtatim allegare & probare coram Delegato, qui eum ſubdelegavit; non autem ſecundum communes Juris Canonici regulas coram Arbitris, quos regulariter, ſi Judex datus recuſetur, tenetur recuſans eligere, & ad id compellitur a Judice recuſato, apud quos Arbitros recuſationum cauſæ excutiuntur *cap.* 41. *extra de Appellation. & cap.* 39. *hoc titulo*. Et hæc eſt ſententia verſiculi *Eum vero cap.* 27. *hoc tit.* ut ibi recte Gloſſa. Quamvis enim ex alio Reſcripto ejuſdem Innocentii III. quod Cantuarienſis Epiſcopus objiciebat, inferri videatur dictum Auditorem non niſi ex communi partium conſenſu dari poſſe; alioqui ſi alia pars non conſentiret, provocari poſſe: id tamen non eſſe de neceſſitate, ut utraque pars conſentiat, idem Innocentius III. reſpon-

ſpondet tam in dicto verſ. *cum vero*, quam in *fine hujus capituli*, ubi Innocentius III. ait apertiſſime ab Auditoribus, qui nec dati nec recepti fuerint communi conſenſu partium, appellari non poſſe vel ad Delegantem, vel ad S. Pontificem; ſed tantum licere ſtatim ſi quas cauſas ſuſpicionis partes allegandas habeant, coram Delegato proferre & probare. Quod ſi nulla juſta cauſa ſuſpicionis allegetur, poterit non obſtante appellatione cognoſcere & litem finire; etſi partes ab initio non conſenſerint commiſſioni dicti Auditoris. Itemque ſi tanquam ſuſpecti Auditores removeantur a Delegato, poterit ipſe ſublato appellationis effugio judicare. Unicus tantum caſus ſubjicitur, in quo appellari poterit non quidem ad Delegatum, ſed ad S. Pontificem; ſi nempe Delegatus ſuſpicionis cauſas adverſus Auditorem ſuum allatas noluerit admittere, ſed audientiam omnino denegaverit, & coram ſuſpectis Auditoribus litigare compulerit. Graviſſimum enim eſt coram ſuſpectis Judicibus litigare *cap.* 41. *de Appellat.* Itaque in hoc ſingulari caſu ad S. Pontificem appellatio recipietur propter manifeſtam Delegantis injuriam, qui denegavit audientiam.

Hactenus de ſubdelegatis Auditoribus, qui nec proprie ſunt Judices, & quibus nulla pars juriſdictionis committitur, ſed tantum auditio & examinatio particularis, ubi aliquod miniſterium a Delegato fuerit injunctum.

Quod ſi Delegatus a S. Pontifice univerſam juriſdictionem ſuam vel ejus partem, v. g. principium, ideſt litis conteſtationem, aut finem ideſt ſententiam alteri ſubdelegaverit: ſi quidem totam & univerſam; tunc a ſententia Subdelegati non appellabitur ad Delegatum a Pontifice, ſed ad ipſum S. Pontificem. Secundum enim errorem veterum Interpretum Pontifices admiſerunt, Delegatum a Principe etiam jurisdictionem ſuam poſſe mandare & delegare alteri: cum tamen in Jure reperiatur tantum Judici a Principe delegato conceſſum dare judicem *Lege* 5. *a Judice Cod. de Judiciis*, non autem permiſſum mandare juriſdictionem. Quoniam tamen permiſerunt Pontifices innovato Jure Civili, Delegatis ſuis iterum mandare juriſdictionem; recte per conſequentias inferunt etiam ſecundum Juris Civilis regulas, non appellari ab hujuſmodi Subdelegato ad Delegantem, ſed ad S. Pontificem, qui ab ipſo Delegante appellaretur, *Lege* 1. *in fine ff. Quis & a quo appelletur*: alioquin ſi appellaretur ad Delegantem, idem propemodum a ſeipſo appellaretur. Ille enim cui univerſa juriſdictio mandata & ſubdelegata eſt, non propria, ſed Mandantis ſive Delegantis utitur juriſdictione, & ejus partibus fungitur *Lege* 1. §. 2. *& Lege* 3. *ff. de Officio ejus cui mandata eſt juriſdictio*.

Si vero Delegatus partem tantum jurisdictionis ſubdelegaverit, v. g. principium tantum vel finem cauſæ, & ut loquitur Innocentius in *dicto capit.* 27. *aliquid ſibi de juriſdictione reſervaverit*: tunc non ad Pontificem, ſed ad Delegantem appellabitur, ut a Judice dato appellatur is qui dedit eum *Lege* 1. *ff. quis & a quo appelletur*; ſive ille qui dedit Judicem ſit Ordinarius, ſive fuerit a Principe delegatus *Lege unica Cod. qui pro ſua Juriſd. Judices dare vel dari poſſunt*. Quod in *hac Decretali* nominatim confirmat Innocentius III. Quam tamen in hoc articulo differentiam conſtituit inter Delegatum, qui ſubdelegat univerſam juriſdictionem vel partem tantum, ſecutus veterum Interpretum errorem,

pu-

pugnare cum Jure Civili docuimus; quo Judex etiam ab Imperatore datus nec universam oec partem jurisdictionis iterum subdelegare & mandare potest: qoooiam non jure proprio & ordioario, sed jure singulari propter culmen Imperialis Majestatis, quæ eum delegavit, jurisdictionem extra ordinem habere censetur, eique beoigne tantum concessum, ut in ea causa io qua delegatus est, Judicem dare quemlibet possit, dicta *Lege unica in fine Cod. qui pro sua jurisdictione*. Sed eo non obstante Innocentius III. in dicto *Capitulo* 27. significavit Pontifices illa singularia contra regulas Juris Civilis induxisse, ut Judicum Delegatorum jurisdictionem & auctoritatem amplificareot, & ut tam ad lites quam ad alia rescripta a Pontificibus impetrata ad faciliorem exitum perducerentur, & litigantium expensæ minuerentur.

Attamen a Subdelegatis licet oon in totam jurisdictionem sed in p rtem tantum, certis casibus ooo appellatur ad Delegantem, sed directo ad S. Pontificem. Primo in specie *cap.* 3. 10. *&* 14. *hoc tit. in* 6. ubi si ex tribus delegatis Judicibus duo quidem subdelegent jurisdictionen suam non in totum, & tertios Delegatus com duobus Subdelegatis sententiam ferat, & ab ea appelletur, non appellabitur ad Delegatos, sed ad S. Pontificem propter coosensum tertii Delegati: idem enim a seipso appellaretur; *quoniam tertius hic Delegatus cum Subdelegatis processerat*, ut dicitur in d. *cap.* 3.

Secundo si contingat Delegatum vel post subdelegationem excommuoicatum esse vel mortuum; vel si appellationis a Subdelegato emissæ tempore mortuus vel excommunicatus proponatur; vel si causa integra manente, in ipso limine litis Subdelegatis opponaotur hujusmodi exceptiones, quod vel excommunicatus vel mortuus sit Delegans, vel jurisdictionem omnino negetur habere: tunc in iis casibus directo ad S. Pontificem appellabitur a Subdelegato.

Ad amplificandam præterea auctoritatem & jurisdictionem Judicum Delegatorum a S. Pontifice, & ad perplexitatem appellationum vitandam est inducta hæc clausula solemnis io Rescriptis sive Commissionibus, sive delegationibus Pontificiorum Judicum, *remota appellatione*, vel *non obstante appellatione*, vel *sublato appellationis effugio*; de qua in *hac Decretali* & in plerisque, v. g. io *cap.* 28. §. *penult. & ult.* & supra in *cap.* 15. *hoc tit.* & ex *cap.* 1. 2. *& passim extra de Rescriptis*, & ex professo in *cap.* 9. 12. 28. 30. 36. 41. 43. 47. *&* 53. *extra de appellationibus & recusat.* quibus in locis vis & potestas illius clausulæ explicatur. Et quidem 1°. notandum hanc clausulam in delegatiooe apponi posse, quæ fit ab Imperatore vel a S. Pontifice, non a Magistratibus & Judicibus reliquis Ordinariis *Lege* 1. *ff. a quibus appellari non licet*: unde io dicto *cap. super quæstionum hoc tit. initio*, & in §. *Si vero*, constitutum, ut Delegatus Pontificis, cui causa commissa fuerit *appellatione remota*, eam non possit alteri oe quidem Condelegato suo *remota appellatione* committere; quamvis Conjudex & Condelegatus ejus sub hac clausula etiam datus fuerit, ut *appellatione remota alter possit sine altero procedere, si non possunt ambo interesse*. Excipe nisi per dolum & fraudem partis alterius factum sit, quominus Delegatus intra diem a se dictam per se cognoscere posset: tunc eoim Delegatus subdelegare & committere poterit, & Subdelegatus intra eam diem

diem ex auctoritate *Constitutionis* Innocentii III. *cap.* 28. *hoc tit.* in fine, *remota appellatione* procedere poterit.

Observandum etiam ex *cap.* 41. *de appellat.* si de uno & eodem negotio principali plures articuli in una commissione, sive Rescripto reperiuntur enumerati, & in uno tantum appellatio prohibeatur; illa tamen clausula in omnibus articulis repetita subintelligitur: nec refert in principio, medio vel fine dicta clausula reperiatur apposita.

Ut vires habeat hæc clausula, opus est ut citatio, idest in Jus vocatio delegati Judicis auctoritate facta præcesserit: nam si pars altera ante citationem & vocationem in Jus appellaverit, vel nuntium ad Sedem Apostolicam destinaverit; Judex delegatus etiam sub ea clausula, non poterit cognoscere *cap.* 9. & 30. *extra de Appell.* & *cap.* 22. *hoc tit.*

Præterea ex *cap. pastoralis* §. *præterea hoc tit.* non impediet hæc clausula, quominus a Delegati sententia possit appellari, & iterum appellationis causa delegari, si ex certa Pontificis scientia delegatio fiat; ita ut interim suspendatur executio sententiæ, donec appellationis causa finiatur. Quinimo ista generalis clausula moratorias & frustratorias tantum appellationes excludit, quæ Jure Canonico passim sine discrimine solebant admitti. Reliquæ namque appellationes ex gravibus causis admittuntur *cap.* 9. 12. 36. 53. & 56. *extra de appellat.* Causa enim inserendæ hujusmodi clausulæ ad vitanda effugia & fraudes calumniatorum inventa fuit, non ad excludendum & omnino removendum commune appellationis auxilium, ut recte exposuit Arnulphus Lexoviensis Episcopus, & præcipue D. Bernardus *lib.* 3. *de Considerat. ad Eugenium cap.* 2. his verbis. *Appellatur ad te, & utinam tam fructuose quam necessarie; utinam cum oppressus clamat, sentiat oppressor, & non superbiat impius; unde incenditur pauper. Quod tam decorum ut ad invocationem tui nominis effugiant oppressi, versuti non refugiant? Quid e regione tam perversum, tam recti alienum, ut lætetur qui malum fecit, & qui tulit inaniter fatigetur?* Et postea. *Iniqua omnis appellatio, ad quam justitiæ inopia non coegit. Appellare, non ut graves, sed si graveris, licet. Appellandum a sententia. Ante sententiam improbe omnino, nisi ob manifestum gravamen præsumatur appellatio,* & quæ sequuntur. Et in fine *capitis* laudat Eugenium his verbis. *Benefacis tu, quod appellationum negato suffragio, imo suffugio, multa remittis negotia ad cognoscentes, vel qui noscere citius possunt. Ubi enim certior ac facilior notio, ibi decisio tutior expeditiorque esse potest. Quam plenum gratiæ, quam multorum quoque per hoc & laboribus parcis & sumptibus?* Nihilominus tamen cum sæpius a posterioribus S. Pontificibus in Rescriptis & Commissionibus obmitteretur illa clausula, *remota appellatione;* postea constitutum fuit in Concilio Basileensi, ut via frivolis appellationibus intercluderetur, ut non appellaretur ab interlocutoria sententia, nisi tale per eam gravamen inferretur, quod in definitiva reparari non posset; & præterea ut in hujusmodi casu secundo appellare non liceret ab interlocutoria. Quod ex dicto Basil. Concilio relatum fuit in Pragmaticam & Concordata nostra *tit. de Causis & appellat.*

Observandum etiam dictam clausulam, *Appellatione remota*, ad partes tantum pertinere, inter quas causa commissa fuerit: reliquis enim appellatio-

lationis remedium non intelligitur ademptum, si sententia hujusmodi lædantur *cap.* 15. *hoc tit.* Quinimo quoties ea clausula in gratiam impetrantis rescriptum specialiter apposita fuerit, Judex delegatus poterit ea non obstante appellationem ab impetratore recipere. Arnulphus Lexoviensis *ad Alexandrum III. Papam*. *Ego vero*, inquit, *quia nolens agere cogi non poterat, & ad preces ejus ipsiusque favore videbatur sublatum appellationis obstaculum, ad læsionem ejus retorquere non debui, sed alio sicut fuerat in possessione dimisso, litteras utrique requisitas, per quas eorum, quæ apud nos acta sunt, veritas vestra posset innotescere Majestati*, &c.

Quamvis autem supra dixerimus Delegatos a S. Pontifice, sive de utriusque partis vel alterius tantum consensu delegati fuerint, vel universam jurisdictionem, vel partem, imo & ipsam citationem subdelegare & mandare posse vel suo Conjudici, vel aliis, idoneis nempe & discretis *cap.* 3. *cap.* 27. §. *si vero & cap.* 28. *hoc tit.* ita tamen intelligi debet, nisi causæ a sede Apostolica commissæ adeo graves sint, ut Delegati præsentiam & auctoritatem requirant *cap.* 3. *& ult.* §. *is autem & seq. hoc tit.* v. g. quando specialiter electa est industria & fides certæ personæ a S. Pontifice; vel si non jurisdictio, sed tantum certum ministerium fuerit commissum; vel etiam nisi maligne Delegatus se se exonerare tentaverit, ut in *cap.* 28. *initio hoc tit.*

Ad interpretationem vero *cap. ult. hoc titulo* pertinet *cap.* 12. *eodem tit. in* 6. *& cap. unicum de Officio Judicis in Clementinis.*

Plenissima autem potestas Judici a S. Pontifice delegato in eo conceditur, quia vice sacra cognoscit, idest ex auctoritate S. Pontificis; ideoque non tantum Assessores habet & plenam executionem sententiæ, sed etiam quoslibet Judices & cujuscunque conditionis & potestatis dare potest, nullo habito personarum causarumque discrimine: quamvis Ordinarii Magistratus pedaneos tantum Judices dare & in iis causis valeant, in quibus jurisdictio ad eos pertinet, *Lege unica Cod. qui pro sua jurisd. judices dare darive possunt*. Quod & jure nostro confirmatur plenissime, quo Judicibus delegatis a Pontifice permittitur, ut Superiores etiamsi ipsi sint dignitatis Episcopalis, subdelegare, & si necessitas exigat, compellere possint; dummodo tamen in coactione modum servent, & dignitati deferant & personæ *cap.* 11. *hoc tit. & cap.* 2. *eodem titulo in* 6. Sæpius autem Delegati executionem sententiarum suarum demandare solent Ordinariis, qui eis obtemperare tenentur: quod in causa delegata superior est Delegatus a S. Pontifice quolibet Ordinario; quoniam in ea causa vices S. Pontificis sustinet. Imo etsi Ordinarius, cui executio mandata fuit a Delegato, dicat ejus sententiam esse injustam; nihilominus tamen eam exequi tenetur; quia executor causæ cognitionem non habet, exceptis casibus *cap.* 8. *hoc tit. & cap.* 24. *extra de Rescrip.* Vel si malit Delegatus, recusante Ordinario, poterit ipse suam sententiam exequi, & contradicentes censuris & pœnis Ecclesiasticis coercere: quæ quidem coercitio Delegato competit non tantum in executione sententiæ, sed etiam in citatione & in quacumque parte litis; nec adversus litigantes tantum, sed etiam adversus quoslibet impedientes executionem: quod ex certis Juris regulis constitutum, ne jurisdictio Delegati lusoria & nullius sit momenti, si non haberet coercitionem: cui enim jurisdictio semel

femel data eft, & ea etiam conceffa intelliguntur, fine quibus explicari non poteft *Lege* 2. *ff. de jurifd. cap.* 1. 4. §. 1. *cap.* 5. 7. 8. 11. 21. §. *fexta.* 1. 26. & 28. *hoc tit.* & *cap.* 2. *eodem. tit. in* VI. Quinimo etiam Subdelegatus a Delegato eandem omnino habet coercitionem, quæ cum mandata jurifdictione tranfire folet *cap.* 26. *hoc tit.* Subdelegatus enim in hoc Jure Canonico vices Delegantis omnino fuftinet: quamvis Jure Civili Delegatus etiam a Principe jurifdictionem fuam alteri mandare non poffit, fed tantum Judicem dare, ut fupra docuimus.

Notandum etiam Delegatos per annum integrum poft fententiam dictam jurifdictionem fuam retinere & exercere poffe, ut facilius executioni eam mandare poffint, *cap.* 26. *hoc tit.* Delegati tamen poffunt compellere litigantes, ut præfentes & per fe coram litigent, fufficit fi per procuratorem, nifi in caufa criminali, vel nifi gravis quædam caufa & neceffaria præfentiam partium requirat.

Quod autem diximus, & paffim in iis libris reperitur, in una & eadem caufa non unum tantum, fed plures fimul Judices dari & delegari; id & Jure Civili notiffimum, five Judices five Arbitri vocentur *Lege* 70. & 76. *ff. de Judiciis*, *Lege* 17. §. 2. & 3. & *Lege* 18. *ff. de Recept.* & *Lege* 16. & *feqq. ff. de re judicata.* Ex quibus colligitur etiam, pluribus Judicibus vel Arbitris datis vel receptis, uno ex illis abfente, reliquos judicare non poffe: quod & confirmatur *cap.* 16. 17. & 22. *hoc tit.* Excipe, nifi ille qui abeft, prius fuo Collegæ vel alteri vices fuas fubdelegaverit *cap.* 6. *hoc tit.* quod Jure Civili in Judicibus datis non habebat locum. Nec enim Judex datus alterum fubdelegare poterat, fed cogebatur ipfe judicare. Judicandi enim munus erat perfonale: quod fi quocumque modo adeffe non poffet cum reliquis Conjudicibus, recurrendum erat ad Magiftratus, qui eam dederant.

Ut facilius autem lites difceptarentur, folebant Pontifices in fuis Refcriptis addere hanc claufulam: *Quod fi non omnes intereffe velint aut poffint, reliqui in negotio procedent*; vel *duo aut unus ex illis procedat*, aut *mandatum exequatur*, *cap.* 21. 23. & 30. *hoc tit.* in quibus illius claufulæ vis explicatur, nempe ut quilibet ex Delegatis poffit fubdelegare fuum Conjudicem vel alium. Sed quia hæc claufula eft conditionalis, non poffunt reliqui procedere, infcio vel ignorante uno, vel pluribus; fed opus eft ut antea conftiterit illis literatorie & in fcriptis eum vel illos intereffe non poffe, vel nolle, vel merito recufatos effe. Quod fi non conditionaliter fed pure & abfolute ita fuerit claufula concepta; *ut omnes vel duo aut unus fine altero procedat & mandatum exequatur*: ipforum quilibet libere mandatum implere poterit, non expectatis Conjudicibus cæteris: quibus tamen ante litem conteftatam, fi per fe non poffint, liberum erit fubdelegare. Poft litem vero inchoatam fubdelegare, nec feipfos introducere poffunt, exceptis cafibus *cap.* 6. *hoc tit.* & *capit. contra plures eodem tit. in* 6.

Contra id quod diximus Delegatis in duabus claufulis fupra explicatis poffe fubdelegare, folet opponi *cap.* 34. *coram hoc tit.* Sed ideo Subdelegatus non fuit admiffus, quia Delegatus qui eum fubdelegaverat, per literas fubreptitias fuerat adjunctus Conjudex, ut ex verbis *capit.* illius intelligitur.

Refcripti vero five mandati formam Delegati Judices accurate fervare debent; quippe quo eorum poteftas & jurifdictio definitur & circumfcribitur

bitur *cap. prudentiam hoc tit.* Primum itaque de Rescripto, quo delegati fuerunt, constare oportet, a quo nec recedere possunt *cap.* 13. 15. 31. & 35. *hoc tit.* nec ad alias personas Rescripto non comprehensas trahere, vel ad alia capita & articulos producere *cap.* 39. *eodem*; nisi ex communi consensu partium præsentium: nec enim procuratoris consensus sufficit, ut in *d. capit.* 32. adeoque rescripto inhærere tenentur: vel si semel ex rescripto, quod impetratum & exhibitum eis fuerit, se jurisdictionem non habere pronuntiaverint, non poterunt iterum ne quidem ex consensu partium amplius judicare *cap.* 38. *hoc tit.* Dies tamen & terminus in rescripto appositus, intra quem lis terminetur, potest communi partium consensu prorogari: vel si quid per alterius partis contumaciam aut dolum factum fuerit, ut inutiliter tempus labatur, puta ut abesset interim Delegatus, poterit ipse causæ decisionem, etiam remota appellatione, alteri subdelegare, ut intra præstitutam diem finiatur *cap.* 4. & 28. §. *ult. hoc tit.* Itemque si dolo vel fraude alterius partis fiat, quominus in loco expresso in Rescripto, ubi aliquid fieret, secure & tuto partes convenire possint: tunc Judex delegatus locum ad id idoneum eligere poterit: idemque dicendum generaliter, si qua alia causa rationabilis occurrat. Quod receptum ut facilius executioni mandetur Rescriptum *cap.* 25. *hoc tit.* & *cap.* 13. *eod. tit. in* VI. Rescripti autem formam & verba & ejus executionem interpretari convenit secundum Juris regulas *cap.* 5. & 13. *hoc tit.* & *cap.* 45. *extra de appellat.* nisi aliud nominatim contineatur in Rescripto *cap.* 13. *hoc tit.* Quare non potest compellere alterutram partium Delegatus coram se personaliter in judicio comparere; quia utroque Jure per procuratorem potest litigari, nisi causa sit criminalis, vel alia legitima ratio exigat *cap.* 1. *de Judiciis in* 6. *Lege pecuniariis Cod. de Procuratoribus:* quod & supra attigimus.

Ad universum vero munus & officium Judicum Delegatorum, & commissionis eorum executionem quod pertinet; ex his quæ diximus, colligitur ex forma mandati sive commissionis pendere, vel ex qualitate ipsorum Judicum eorumque peritia esse definiendum. Quam in rem notatu dignum *Capitulum statutum de Rescript. in* VI. & *quæ in cap.* 28. & 29. *extra de Rescript.* & *in cap.* 10. *de Vita & honestate Clericorum:* quorum summa hæc est potissimum, ut sive a S. Pontifice, sive ab ejus Legatis vel Nuntiis causæ delegentur, non aliis committantur quam peritis Juris utriusque, vel alterutrius, saltem Canonici; & præterea Dignitatem vel Personatum obtinentibus, vel saltem Ecclesiæ alicujus Cathedralis Canonicis. Nec alibi disceptari causæ debent & tractari, quam in civitatibus vel locis celebrioribus, in quibus copia peritorum suppetit. Addidit supradictis personis *cap.* 2. *de Rescript. in Clementinis* principalem Episcopi Officialem, vel Priorem Conventualem, etiam Obedientiarium, licet per electionem non assumptum: Officialis vero foraneus, Religiosus, vel Prior Claustralis ex hujusmodi Judicum numero removentur.

Præterea circa ætatem Judicis Delegati observandæ sunt differentiæ inter Jus Civile & Jus Canonicum. Ætatem vero Judicis vel Arbitri Compromissarii in Jure Civili fuisse annorum viginti quinque, merito doctissimus Cujacius convicit; cum & Juris studium, cujus periti Judices esse de-

bent apud Romanos, & privilegia studiosorum usque ad 25. annum extendebantur, *Lege* 1. *Cod. Qui ætate se excusant*, & Decuriones viginti quinque annis minores eligi non solebant; & si ex causa legitima, v. g. propter penuriam civium, vel natalium splendorem minores annis viginti quinque in ordinem Decurionum admitterentur, non ante 25. annum ferre poterant suffragium, sed tacebant *Lege* 6. §. 1. *ff. de Decurionibus*, & *Lege* 8. *ff. de Muneribus & honoribus*. Ex consensu nihilominus partium minor viginti quinque annis Judex a Magistratu dari potest, dummodo 18. annum impleverit. Postulatus tamen Judex 20. annis minor ex Lege Julia non poterat invitus cogi judicare: nec etiam ex Arbitri minoris 20. annis sententia pœna compromissa peti poterat, *Lege* 41. *de Receptis*, & *Lege Quidam consulebat* 57. *ff. de re judicata*, quas rectissime Cujacius explanavit ad *L.* 1. *Cod. Qui ætate se excusant*, & ad *Legem* 2. *ff. de Judiciis in posthumis*: quibus adde *Librum* 17. *Observat. cap.* 34. Minor vero 25. annis, ut diximus, sicut ex partium consensu dari potest, dummodo sit major decem & octo annis: ita etiam & a solo Principe in eadem ætate dari poterat *dicta L.* 57. *ff. de Re judicata*. Jure vero Canonico ex *cap.* 41. *hoc tit.* Judex major viginti annis potest dari: minorem vero 20. annis modo 18. annis major sit, a Principe & S. Pontifice dari posse Judicem dictum *Capitulum* admisit, ex pravo intellectu Interpretum ad dictas *Leges* 41. *ff. de Receptis* & 57. *ff. de Re judicata*.

Quod vero pertinet ad locum, in quo judicium incipere & finem accipere debet a Judicibus delegatis, distinguendum, si actor & reus earumdem sint civitatum vel Diœcesium, lites peragendas in eisdem civitatibus & Diœcesibus, nisi in casibus exceptis in *Capit. statutum de Rescr. in* v I. in quibus tamen ex eodem *Capit.* ultra unam dietam a fine suæ diœcesis reus trahi non potest: cum antea usque ad duas dietas trahi posset *cap.* 28. & 29. *supra de Rescriptis*. Quod vero additur in dicto *Capit. statutum* alterum ex litigantibus, qui timorem vel potentiam adversarii allegat, trahendi rei causa extra diœcesim, teneri probare saltem per juramentum coram Judice Delegato: immutatum merito fuit per Pragmaticam & Concordata *tit. de Causis*; nempe hac ratione, ut si defectus justitiæ denegatæ, vel justus metus allegetur, & in partibus convicinis negotium committendum sit; causæ hujusmodi nominatim & specialiter sint exprimendæ in Rescripto sive Commissione: de quibus causis legitimo documento alias quam per juramentum coram Judicibus a Sede Apostolica deputandis summatim constare debet. Si vero actor & reus diversarum sint civitatum; vel in civitate vel in Diœcesi rei causa committenda & tractanda est, vel saltem ultra unam dietam trahi non debet reus. In locis vero supra designatis, in quibus judicium peragendum esse diximus, citare partes & de causa cognoscere Delegati tenentur, non autem alibi, nisi de consensu expresso partium: itemque non alibi, aut aliis personis quam supra designatis & qualificatis, nempe Dignitatem, Personatum vel Canonicatum habentibus in Ecclesia Cathedrali, & similibus personis, quas expressimus supra, subdelegare poterit Judex a Pontifice delegatus. Postremo generali Sanctione Bonifacius VIII. confirmat dictum *Capit. statutum*, ut si quid contra supradicta attentetur, ipso jure irritum & inane sit. Novam vero & utilissimam formam constituendi certi numeri Judicum Delegatorum per

per singulas diœceses & provincias introduxit Concilium Trid. *Sess.* 25. *cap.* 10. *de Reform.*

Denique quod ad sumptus & impensas pertinet, Jure Canonico statuitur Delegatorum quidem Judicum vel Subdelegatorum gratuitum debere esse officium, nec præter esculentum & poculentum aliquid recipere, nisi manifesta utilitas vel necessitas causæ cogat Delegatum ultra domicilium proficisci: quo casu expensas moderatas ab utraque parte pro communi negotio recipiet. Nec etiam Delegatus adjunget sibi Assessorem, nisi plane necessarium: quod ejus conscientiæ relinquitur. Pariterque de Assessoris moderato salario faciet ab utraque parte in commune provideri. Quod ad testes vero pertinet, non advocabit, nisi plane necessarios: quo etiam casu non ab utroque litigante, sed tantum a producente solo & exhibente testes curabit expensas suppeditari pro veniendo, stando, & redeundo, *d. Cap. Statutum*, juncto *cap.* 10. *extra de vita & honestate Clericorum*.

Sequitur ut de Recusationibus Judicum tractemus. Judex delegatus, qui merito suspectus est, recusari poterit, v. g. si sit dominus impetrantis *cap.* 17. *hoc tit.* aut ejus propinquus vel advocatus fuerit in eodem negotio *cap.* 36. *hoc tit.* vel sit Concanonicus, familiaris aut Officialis alterius partis *cap.* 25. & 35. *hoc tit.* Solent autem ante litis contestationem opponi causæ Recusationum. Possunt tamen post litis contestationem, si de novo emergant *cap.* 25. *hoc tit.* & *cap.* 4. *de Exceptionibus*. Recusationis autem libellus Delegato dari debet: examinatio tamen & probatio causarum recusationis, non apud Delegatum, sed apud Arbitros, quos ille qui recusavit compellitur per Delegatum eligere intra certum terminum, peragi debet. Quod si justa suspicionis causa probata fuerit, partes Delegati Judicis cessabunt, & ad S. Pontificem redeundum erit: at si justa intra certum terminum non probetur recusationis causa, auctoritate sua Delegatus utetur *cap.* 41. *de Appell.* Ab Arbitrorum tamen sententia, qui de causis recusationum cognoverunt, licebit appellare ad S. Pontificem.

Observandum vero ante propositam Recusationem, Delegatum etiamsi legitime recusari possit, alium tamen subdelegare posse pro parte vel in totum: imo semel proposita recusatione & ea probata, de recusantis tamen assensu poterit delegare. Sententia vero Recusationis pronuntiata, quod Delegatus desinit omnino esse Judex, ne quidem de Recusantis assensu subdelegare poterit; sed ad S. Pontificem erit recurrendum *cap.* 5. *hoc tit. in* VI. & *cap.* 61. *extra de Appellat.* Quod *cap.* non tantum de Ordinario, sed & de Judice Delegato intelligitur; hac tantum differentia adhibita, quod Ordinarius etiam post sententiam Recusationis prolatam de consensu tamen recusantis vel Judices dare, vel ad superiorem possit remittere. Posse namque Ordinarium, ut & Delegatum, recusari ex supradictis *cap.* manifeste constat, & ex *cap.* 4. *de Foro competenti*: ex quo colligitur Ordinarium, postquam recusatus fuerit, alios Judices posse tamen dare, vel partes compellere, ut eligant in locum recusati Judicis Arbitros, non de causis Recusationum, sed de negotio principali cognoscere & pronuntiare solitos, ut liquet ex dicto *cap.* 4. & integra *epist.* 74. Greg. I. *lib.* 9. *Regist.* ex qua d. *cap.* 4. desumptum fuit. Quod & Juri Civili convenit, ut constat ex *Lege* 16. & *ult. Cod. de judiciis*: quod tamen Jure Canonico recentiori non fuit admissum, sed

ut diximus, Arbitri tantum de causis Recusationum cognoscunt, non autem de negotio principali: quam differentiam inter Jus Canonicum & Civile pluribus explicavit D. Cujacius *lib. 9. Observat. cap.* 23. & ad *Novell.* 53. & explicatius in *Posthumis* ad dictam *Legem* 16. *Cod. de Judiciis*.

Quamvis autem regulariter non apud Delegatum, qui recusatus est, sed apud Arbitrum suspicionis causa sit excutienda: tres tamen casus excipiendi sunt. Primus, si ex duobus Delegatis sub clausula, *si non omnes*, &c. alter recusetur: quo casu apud Collegam non recusatum causa suspicionis probari debet; quod in vim dictæ clausulæ negotii præcipui cognitio ad eum redit. Secundus, si Delegatus Episcopi vel ejus Officialis recusetur, de causa recusationis cognoscet Episcopus *cap.* 3. *hoc tit. in* VI. Tertius, Auditore subdelegato, & recusato, recusationis causa non apud Arbitros, sed apud Delegantem proponi & excuti debet *cap.* 27. §. *Porro hoc tit.*

Recusationis itaque justis causis probatis & pronuntiatis ab Arbitris, removetur Judex Delegatus, & desinit esse Judex, ejusque omnis potestas extinguitur. Desinit etiam esse Judex ille, qui delegatus est a Pontifice, ut & ille qui a Principe datus est, non quidem statim atque tulit sententiam, sed postquam eam executioni mandavit *cap.* 9. *hoc tit.* Quin & per annum integrum retinet jurisdictionem post sententiam excommunicationis prolatam adversus contumacem, qui sententiæ a Delegato latæ non obtemperat *cap.* 26. *hoc tit.* Et hæc ad differentiam Judicum datorum ab Ordinariis Judicibus, qui propriæ sententiæ executionem non habent; quod Judices dati jurisdictionem non habent, nec Apparitores, sed simplicem tantum notionem, idest potestatem disceptandæ litis, in qua Judices dati sunt, & sententiæ pronuntiandæ: qua pronuntiata functi sunt officio, & ad executionem illius sententiæ redeundum est ad Ordinarios Magistratus, qui eos Judices dederunt, & ad quos executio pertinet. Quod etiam Jure antiquo Canonico in Delegatis ab Episcopis pariter observatum fuisse aperte demonstrat *cap.* 4. *extra de Foro competenti*.

Finitur itaque officium Judicis delegati ab Ordinario, v.g. ab Episcopo statim atque sententiam protulit *d. cap.* 4. *de Foro compet.* Aliud vero obtinere diximus in Delegatis a S. Pontifice; quod sicut Delegati a Principe jurisdictionem habent, Assessores & Apparitores, & Judices dare possunt *Lege a Judice* & *Lege apertissimi Cod. de Judiciis*, & *Lege unica Cod. Qui pro sua jurisd.*

Finitur etiam officium Judicis Delegati morte Pontificis delegantis, modo sit res integra *cap.* 30. *hoc tit.* Dixi si res sit integra, non autem si usus sit jurisdictione, vel tantum citaverit vivo Delegante *cap.* 20. *hoc tit.* Cujus regulæ exceptiones istæ notandæ. Prima, executio gratiæ a Pontifice delegata, ut & ipsa gratia morte concedentis, etiam rebus integris, non expirat *cap.* 9. *hoc tit. in* VI. Secunda, Inquisitorum hæreticæ pravitatis officium intra certos limites concessum, in favorem Fidei morte Pontificis committentis non expirat *cap.* 10. *de hæret. in* VI.

In hoc etiam articulo notanda differentia inter Delegatos Judices & Legatos; quod Legatorum officium morte Pontificis, qui misit, non expirat, quia

quia inter Ordinarios Legati referuntur *cap. 2. de Officio Legati in* VI. & potius Apostolicæ Sedis quam mittentis Pontificis Legati censentur. Præterea notandum pluribus Judicibus in una & eadem causa delegatis, vel pluribus Arbitris receptis, non addita vulgari clausula: *quod si non ambo*, &c. tunc uno mortuo reliquorum officium expirare *cap. 42. hoc tit.* Itemque finitur, si tempus expressum in Rescripto expiraverit, nisi communi partium consensu prorogetur *cap. 4. & 23. hoc tit.* Itemque aliter finitur Delegatio, si Delegati semel pronuntiarint, se non posse procedere per literas commissionis; adeo ut nec de partium consensu jurisdictionem postea reassumere possint *cap. 38. hoc tit.* Delegatus tamen reassumere potest jurisdictionem, quam prius in totum mandaverat Subdelegato, dummodo res sit integra *cap. 6. hoc tit.* Ut & Delegatus potest reassumere executionem suæ sententiæ, quam prius commiserat Ordinario, qui eam vel non vult vel non potest ad exitum perducere *cap. 7. hoc tit.* Postremo finitur, si prima commissio per secundum Rescriptum revocata fuerit, & alius a Pontifice Judex delegatus fuerit *cap. 29. hoc tit.*



AD LIB. I. DECRET.

TITULUM XXX.

De Officio Legati.

COHÆRERE hunc Titulum cum superiori indicant satis ea, quæ prolixe dixi in *Tractatu de Officio Judic. Delegati*: & hoc statim indicat *cap. ultimum dicti tit.* in quo differentiæ quædam inter Delegatos & Legatos Apostolicos constituuntur: nempe licet Delegati, quibus fuerit commissum prædicare crucem, excommunicare vel absolvere, dispensare cum irregularibus, vel injungere pœnitentias, subdelegare non possint; Legatos Sedis Apostolicæ hæc eadem subdelegare posse. Præterea probavimus officium Delegati morte Pontificis delegantis rebus integris expirare: officium vero Legati non extingui morte Pontificis *cap. 1. de Officio Legati in* VI. tum quia Legati Ordinariam jurisdictionem habent, ut in *d. cap. 2.* definitur; qua de re tamen olim varie certarunt Interpretes: Ordinarii autem habent jurisdictionem perpetuam, quæ non extinguitur morte eorum, qui eos instituerunt: tum etiam quia non tantum a Pontifice, sed etiam a Sede S. Pontificis potestatem accipere dicuntur: Sedes autem Apostolica non moritur. Nec tamen possumus inficiari opus non esse præcepto & mandato S. Pontificis; qua in re Pontificum Legatos Proconsulum Legatis possumus comparare, qui vel a Senatu, vel ab Imperatoribus adjungebantur Proconsulibus; & simul cum illis auctoritate publica mittebantur in provincias; sine mandato tamen Proconsulum officium & jurisdictionem suam exercere non poterant, *Lege 12. 13. & 14. ff. de Officio Proconsulis & Legati, & Lege penult. ff. de Offi-*

Officio ejus cui mandata est jurisdictio, ut adversus veteres Interpretes plenius probavit D. Cujacius *lib.* 7. *Observat. cap.* 2. Legati vero de quibus in *hoc tit.* vocantur generales Legati in *cap.* 2. & in *cap.* 3. ad differentiam Judicum Delegatorum, qui speciales Judices vocari solent, in causa nempe tantum sibi delegata Pontificis auctoritatem repræsentantes, nec ultra.

Causam autem mittendorum Legatorum a SS. Pontificibus describemus Gregorii I. verbis *epist.* 1. *lib.* 1. *Regist.* scripta *ad Episcopos per Siciliam constitutos*, cujus particula refertur in *Can. valde Distinct.* XCIV. *Valde necessarium esse perspeximus, ut sicut prædecessorum nostrorum fuit judicium, ita uni eidemque personæ omnia committamus; ut ubi nos præsentes esse non possumus, nostra per eum, cui præcipimus, repræsentetur auctoritas. Quamobrem Petro Subdiacono Sedis nostræ intra provinciam Siciliam vices nostras, Deo auxiliante, commisimus. Nec enim de ejus actibus dubitare possumus, cui totum nostræ Ecclesiæ noscimus Patrimonium commisisse*. Et post pauca jubet Gregorius Magnus, ut *eo convocante quotannis habeatur Concilium omnium Siciliæ Episcoporum, quatenus quæ ad utilitatem ipsius provinciæ Ecclesiarumque pertinent, sive ad necessitatem pauperum oppressorumque sublevandam, vel admonitionem omnium atque correctionem eorum, quorum excessus contigerit demonstrari congrua cum eodem Petro Subdiacono Sedis nostræ debeatis moderatione disponere*. Ex quibus verbis colligimus, quid hujusmodi Legatis, qui generalem legationem in aliquo regno, vel in una aut pluribus provinciis obeunt, permittatur: qui & Missi Apostolici quandoque vocantur.

Et quidem *Legationis*, *Missi & Missionis* in Ecclesiæ primordiis nota vocabula & munus. Nam & ipsi Apostoli se pro Christo *legatione* fungi profitentur, eorumque nomen, *Missos*, interpretari possumus; & quidem à latere Christi, ut ait eleganter Tertullianus *de Præscriptione adversus hæreticos cap.* 20. *Christus quid esset, quid fuisset, quam Patris voluntatem administraret, quid homini agendum determinaret, quandiu in terris agebat, ipse pronuntiabat, sive populo palam, sive discentibus seorsum: ex quibus, duodecim præcipuos lateri suo adlegerat destinatos nationibus Magistros*. Et paulo post. *Statim igitur Apostoli, quos hac appellatio Missos interpretatur*, &c. Eadem forma Episcopi Legati Christi, & Legatione pro Christo fungi, & Vicarii Christi, & Apostolici, & in locum Apostolorum successisse passim dicuntur. De qua Legatione ordinaria omnium Episcoporum intelligendus est *Canon si quis Dist.* XCIV. Qua nempe Apostolos & Episcopos pro Christo fungi docet B. Paulus *epist.* 2. *ad Corinth. cap.* 5. sicut & ad *eum Can.* recte Correctores Romani notaverunt: quamvis & Gratianus & Interpretes *d. Canonem* detorqueant ad Legatos SS. Pontificum contra mentem auctoris.

Quoniam autem constat omnes Ecclesias a Christo & ab ejus Apostolis primum constitutas, & ut soboles Ecclesiarum Apostolicarum & ipsas Apostolicas dici: omne enim genus ad originem suam censeri necesse est: ita etiam omnes sub uno Christo, capite, & per consequens ejus Vicario Petro & Petri successoribus, per varios tamen gradus & ordinationes, subditæ sunt: ad quos Petri successores omnium sollicitudo Ecclesiarum & cura debet pertinere. Quod immensum & prope infi-

infinitum officium cum per se Pontifices obire non valeant, vices suas partiri & dividere per plures Ministrorum, Legatorum & Delegatorum species coguntur. De Delegatis egimus supra: de Legatis igitur in *hoc tit.* in quo per tres Legatorum species potestatem suam & jurisdictionem majoribus auspiciis SS. Pontifices plenius exercuisse per universam Ecclesiam colligimus: quo jure in universa Ecclesia semper usos fuisse constat tam ex fide historiæ Ecclesiasticæ, quam ex Conciliis, non tantum generalibus, sed etiam Patriarchalibus totius alicujus regni vel plurium provinciarum, quibus sæpissime interfuisse & præfuisse Legatos Apostolicos ex eorum *actis* facile probari potest.

Tres autem species hujusmodi Legatorum numerantur. 1. Legati a latere: 2. Legati nati: 3. Legati, qui cum certis mandatis ad singularia negotia promovenda vice Pontificia mittuntur.

Primi & præstantissimi sunt Legati a latere, qui & Laterales dicuntur, idest qui ex latere & comitatu Pontificis & ex numero Cardinalium deliguntur a S. Pontifice, ut ejus vices & auctoritatem repræsentent, & in universos Episcopos, Archiepiscopos & Patriarchas eandem fere, quam SS. Pontifices, potestatem exerceant, & in omnibus cum Ordinariis concurrant. Et certe pleraque singularia eis tributa sunt, quæ non competunt reliquis Legatis: tandemque ordinariam potestatem habere definitum est a Clemente IV. in *cap.* 2. *de Officio Legati in* VI. quamvis olim ad certa tantum gravioris momenti negotia in provincias mitti solerent, v. g. in causis fidei potissimum, vel ad collapsam disciplinam reformandam, & observationem neglectorum Canonum restituendam, ad puniendos, deponendos vel restituendos Episcopos, vel ad graviores abusus qui invaluerant, & ab Ordinariis radicitus evelli non poterant, v. g. simoniacam labem, pluralitatem beneficiorum, fornicationem Clericorum, matrimonia incesta vel illicita Regum vel Magnatum dissolvenda: de quibus omnibus Legati Apostolicæ Sedis plenius & perfectius ut cognoscerent, solebant potestate sibi concessa convocare universalia Concilia, idest ex universis provinciis suæ Legationis. Nec tantum ad hujusmodi Legationes obeundas mitti solebant a SS. Pontificibus Presbyteri, Diaconi vel Subdiaconi Cardinales, vel de latere; sed etiam aliarum Ecclesiarum Episcopi, Presbyteri, Diaconi, vel Abbates & Monachi, quos maxime S. Pontifex idoneos & aptos ad id æstimabat. Sæpius autem hujusmodi Legatos mittere consueverunt in regna & provincias ad petitionem, vel saltem consensu Regum & Principum. Imo & ex ipsis regnis & provinciis hujusmodi Legati etiam sumebantur, qui apud Reges & Pontifices auctoritate, gratia & meritis prævalerent: quin & aliquando contigit ut frequentibus Legationibus uni & eidem Sedi continuatis a S. Pontifice sit exacta.

Secunda Legatorum species, qui vulgo *Nati* vocantur; quoniam non ratione personæ, sed ipsius Sedis jus Legationis in aliquibus provinciis consuetudinis quodam jure, & ex frequentibus SS. Pontificum concessionibus, sibi & suæ Ecclesiæ vindicare cœperunt, qualis in Anglia Episcopus Cantuariensis in *cap.* 1. *hoc tit.* in quo dicitur jure Legationis absque appellatione præcedente de universis Suffraganeorum suorum causis posse cognoscere. Quod tamen sit de universis causis, recte Glossa notavit, non

non intelligendum de causis Exemptorum, qui immediate subsunt Sedi Apostolicæ: de quorum causis licet Legati Nati non valeant cognoscere, possunt tamen cognoscere Legati a latere, qui ut diximus majorem habent auctoritatem.

Legati etiam ratione Sedis & Ecclesiæ suæ Nati in Gallia censentur: quorum quidem antiquissimus Arelatensis, cui vices suas primum Zosimus Pontifex summus commisit; nempe Patroclo Archiepiscopo Arelatensi, Hilarius Papa Leontio, Gelasius Æonio, Symmachus Cæsario Arelatensi, Vigilius Auxanio. Unde cum per plurium seriem Pontificum Arelatensibus Episcopis continuata fuisset Legatio Pontificia per plures annos, generali tandem concessione Pontificum jus perpetuæ legationis ipsi Sedi & Ecclesiæ Arelatensi fuit tributum & assignatum. Quam in rem notandæ sunt Epistolæ Gregorii I. *lib. 4. Epistola 5. ad Virgilium Episcopum Arelatensem*, 52. *ad Episcopos Gallicarum*, & 53. *ad Childebertum Regem*, ad cujus Regis petitionem & literas se vices suas Episcopo Arelatensi mandasse ipse Gregorius I. scribit, cujus hæc verba sunt. *Atque ideo fratri nostro Virgilio Arelatensis civitatis Episcopo vices nostras juxta antiquum morem, & excellentiæ vestræ desiderium, Deo favente commisimus; præcipue vero ad Simoniacam labem tollendam, & Neophytorum ad Episcopatum promotionem*. Et in fine. *Salutantes itaque Excellentiam vestram paternæ caritatis affectu petimus, ut cuncta, quæ fratri nostro præscripto & Coepiscopo fieri servarique mandavimus, favoris vestri præsidio compleantur*. Idem Gregorius Augustino Episcopo Anglorum *Responso* 9. cujus verba retulit Gratianus in *Can.* 3. xxv. *Causa qu.* 2. *In Galliarum Episcopos nullam tibi auctoritatem tribuimus, quia ab antiquis prædecessorum meorum temporibus pallium Arelatensis Episcopus accepit, quem nos privare auctoritate percepta minime debemus*. Quod & confirmatur in *Can.* 9. *eadem Causa & quæst.* desumpto ex *epist.* Gregorii *ad eundem Virgilium Arelat.* Ex *Can.* vero 5. & 6. *eadem Causa & Qu.* constat, hujusmodi Legationis jus solere concedi, servatis tamen dignitate, juribus & privilegiis Metropolitarum; quæ clausula solebat inseri in Rescriptis SS. Pontificum sive commissionibus, quibus Legati constituebantur. Nec tamen existimandum Arelatensis Ecclesiæ Legationem per universas Ecclesias diffusam fuisse, sed tantum septem provincias jure Legationis & Vicariatus Apostolici subjectas fuisse Archiepiscopo Arelatensi, quas Hincmarus in *Epist. 6. cap.* 17. recte recenset; si modo Lugdunensem provinciam excipias, quam male inter septem illas refert.

Septem vero illæ sunt, Viennensis, Narbonensis 1. & 2. Aquitanicæ 1. & 2. Alpes Maritimæ & Novempopulana.

Inter hujusmodi Legatos Natos Remensis Archiepiscopus memoratur: eaque dignitas Vicariatus & Legationis Apostolicæ collata fuit S. Remigio, adnitente Clodovæo I. ab Hormisda S. Pontifice: quod privilegium refert Hincmarus *epist. 6.* In quo privilegio hæc verba notanda: *manente privilegio Arelatensi Ecclesiæ in sibi antiquitus delegatis provinciis*. Ex qua *epistola 6.* præterea notandum novas hujusmodi Legationes Metropolitanis & Episcopis Galliæ exosas fuisse tanquam adversus antiqua privilegia Metropolitanorum: eamque in rem scripsit Hincmarus dictam *epist. 6.* adversus novam Ansegisi Senonensis Archiepiscopi Legationem, quam

quam Joannes VIII. ei per universas Ecclesias commiserat, favente Carolo Calvo: quam tamen Legationem irritam & inefficacem constans Episcoporum Galliæ & præcipue Hincmari contradictio constituit in Concilio Pontigonensi *tomo* 3. Concil. Galliæ.

De Legatis vero, qui a latere S. Pontificis mittuntur, & quorum frequentissima mentio, quod spectat: ad petitionem Regum nostrorum, vel saltem illis consentientibus sæpius missos fuisse a SS. Pontificibus constat. Sed etiam aliquando invitis Regibus nostris missi fuerunt, ut in specie *capit.* 7. *novit hoc tit.* cujus auctor est Innocentius III. qui Petrum quemdam Legatum miserat in Gallias, a quo in Viennensi civitate promulgata fuerat interdictionis sententia in Regnum Galliæ; adversus quam sententiam & Legatum per missos ad S. Pontificem procuratores conquerebatur Philippus Augustus; tum quia suspicionis causas adversus Legatum allegabat; tum etiam quia extra fines regni Galliæ sententia prolata fuerat adversus Galliam. Quas causas velut frivolas rejicit; suspicionis quidem, quia de veritate constabat; de loco vero in quo sententia lata fuerat, hac ratione quia Legationis potestas ultra fines regni, nempe in finitimis provinciis, Viennensi, Lugdunensi & Bisuntina fuerat concessa: & in Viennensi civitate sententia prolata fuerat. Certum est autem Jure Civili Magistratus in quocumque loco jurisdictioni suæ subjecto, intra territorium tamen & fines provinciarum vel civitatum sibi subditarum, cognoscere, sedere, & jus dicere posse, eisque obtemperari debere: extra quippe territorium tantum jus dicenti impune non paretur.

Nodus tantum ille solvendus, qui occurrit, quare tres illæ provinciæ extra fines Galliarum dicantur constitutæ: qui ex historiæ fide est exolvendus. Itaque sub Innocentii III. Pontificatu & Philippi Augusti Regno provinciæ Viennensis, Lugdunensis 1. Narbonensis 2. sive ut vulgo loquimur, Provincia, Bisuntina provincia, Alpes maritimæ, & Allobroges Regnum constituebant, quod vocatur Arelatense & Burgundiæ Transviranæ, distinctum & separatum a reliquis Galliarum provinciis; aliquot ante sæculis Bosone Rege primum constituto, Caroli Magni filio. Ultimus Regum Arelatensium Rodulphus, qui Conradum Salicum Germaniæ Imperatorem & Henricum ejus filium hæredem & successorem Regni Arelatensis reliquerat; cujus successores idem Regnum obtinebant tempore Innocentii III. ut constat ex *Historia Regum Arelatensium*, scripta a peritissimo rerum nostrarum Andrea du Chesne *lib.* 2. *&* 4. *Hist. Burgundiæ*.

Legati vero a latere in multis differunt ab illis Legatis, qui ratione loci & sedis legatione perpetua funguntur, & etiam ab illis, quibus non ratione loci, sed habita tantum ratione personæ, vel meritorum, vel utilitatis publicæ, & pro negotiorum qualitate in propriis provinciis ad tempus pro beneplacito Pontificis Legatio committitur, ut in *cap.* 8. *hoc tit.* & in *cap.* 6. *de præsumpt.*

Ex his omnibus constat speciem istorum Legatorum Natorum, seu ratione sedis minimam habuisse auctoritatem, & valde imminutam fuisse a Pontificibus; nempe ut aliorum Legatorum, quos pro arbitrio solent constituere, potestas amplificaretur. Constat enim Legatos Natos ne quidem ab-

ſolvere excommunicatos propter injectionem violentam manuum in Clericos, licet ſibi ſubditos & in provincia ſua exiſtentes. Legati vero ad tempus, etſi non ſint a latere, poſſunt in provinciis Legationis ſuæ in eodem caſu abſolvere; eos tamen qui ſunt ex ejuſdem Legationis provinciis, non autem qui extra. At Legati a latere pleniſſime eos abſolvunt & in ſua provincia exiſtentes & ex eadem vel aliis provinciis, ſive excommunicati deprehendantur in finibus ſuæ Legationis, ſive extra eas *cap.* 4. *&* 9. *hoc tit.* Diximus *extra fines Legationis :* quoniam ſtatim atque Legati a latere ex urbe Roma receſſerint, etiam in itinere ſumunt inſignia ſuæ Legationis tam eundo quam redeundo : voluntariam juriſdictionem habent ; contentioſam non habent, niſi in ſuæ provinciis Legationis. Quod ad ſimilitudinem Proconſulum Legatis a latere conceſſum viri docti notant & Gloſſa obſervat ad *cap.* 9. *hoc tit.* Præterea Cardinales a latere conferre vel reſervare beneficia, quamdiu nempe reſervationes locum habuerunt ; liberas & ſimplices reſignationes admittere, & conferre poſſunt etiam ſpreto & inconſulto Patrono Eccleſiaſtico *cap.* 6. *hoc tit. &* cap. 1. *hoc tit. in* VI. non tamen inconſulto Patrono Laico *cap. Cum dilectus de jure patronat.* Quæ omnia reliquis duabus ſpeciebus Legatorum non competunt. Ad hæc præſente Legato a latere, & quamdiu in provinciis Legationis ſuæ verſabitur, reliqui Legati in iiſdem provinciis executionem officii ſui debent dimittere *cap.* 8. *hoc tit.*

Ex prædictis colligitur ampliſſimam & pleniſſimam eſſe poteſtatem Cardinalium Legatorum a latere : quod & initio *hujus tit.* indicavimus ſtatim ex *cap. ult.* §. *ult. præcedentis tit.* Nihilominus tamen plura in ſignum poteſtatis ſupremæ Pontifices ſibi reſervarunt, quæ eorum Legatis a latere non competunt, niſi ſpecialiter & nominatim in eorum facultatibus & mandatis a Pontifice conceſſa ſint, qualia ſunt transferre Epiſcopos aut Archiepiſcopos, duos Epiſcopatus unire, aut alteram Sedem Epiſcopalem alteri ſubjicere, vel unum Epiſcopatum in duos dividere, novos Epiſcopatus, Archiepiſcopatus, aut Primatias inſtituere, Epiſcopos deponere, & quædam ſimilia, quæ adnotantur ad *cap.* 3. *&* 4. *hoc tit.* ad quæ Gloſſa & Interpretes plurima ſingularia notant, quæ non competunt Legatis in vim generalis Legationis, ſed opus eſt licentia ſpeciali Pontificis : ideoque ex hujuſmodi cauſis ſingularibus Pontificibus reſervatis, Pontifices ſolent vel plures vel pauciores ſuis Legatis committere ſpecialiter, quatenus gratia vel auctoritate apud S. Pontificem prævalent, eaſque exprimere ſolent in mandatis vel facultatibus, quas Legatis tradere ſolent. Et ut Jure Civili ex mandatis Principum officium Rectorum provinciarum cognoſci ſolet, & ſæpius in eorum auctoritatem a Juriſconſultis recitari ſolent : ita etiam ex variis facultatibus, ſive Mandatis & Commonitoriis Legatorum Pontificiorum, eorum munus, auctoritas & poteſtas qualis ſit deprehenditur : & ipſi SS. Pontifices ſecundum ſimilia plura mandata jus certum & perpetuum ſolent conſtituere *cap.* 4. *hoc tit.* quæ mandata Legati non debent excedere. Et ut uno verbo concludamus, ex mandatis Apoſtolicis definienda eſt & metienda Legatorum poteſtas : quod & Gloſſa notavit *cap.* 1. *hoc tit.*

Poſtremo communia quædam Legatorum omnibus ſpeciebus ſervanda ſunt : ut omnes Legati ordinariam poteſtatem habere intelliguntur, ita ut per obi-

obitum S. Pontificis qui eos misit, non expiret eorum Legatio *cap. 2. de Officio Legati in* VI. itemque statuta vel decreta a Legatis Apostolicis in provinciis sibi commissis edita vel confirmata, eorum Legatione finita, durant & sunt perpetua. Delegatio tamen causarum ab eis facta, nisi partium citatio delegati Judicis auctoritate præcesserit ante finitam Legationem, expirabit finita Legatione *cap. ult. hoc tit.*

Quod vero diximus ex *cap. novit hoc tit.* Legatos Pontificios in quocumque loco suæ Legationis tribunal constituere & jus dicere posse, etiamsi causæ, de qua agitur, origo & quæstio in aliis provinciis ejusdem Legationis exorta fuerit, vel etiam executio ad alias provincias ejusdem Legationis pertineat: moribus nostris sic accipiendum, ut si locus in quo tribunal habet & cognoscit, sit extra territorium, & ut loquimur, districtum vel ressortum Parlementi, in quo & partes constitutæ & causa exorta fuerit, Legatus teneatur Judices delegare, qui in eo districtu judicent. Quod annotavit Rebuffus in *Concordatis tit. de Frivolis appellat.* §. *Si quis vero.* Qua de re plenius etiam diximus in *tit. de Officio Judicis Delegati*.

Commune hoc etiam omnibus Legatis, ut in Legatione Pontificia speciali mandato possit S. Pontifex & ante & post Legationem causas committere & delegare: nec poterit Legatus impedire hujusmodi Delegatorum jurisdictionem, nisi nominatim hoc ei concedatur a S. Pontifice. Itemque ex quo Legati ad S. Pontificem de aliqua causa semel retulerint, & ad ejus examen & judicium transtulerint, de ea causa amplius cognoscere non possint *cap. 5. hoc tit.*

Utrum vero & quando expediat potius Legatos a latere Cardinales Italos, vel ex alia gente in alias provincias mittere; an potius expediat in iisdem provinciis non extraneos, sed ejusdem gentis & nationis Legatos constituere, & quales: proponemus duorum doctissimorum virorum & piissimorum sententiam, Ivonis Carnotensis & Bernardi Claravallensis. Et quidem Ivo Carnotensis in *epist. 109. ad Paschalem II.* ait. *Interest enim Capitis membrorum imbecillitatibus providere, & pro valetudinum qualitate vel quantitate congrua remedia procurare. Cum enim a latere vestro mittitis ad nos Cardinales vestros tanquam filios uterinos; quia in transitu apud nos sunt, non tantum non possunt curare, sed nec curanda prospicere: inde est quod multi Præpositorum facta gladio linguæ ferire cupientes, dicunt Sedem Apostolicam non subditorum quærere sanitatem, sed suam aut lateralium suorum quærere commoditatem. Unde ego & quidam Conregionales nostri hoc murmur non æquanimiter accipientes, utpote Romanæ Ecclesiæ filii unanimes, decrevimus scribere Sanctitati vestræ, ut alicui Transalpino Legationem Sedis Apostolicæ injungatis, qui & vicinius subrepentia mala cognoscat, & ea vel per se vel per relationem ad Sedem Apostolicam maturius curare prævaleat, &c.* Et Bernardus *lib. 4. de Considerat. ad Eugenium cap. 4. 6. & 7.* in quibus describit, quales debeant esse Cardinales, & quid ad eos pertineat qui Legati sunt mittendi: *Qui Legatione pro Christo fungi, quoties opus erit, nec jussi renuant, nec non jussi affectent: qui quod verecunde excusant, obstinatius non recusent: qui missi post aurum non eant, sed Christum sequantur: qui quæstum legationem non æstiment, nec requirant datum sed fructum: qui*


 Regi-

Regibus Joannem exhibeant ; Ægyptiis Moysem ; fornicantibus Phinees ; Heliam idololatris ; Elisæum avaris ; Petrum mentientibus ; Paulum blasphemantibus ; negotiantibus Christum : qui vulgus non spernant, sed doceant ; divites non palpent, sed terreant ; pauperes non gravent, sed foveant ; minas Principum non paveant, sed contemnant : qui non cum turba intrent, ne cum ira exeant : qui Ecclesias non spolient, sed emendent : qui marsupia non exhauriant, sed corda reficiant & crimina corrigant ; famæ provideant suæ, non invideant alienæ, &c.

A Legatis vero Apostolicis distinguendi sunt Apostolici Nuntii, qui & Apocrisiarii sive Responsales sanctæ Sedis solent appellari. Isti omnino nullam habent jurisdictionem, sed ad similitudinem reliquorum Principum Oratorum perpetuæ moræ causa in Aula & Comitatu Principum versantur, fovendæ & retinendæ pacis & amicitiæ causa inter S. Pontificem & Reges.

Postremo notandum moribus nostris nec facile nec semper Legatos Apostolicos a latere Galliam admisisse, contradicentibus Regibus & Episcopis ; quia per hujusmodi legationes juribus Ordinariorum, & aliquando Regni statui publico derogatur : Ideoque a SS. Pontificibus in Galliam non mittuntur, nisi ad petitionem Regum nostrorum vel eorum consensu præcedente, examinatis & excussis antea Legatorum mandatis & facultatibus tam ab ipso & ejus proceribus, quam a suprema Curia, & adductis multis restrictionibus, limitationibus & modificationibus hujusmodi facultatum, quas solent hac solemni forma concludere : *Dummodo per eas facultates nihil expresse vel tacite adversus Decreta & Canones Conciliorum Generalium, Edicta & Ordinationes Regum nostrorum, jurisdictionem Magistratuum, privilegia Ecclesiæ Gallicanæ & Universitatum innovetur aut fiat.* Plura qui scire volet, adeat *Tomum* 2. *Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ cap.* 23. Ex quibus omnibus constat Legatorum a Latere in Galliam precariam & extraordinariam potius quam ordinariam esse potestatem.

AD



AD LIB. I. DECRET.

TITULUM XXXI.

De Officio Judicis Ordinarii.

UT plurimum in Jure Civili Judices Ordinarii vocantur Præsides provinciarum, qui ex ordine Clarissimorum eliguntur, & quidem ex inferiori ordine Clarissimorum, ad differentiam Spectabilium & Illustrium, ex quibus Proconsules, Præfecti prætorio, Comites Orientis, Præfecti Urbi deligebantur: qui dignitate præcedebant & ordine Ordinarios, ut notavit D. Cujacius ad *Novell.* 20. & in *Paratit. Cod. de Officio Rectoris provinciæ.*

In Pontificio vero jure alio sensu Judices Ordinarii vocantur: opponuntur nempe Judicibus delegatis & Legatis S. Pontificis, qui ex delegatione & mandato vices S. Pontificis gerunt; cujus S. Pontificis ratione habita, quem repræsentant, dicuntur esse majores Ordinariis, quatenus scilicet repræsentant S. Pontificem tantum, & in eo articulo, in quo S. Pontificem repræsentant. Quare Ordinarios ex iis, quæ diximus, definire generaliter possumus Prælatos, qui ex ordine Ecclesiastico ad Dignitates Ecclesiasticas promoventur, & quibus jure suo, idest per consequentias Dignitatis competit jurisdictio & præeminentia in Ecclesia. Quamvis enim dixerimus in *tit. superiori*, Legatos Pontificios Ordinariam potestatem habere, & vocari Ordinarios: præterquam quod nova est illa constitutio, & contra Jus vetus & communem Interpretum sententiam a Clemente IV. in *cap.* 2. *de Officio Legati in* VI. introducta primum; solent tamen non absolute, sed cum adjunctione appellari *Ordinarii ex Delegatione S. Pontificis*: cæteri vero proprie & absolute Ordinarii dicuntur, vel Ordinarii locorum, ut appellantur in *cap.* 3. *de Officio Ordinarii in* VI.

AD CAP. I.

DEsumptum est *hoc cap.* ex Synodo Joannis IX. inchoata primum Romæ, deinde translata Ravennam & absoluta anno Christi 904. sicut notavit doctissimus Baronius ad *eundem annum* Christi *numero* 2. 3. 4. & 12. ubi etiam primus retulit ex *Codice* Antonii Augustini. Inter Canones autem 12. continet integrum hoc nostrum *Capitulum*; ex quo supplendum principium, quod deest, hujus *cap.* 1. *Perniciosa inolevit consuetudo, ut Judex publicus vel Minister, quæ ab Episcopis sunt inquirenda, quibus animarum sollicitudo commissa est, quasi inquirenda vendant, & ea occasione licenter vita scelesta augmentetur*, &c. Ex quibus verbis vera sententia hujus *capit.* elicitur, quam non viderunt Interpretes, qui restrin-

restringunt hoc *cap.* ad crimina Ecclesiastica tantum, quamvis generaliter de omnibus criminibus Canon manifeste loquatur, sive commissis ab Ecclesiasticis, sive a Laicis, in quos animadvertendi secundum quod Canones jubent, idest censuris & pœnis Ecclesiasticis coercendi perpetua fuit jurisdictio Ecclesiæ, convocatis etiam aliquando in inquirendo & coercendo Ecclesiæ senioribus: eademque de causa in Synodis instituti observatores & testes, qui in mores fidelium inquirerent, eosque denuntiarent, qui graviora crimina sæpius committerent: unde & testes Synodales appellati *Can. Episcopus* xxxv. *Qu.* 6. & *cap. præterea de testibus cogendis*.

Illa igitur inquisitio & correctio omnium criminum & pœnæ impositio secundum Canones competit Episcopis jure divino: nec debent per Judices publicos, idest sæculares impediri. Quinimo potius adjuvare & adesse debent auxiliumque impertiri Judices sæculares, quoties ab Episcopis rogantur, ut reprimant contumaciam & pervicaciam potentiorum, qui sæpe censuras Ecclesiasticas negligere solent: de qua advocatione Judicis sæcularis hoc caput notandum est. Maxime vero in Conciliis Galliæ & in *Capitularibus* Regum nostrorum sæpius injungitur Magistratibus, ut adjuvent & opem ferant Episcopis & aliis Prælatis adversus eos, qui interdicta, suspensiones & excommunicationes jure & legitime prolatas, temere atque procaciter contemnunt.

AD CAP. II. ET III.

PErtinent etiam ista duo Capita ad jurisdictionem tam Episcoporum quam aliorum Prælatorum in puniendis criminibus, & ad ordinem & formam tam instituendi Judicii quam exequendæ sententiæ. Inscriptio autem *cap.* 2. male vulgo concepta est, & tribuitur Eugenio Papæ. Auctorem quippe Alexandrum III. habet: quare sic restituenda est. *Alexander III. Norvicensi Episcopo*, ut constat ex *collectione quadam plurium constitutionum* SS. Pontificum, quæ subjici solet in *tomo* 4. Conciliorum post Concilium Lateran. habitum sub Alexandro III.

Capitulum autem 3. *hoc tit.* scriptum est Episcopo Florentino, a quo ordiemur: continet enim Jus commune antiquum universæ Ecclesiæ, quod est hujusmodi. Et censuræ & excommunicationes a quolibet Prælato quamvis inferiori latæ, non infringantur & relaxentur a superiori, nisi adhibito consensu Prælati, qui protulit sententiam, & satisfactione præcedente, ne nervus disciplinæ Ecclesiasticæ debilitetur. In dicto *Capit.* 3. deciditur, sententiam interdicti & excommunicationis a Plebano sancti Pancratii, tam in Clericos quam in Laicos prolatam, non posse Episcopum Florentinum, cui dictus Plebanus suberat, relaxare inconsulto Plebano. Ex quo *Capit.* colligitur Plebanos temporibus Alexandri III. habuisse jurisdictionem in Parochos vel Clericos & Laicos. Unde merito inter Prælatos Ecclesiæ & inter Ordinarios referuntur *hoc tit.* Inde & Ecclesiam regere & tanquam Prælatus Ecclesiæ & plebi præesse dicitur Plebanus *Can. Presbyteri* xcv. *Dist.* & *cap. tua nos infra de Clericis ægrotantibus*. Excommunicationis autem sententia non potest nisi

nisi post primam & alteram monitionem proferri; ita ut secunda adhibitis testibus fiat secundum verba Matthæi *cap.* 18. & Lucæ 17. & causa cognita, quæ magno cum pondere pronuntianda est: ubi vero prolata fuerit, servanda est non tantum ab eo, qui eam protulit, sed etiam a superioribus Prælatis: & vel remittendus excommunicatus ad inferiorem, qui eum excommunicavit, ut satisfactione præcedente ab eo absolvatur; vel saltem si ex mora periculum immineat, absolvatur a superiori, & si fieri possit, cum inferioris consensu, qui eum excommunicaverat *Can.* 2. 4. 40. & 73. XI. *Quæst.* 3. & *cap.* 48. *sacro*, *de Sent. excommunic.*

Caput vero secundum promulgatum fuisse videtur ad conciliationem *Canonis* 2. & 3. *Causa* VI. *Quæst.* 2. in qua decisione sequitur Alexander sententiam *Can.* 3. *placuit*, cujus est hæc sententia. In occultis criminibus, ut si Episcopus pro certo noverit extra confessionem, v. g. si deprehenderit aliquem in delicto; vel si ex confessione eum conscium alicujus criminis esse sciat; vel si ab alio accusatus fuerit, nec possit certis testibus & legitimis probationibus convinci: non potest nec debet Episcopus aut alius Prælatus eum removere a communione Fidelium, sed tantum si nolit emendare quod fecerit, eum privatim admonere & corripere. Nihil enim absque legitimo & idoneo accusatore temere fieri debet, & ut loquitur Eleutherius Pontifex, *Nil absque legitimo & idoneo accusatore judicandum est. Nam & Dominus noster J. C. Judam sciebat furem esse & proditorem; sed quia non est accusatus, ideo nec est ejectus*. Et Isidorus in *præfatione Collectionis Canonum*. Plerique boni Christiani propterea tacent & portant aliorum peccata, quæ sciunt; quia documentis deseruntur sæpe, quibus ea quæ ipsi sciunt Judicibus Ecclesiasticis probare possint: quoniam licet vera sint quædam, non tamen a Judicibus credenda sunt, nisi quæ certis judiciis demonstrantur; nisi quæ manifesto judicio convincuntur, nisi quæ judiciario ordine comprobantur.

AD CAP. IV.

PErtinet *hoc cap.* ad Ordinationes Ecclesiarum, in quibus jus Patronatus Laicis vel Ecclesiasticis Patronis competit. Inter reliqua vero Patronatus jura præcipuum illud est, ut vacante Ecclesia aut alio quolibet beneficio, jus præsentandi aut nominandi Clerici habeant Patroni: quem, si fuerit idoneus, coguntur admittere & instituere Episcopi vel alii Prælati, ad quos institutio & collatio de jure competit. Quæ collatio quamvis necessaria vocetur, potest tamen Episcopus rejicere Clericum non idoneum vel irregularem, aut qui Canonibus prohibetur obtinere Ecclesiastica Beneficia. Quin etiam & aliquando contingit Episcopos justis ex causis rejicere hujusmodi præsentationes; quod eis non constat de jure præsentantis, utrum sit Patronus nec ne. Ex quibus causis sæpissime graves & diutinæ lites exoriuntur inter Episcopos & Patronos: & interim detrimentum Ecclesiis vacantibus & destitutis suis Ministris gravissimum affertur: quibus in *hoc cap.* obviam ivit S. Pontifex, constituens ut medio tempore, idest lite pendente, Ordinarii possint Oeconomos constituere; qui quidem appellatione remota percipiant fructus & reditus omnes, eosque aut in utilitatem Ecclesiæ impendant, ad cultum nempe divinum & exhi-

exhibenda Sacramenta interim in Ecclesia vacante; aut futuris personis reservent, ut loquitur *hoc cap.* idest ei qui superior declarabitur; futuro Plebano aut Rectori Ecclesiæ. In hoc enim jure Personæ Ecclesiarum vocantur, qui alibi Rectore, Plebani sive Parochi.

Observandum tamen jure nostro non licere Episcopis in præjudicium Patronorum Laicorum quidqoam constituere, quod ad fructus vacantis Ecclesiæ pertinet; sed ad Judices publicos, idest sæculares recurrendum: & tantum Episcopis licere interim Ecclesiæ vacanti providere circa ea, quæ ad cultum divinum pertinent, constituto inibi Presbytero, qui interim de reditibus Ecclesiæ sustentetur.

AD CAP. V.

PErtinet *hoc cap.* ad subreptitias absolutionis literas, quas a Sede Apostolica emendicare solebant, qui censuras Ecclesiasticas incurrerant propter gravissima crimina; & tamen reportabant a Sede Apostolica literas absolutionis generaliter conceptas, sicut constat ex *integra Decr. in prima Collect. continentes tantum auditis confessionibus eos absolutionis beneficium meruisse*, non expressis nec additis nominatim causis, propter quas absolutionem meruerant. Quare merito suspectas habebant Episcopi hujusmodi literas Apostolicas, tanquam suppressa veritate per fraudem elicitas. Injicierat tamen scrupulum Episcopis reverentia, quæ debetur literis Apostolicis. Quare in hoc dubio Archiepiscopus Cantuariensis Sedem Apostolicam consulit: cui respondet Alexander III. cum distinctione. Si constet Episcopo, non expressa vera causa, impetratam fuisse a S. Pontifice absolutionem per subreptionem & dolum: eo casu poterit Ordinarius per Censuras Ecclesiasticas remittere impetrantem ad S. Pontificem, datis ei literis, quæ contineant relationem totius negotii; sicut in simili specie *cap. 2. supra de Rescriptis* remittitur falsarius ad Sedem Apostolicam. Quod si non liqueat Episcopo, sed suspicionis tantum causas habeat, graves tamen, quibus merito patet, comparata satisfactione vel pœnitentia cum gravitate delicti, non fuisse expressam veram causam & delictum admissum: eo casu, ut loquitur, *compellere debet impetrantes exinde coram se purgationem præstare, quod veritatem Pontifici confessi fuerint*. Sic enim naturaliter restituendus facilitati suæ ordo perplexus verborum ultimorum *hujus Capituli*, & tollenda particula (*Si*) quæ etiam deest in *antiqua Decretali*. Sensus autem verborum hic est: in casu gravis suspicionis indicendam esse ab Episcopo purgationem canonicam; in qua jurare debet impetrans, adhibitis conjuratoribus, sive sacramentalibus ordinis sui; ipse quidem reus se bona fide expressisse crimen, de quo agitur, Pontifici: conjuratoribus autem, quos adhibet, & qui cum eo simul jurant, alia formula juramenti adhibetur. Non enim præcise jurant, reum, cui assistunt, confessum fuisse Pontifici crimen, de quo agitur; nec enim absentes de alterius facto liquido jurare possunt; sed tantum credere se, eum qui jurat verum affirmare. Numerus autem hujusmodi Conjuratorum vel major vel minor secundum qualitatem negotii & Judicis arbitrium statuebatur: & præterea non quilibet compurgatores adhibebantur, sed bonæ famæ & honestæ vitæ, qui cognitionem habebant Rei principalis. Et hæc est quæ voca-

vocatur canonica purgatio, de qua agitur *toto tit. de Purgatione canonica*.

Observandum vero dubitationem, super qua rescribit Alexander III. in *hoc capitulo*, hodie cessare & fuisse sublatam omnino ab Innoc. III. qui talem absolutionis formam constituit in posterum in *cap. 37. de Sententia excommunicationis*, ut in literis absolutionis exprimatur nominatim causa. Vel si plures sint, omnes exprimendæ sunt; alioquin si aliqua fuerit omissa, poterit Episcopus propter omissam censuris Ecclesiasticis impetrantem punire.

AD CAP. VI.

SPecies Capituli ita proponi potest. Ordinarii ac Diœcesani solent ex officio sententias excommunicationis aliquando proferre in eos, qui cum publico scandalo absque dispensatione nefarias & incestas nuptias publice contrahunt. Hujusmodi autem excommunicati solebant confugere ad Sedem Apostolicam, & ab ea Judices impetrare, qui de causa cognoscerent. Judices autem per fraudem obtinere consueverant, qui in remotioribus locis degerent: & in literis Apostolicis solebat addi clausula absolutionis vulgaris, per quam absolvebantur ab excommunicatione Diœcesani: quæ vulgaris clausula vocatur *absolutio ad cautelam*; ut scilicet beneficio absolutionis legitimam personam standi in judiciis haberent, quam non habent excommunicati. Et hæc clausula in omnibus fere Rescriptis inseri solet: de qua vide *cap. 15. & 52. extra de Sententia excommunic. & cap. 2. eodem tit. in VI.* Propter autem longitudinem itineris nec Delegati Judices in causa procedebant per malitiam vel negligentiam, nec testes commode poterant exhiberi. Quare ut obviam eatur hujusmodi fraudibus, permittit S. Pontifex, ut Ordinarius renovet primam sententiam excommunicationis; quam tulerat, eaque tandiu obligatos teneat impetrantes rescriptum, donec cognitio litis serio suscipiatur, & ad exitum perducatur. Et hic casus valde notandus, quo permittitur Ordinario defectum, fraudem vel negligentiam supplere Judicis delegati a S. Pontifice: quamvis docuerimus *tit. de Officio juris Delegati*, regulariter Delegatum a S. Pontifice in causa delegata majorem esse Ordinario.

AD CAP. VII.

SCriptum est hoc Caput ad Archiepiscopum Auxitanum: Ausciorum enim civitas est Metropolis Novempopulaniæ in Vasconia. Ad Metropolitanum itaque Auxiorum rescribit S. Pontifex ad coercendos Monachos & Canonicos Regulares, qui contempta regula & neglectis Superiorum suorum, Abbatum & Priorum mandatis, collecta pecunia ex reditibus Obedientiarum & Prioratuum, per aulas Principum & Magnatum vagabantur, nec redire ad Monasteria & Claustra curabant, & contumaciter Superiorum, qui eos revocabant, mandata & præcepta negligebant, muneribus sibi gratiam & favorem Potentum conciliantes, & negotiis sæcularibus se se immiscentes: ut ita terrorem & metum

Abbatibus & Prioribus propriis injicerent. Quibus injuriis vindicandis cum pares non essent Abbates & Priores; & praeterea per universam illam provinciam late diffunderentur illi abusus: S. Pontifex ad excessus hujusmodi reprimendos mandat Archiepiscopo, ut commoneat hujusmodi delinquentes Monachos & Regulares, ut si quid habeant proprium, juxta Canones in manibus Praelatorum suorum resignent, & dimittant in utilitatem Monasterii impendendum, & deinceps regularem vitam observent. Quod si id exequi neglexerint Abbates post commonitionem Archiepiscopi: tunc poterunt Archiepiscopi supplere negligentiam Abbatum & Superiorum, & hujusmodi Canonicos Regulares vel Monachos ad restitutionem per suspensionem officii & Beneficii compellere, etiam appellatione remota: adeo ut non obstante appellatione ad Sedem Apostolicam suspendantur ab officio & beneficio, & in sua claustra retrahantur tanquam fugitivi. Ex quo *cap.* colligimus, immorigeros & vagantes Monachos & Canonicos Regulares post monitionem redire differentes, vel quid habentes proprium, si negligat Abbas vel Superior post Episcopi admonitionem coercere & in ordinem redigere, ab Episcopo posse ab omni officio & beneficio suspendi, non obstante appellatione.

AD CAP. VIII.

AD Ecclesiasticam disciplinam firmandam & censuras roborandas pertinet *hoc cap.* Jure enim antiquissimo Ecclesiae, sicut constat ex *Can.* 5. Concilii Niceni & *Can.* 12. & 13. *Apostolorum*, qui ab Episcopo, Plebano, Archidiacono vel quolibet alio Judice Ecclesiastico censuris Ecclesiasticis fuerit illigatus, non debet ab alio Superiore Ecclesiastico absolvi; sed ad eum remittendus est, qui excommunicavit, ut ei satisfaciat, & postea ab eo absolvatur. Quod si tamen excommunicatum nolit per contumaciam absolvere is, qui primo eum excommunicavit, poterit ad Superiorem redire, apud quem si probaverit manifeste, se ex causa injusta excommunicatum fuisse, eum absolvet: qui si deficiat in probatione, Superior ita eum absolvet, ut prius juramento adhibito eum astringat cavere, se satisfacturum vel Episcopo vel alteri Ordinario, qui prius eum excommunicaverat. Quod si contra fidem juramenti non satisfaciat, iterum a Metropolitano, qui eum absolverat, in excommunicationis censuram erit reducendus, ut discat sententiis a proprio Episcopo & Praelato prolatis obtemperare. Secundum eam regulam rescribit Innocentius III. excommunicationis sententiam a Lexoviensi Episcopo prolatam non tantum a Rothomagensi Archiepiscopo, sed etiam a reliquis Suffraganeis ejusdem provinciae servandam esse: quinimo etsi appellatum ad Rothomagensem Archiepiscopum tanquam Metropolitanum, remittendum tamen esse ab eo appellantem ad Lexoviensem Episcopum, qui prius eum excommunicaverat, ut ab eo absolvatur. Quod si recuset, tunc Rothomagensis Archiepiscopus, si liquido probaverit injustam esse excommunicationem, eum pure & absolute absolvet: si vero non probaverit injustam, tunc non pure absolvet, sed sub hac conditione, ut juramento adhibito promittat, se suo Episcopo satisfacturum, qui eum juste excommunicaverat.

Quod

Quod si non satisfaciat, reducet absolutum & minime parentem & satisfacientem in excommunicationem pristinam.

AD CAP. IX.

Vera inscriptio hujus Capituli sic restituenda est: *Tyrensi Archiepiscopo*, qui cum antea subjectus esset Patriarchatui Antiochiæ, postea Patriarchæ Hierosolymitano fuit attributus in gratiam regni novi Hierosolymitani, quod ab Occidentalibus Principibus ereptum fuerat Saracenis & infidelibus: adeoque ut major pariter honor exhiberetur Ecclesiæ Hierosolymitanæ, quæ titulo Patriarchatus multo antea fuerat honorata, ei præterea fuit de novo Tyrensis Archiepiscopatus assignatus, jure tamen Patriarchico; idest servato Tyrensi Archiepiscopo in provincia sua Phœnicia jure Metropolitico: quod jus etiam legibus Ecclesiæ omnibus Metropolitanis competit *Can. 6.* Concilii Nicæni. Adversus tamen jus illud Metropoliticum Patriarcha Hierosolymitanus præsumebat cognitionem causarum, quæ in Diœcesi Tyrensis Archiepiscopi fuerant exortæ, & quidem, ut loquuntur, in prima instantia; quamvis jure appellationis tantum, idest post appellationem a Metropolitano Tyrensi interpositam, possit Hierosolymitanus Patriarcha tam de causis subditorum immediate ipsi Archiepiscopo Tyrensi, quam ejus Suffraganeorum cognoscere, non autem omisso medio statim & in prima instantia. Ea est enim regula certa, ut Primates vel Patriarchæ præ cæteris Episcopis nihil juris habeant, nisi quantam sacri Canones vel antiqua consuetudo eis concesserit: eaque in rem Nicænam Synodum citat *hoc Capitulum*. Intelligit vero dictum *Canonem 6.* Synodi Nicænæ.

Sententia autem & verba *hujus cap.* desumpta sunt ab Innocentio III. ex *Can. 8. Conquestus* 1x. *Quæst.* 3. in quo *Can.* eadem fere species refertur, quæ in hoc nostro *cap.* & additur, ut & in *nostro cap.* in fine, *præterquam si Apostolica Sedes aliquam Ecclesiam vel ipsius Rectorem quolibet speciali privilegio decreverit honorare*. Aliquando enim contingit, ut vel in gratiam personæ concedat S. Pontifex Patriarchis vel Primatibus, ut de certis causis per universum suum Patriarchatum etiam in 1. instantia cognoscant; ut & supra diximus in *cap. 7. hoc tit.* concessum Auxitano Archiepiscopo, ut per universam provinciam Novempopulaniæ universos Monachos vagos & fugitivos coerceret, idest etsi in Episcopatibus Suffraganeorum suorum deprehenderentur: vel etiam aliquando ipsi Sedi privilegium attribuitur; cujus rei exemplum insigne habemus in *cap. 1. de Officio Legati*, in quo de causis subditorum, qui sunt in Diœcesibus Suffraganeorum suorum per universam provinciam Cantuariensem, etiam in 1. instantia & per querelam Cantuariensis Archiepiscopus Legationis jure cognoscit. Sedes enim Cantuariensis non tantum Metropolitico, sed etiam perpetuæ Legationis Apostolicæ jure donata fuit a SS. Pontificibus.

His vero privilegiis cessantibus jus commune servandum est, quod est hujusmodi: ut Episcopus de causis subditorum suorum cognoscat, & ut nisi post appellationem Metropolitanus de illis non possit cognoscere: iterum ut a Metropolitano possit appellari ad Primatem vel Pa-

 triar-

triarcham. Sed absque appellatione a Metropolitano facta, non poterit Primas vel Patriarcha, omisso medio, de causis subditorum Suffraganeorum, nec de ipsis Suffraganeorum causis; & multo minus de subditis ipsorum Metropolitanorum ante appellationem cognoscere: quod nominatim in *hoc cap.* constituitur.

Ex hoc præterea *cap.* recte vulgo Interpretes colligunt, tres esse modos acquirendæ jurisdictionis; vel Lege, idest Canonibus Conciliorum Generalium; vel longa, antiqua & indubitata consuetudine, idest legitime præscripta; vel etiam privilegio & speciali concessione a S. Pontifice eam acquiri.

AD CAP. X. XI. ET ULT.

PErtinent *hæc cap.* 10. & 11. ad jurisdictionem & auctoritatem Metropolitanorum. Et quidem in 10. definitur, Consecrationis potestatem, quæ Metropolitanis jure proprio competit in Suffraganeos suos jam electos, posse mandari atque committi a Metropolitano alicui Suffraganeorum ejus: præsertim si Archiepiscopus infirmitate vel alia justa causa prohibeatur, ut in *hac Decretali* nominatim respondet Innocentius III. Unde quæritur ab Interpretibus, utrum hujusmodi causis cessantibus, possit libere delegare & mandare Metropolitanus consecrationem suorum Suffraganeorum. Difficultatem movebat quod maximi momenti sit Episcopi consecratio, per quam plenam dignitatem Episcopalem, & integram consequitur, & per quam ea quæ sunt Ordinis incipiunt ei conferri; cum ante consecrationem licet electus fuerit, habeat tamen ea tantum quæ sunt jurisdictionis, *cap.* 2. *de translatione Episcopi & cap. quod sicut* 28. §. *super eo supra de electione*. Respondendum tamen videtur, quoniam auctoritas consecrationis Metropolitanis jure proprio competit ex antiquis Canonibus, more Majorum comprobatis, qui referuntur a Gratiano in *Dist.* XCIV. non autem ex speciali aliqua concessione posse mandare & committere uni ex Suffraganeis, quoties ei visum fuerit; quod etsi qnid speciali concessione datum fuerit, delegari tamen posse aliquando permittatur, ut in *cap. ult. hoc tit.* Quod *capitulum* pertinet ad interpretationem *Can.* 29. celeberrimi, *Si quis suadente diabolo* XVII. *Qu.* 4. qui desumptus est ex *Can.* 15. Concilii Generalis Lateran. sub Innoc. II. an. 1239. in quo statutum est, ut si quis Clericum vel Monachum percusserit, statim ipso facto subjaceat anathematis vinculo: & hoc est quod ait dictum *cap. ultimum*, *incidunt in Canonem promulgatæ sententiæ*, idest ipse Canon videtur protulisse sententiam excommunicationis: nec expectanda est alia sententia.

Absolutio vero ab hac excommunicatione reservatur soli Pontifici, a quo præsens percussor eam impetrare debet. Quoniam autem durior est hæc pœna, sæpius posteriorum Pontificum Constitutionibus variis fuit temperata: quæ Constitutiones diligenter notantur a Glossa ad dictum *Can. Si quis suadente diabolo*: quibus & addere *hoc cap.* debemus, in quo dicitur, ex speciali concessione his, quibus ex officio concessa fuerit a S. Pontifice absolutio pro manuum injectione in Clericos & Monachos, v. g. Episcopis & aliis Ordinariis in certis casibus, numeratis

in

in *cap. Mulieris*, *cap. de Monialibus*, *cap. Quod de his*, & *cap. ult. Extra de sententia excommunicat.* licere aliis hujusmodi absolutionem committere, cum viderint expedire. Ex quibus etiam verbis colligere debemus aliud dicendum si alicui Clerico & Presbytero simpliciter, & non ratione officii & dignitatis specialiter beneficium absolutionis a Pontifice commissum fuerit: tunc enim subdelegare non poterit alteri, sed ipse tenebitur absolvere *cap. ult.* §. *ult. supra de Officio Judicis delegati*. At Ordinarii, quibus delegata fuerit absolutio a S. Pontifice, eam possunt subdelegare dicto *cap. ult. hoc tit.* Legati etiam Sedis Apostolicæ hoc amplius habent, ut non tantum in certis casibus, ut Ordinarii, sed in omnibus omnino casibus possint pro violenta manuum injectione in Clericos vel Laicos, vel ipsi absolvere, vel aliis absolutionem committere *dicto cap. ult. de Officio Judicis Delegati in fine* & in *cap. 4. supra de Officio Legati*. Hodie vero ex Concilio Trid. generaliter plenissima potestas conceditur Episcopis absolvendi & dispensandi in omnibus casibus Apostolicæ Sedi reservatis, modo ex occulto delicto proveniant: quibus etiam ex causis Episcopus poterit committere vel Vicarium Generalem, vel Pœnitentiarium, aut Vicarium, ad id specialiter deputatum *cap. 6. de reformat. sessione 14 cap. 6. sessione 24.*

Principium Capitis 11. pertinet etiam ad auctoritatem & jurisdictionem Metropolitanorum: & desumptum est ex *cap. pastoralis de Officio Delegati Judicis & cap. pastoralis de Judiciis*. Quæ omnia capitula pertinent ad Consultationes variarum quæstionum Innocentio III. propositarum ab Eliensi Episcopo. Quæstio vero, ad quam Innocentius respondet initio *hujus cap.* hæc est, utrum Metropolitanus, ad quam supra diximus pertinere cognitionem causæ appellationis a sententia Suffraganei sui *cap. 9. hoc tit.* non tantum delegare possit Clericum subditum Suffraganeo, de cujus sententia per appellationem disceptandum erit, sed etiam compellere per censuras Ecclesiasticas renitentem & reluctantem. Et quidem dicendum videbatur a Metropolitano compelli posse, cujus potestas cum sit ordinaria, & vel ipse possit judicare, vel alium delegare qui judicet; per consequentias videbatur dicendum, & posse compellere Delegatum judicare, ne lusoria & inutilis maneat delegatio arg. *cap. pastoralis 28. extra de Officio Judicis Delegati*. Contra tamen respondet Innocentius III. non posse invitum subditum Suffraganei Clericum compellere hanc commissionem suscipere; hac ratione quia non habet in subditos Suffraganeorum suorum Metropolitanus generalem & ordinariam jurisdictionem, sed in certis tantum casibus in Jure expressis: quos & hic diligenter Glossa notavit: quare non potest invitum compellere Clericum Suffraganei sui. Recte tamen Interpretes notant, si recuset subditus Suffraganei delegationem suscipere, posse Metropolitanum partes compellere, ut Arbitros eligant, qui de causa appellationis cognoscant; sed & suo Suffraganeo mandare, ut subditum suum compellat hujusmodi commissionem recipere. Habet enim Metropolitanus in Suffraganeos suos in appellationis causa plenam auctoritatem, & ut eleganter dicitur in *hoc cap. Lege Metropolitana ei subditus est*, idest non aliqua speciali Lege, sed generali & ratione Dignitatis & Officii sui, nempe quatenus est Metropolitanus. Quod *Lex 16. Cod. de sacrosanctis Ecclesiis*, *privilegium & jus*

& jus Metropoliticum vocat. Uno verbo ex officio suo habet hanc potestatem.

Superest ut §. 1. *cap.* 11. explicemus, in quo constituit S. Pontifex delegatum Judicem a summo Pontifice in causa delegata majorem esse Ordinario: nec in delegata causa vel Ordinarium, vel alium quemlibet se se immiscere debere. Et per consequens si contingat Judicem delegatum, qui propter contumaciam manifestam eum, qui citatus coram eo venire contempserat, excommunicaverit, aut in ejus bonorum possessionem miserit adversarium, postea decedere ante causæ definitionem; hujusmodi excommunicatum non potest absolvere Ordinarius, nisi ad id mandatum S. Pontificis acceperit: sed ad S. Pontificem erit recurrendum. Excipitur nisi excommunicatus in articulo mortis constitutus sit: nam generaliter in eo casu & in reliquis omnibus supremæ necessitatis non tantum Episcopi, sed etiam reliqui omnes Presbyteri possunt a quolibet excommunicatos, etiam a S. Pontifice absolvere.

Quod autem dicitur in *hoc cap.* manifeste contumaces vel excommunicatione plectendos, vel missione in possessionem, colligitur aperte ex *cap. ult.* §. *penult. & ult. infra, ut lite non contestata non procedatur &c. & toto tit. de eo qui mittitur in possessionem.* Et ita plenius explicandum, ut si v. g. petitor fundi vel domus propter contumaciam Rei possessoris missus sit in rei petitæ possessionem, nisi intra annum contumax Reus se sistat in judicio, & cautionem præstiterit de persequenda lite, & impensas factas adversario restituerit; intra annum, inquam, & diem: tunc excidit ab omni jure possessionis & commodo, supereritque tantum quæstio de proprietate sive dominio: in qua exercenda non amplius gaudebit contumax privilegio possessoris vel Rei, quod est hujusmodi, ut possessor non teneatur probare se esse dominum, sed ille qui agit & rem vindicat & petit. In hoc itaque casu magnum est damnum contumacis, qui per annum & diem non se sistit in jure: nam excidit omni commodo possessionis & utilitate, quæ transfertur in ejus adversarium, qui per consequens tamdiu retinebit possessionem rei, donec probaverit liquido contumax reus, se verum esse dominum.

Quoniam vero mortuo Delegato Judice in specie *hujus* §. qui miserat in possessionem, difficile erat Reo contumaci intra annum se sistere; S. Pontifex rescribit vel cautionem offerendam a contumace ipsi S. Pontifici, vel coram Ordinario locorum, vel si nequeat, coram Ordinario, sufficit si coram publicis & honestis personis offerat & præstet cautionem, quod juri parebit, ad interrumpendam illam præscriptionem annalem. Quod desumptum ex *Lege penult.* §. *ult. Cod. de præscript.* 30. *annorum & Lege ut perfectius Cod. de annali exceptione.* Remedio autem istius cautionis præstitæ intra annum, poterit post annum auctoritate Sedis Apostolicæ possessionem amissam recipere, alio Judice nempe a S. Pontifice substituto in locum demortui Delegati.

Nota etiam hæc omnia cessare, si delegatio prima fuerit facta non habita ratione personæ Judicis delegati, sed dignitatis & honoris quem gerit: tunc enim successor Delegati mortui in dignitate succedet & delegatione; ideoque apud ejus successorem recta via poterit contumacia purgari & causa decidi, etiam non adito Pontifice. Et sic intelligendum

quod

quod dicitur in *hoc* §. *nisi forsan Delegatus talis extiterit, cui alius succedat in onere & honore*. Et confirmatur in *cap. quoniam Abbas supra de Officio Judicis delegati*.

AD CAP. XII. XIII. ET PENULT.

TRia ista *cap.* pertinent ad Rescripta Pontificia, quæ solent dirigi ad Ordinarios a SS. Pontificibus, ut eos admoneant officii sui. Per hujusmodi vero Rescripta non attribuitur nova potestas Diœcesanis, nec constituuntnr Judices Delegati Sedis Apostolicæ. Quare si appelletur ab illis, non ad S. Pontificem omisso medio, idest Metropolitano, sed ad Metropolitanum erit appellandum. Nec obstat quod in *cap. 12. hoc tit.* Rescripta hujusmodi hanc clausulam contineant, *ut appellatione remota tam circa viros Religiosos, quam Clericos sæculares inquirat & corrigat*. Hæc enim verba, *appellatione remota*, in materia disciplinæ & correctionis nihil aliud quam jus commune continent; quod est hujusmodi: quod in corrigendis excessibus auxilium appellationis denegetur *cap. ad nostrum, cap. reprehensibilis in fine de appellationibus*; exceptis tantum certis casibus, in quibus admittitur appellatio, v. g. si Diœcesanus modum excedat in puniendo, vel judiciorum formam in inquirendo non servaverit *cap. sequenti hoc tit.* vel si conspiratores testes admiserit *cap. 31. & 32. infra de Simonia*. In his igitur casibus & similibus a Glossa notatis ad Metropolitanum appellatio interponenda est; nec enim, ut diximus, Ordinarius novam potestatem ullam tanquam Delegatus Sedis Apostolicæ accepit, eademque ratione nec in exemptos ullam potestatem accipit: quæ ut ei competeret, opus erat speciali clausula delegationis.

Observandum tamen regulariter posse Ordinarios admonere Abbates exemptos & Capitula, ut delinquentes Clericos vel Monachos castigent intra certum tempus: alioquin cessantibus illis, supplebit eorum defectus Episcopus, eosque canonice castigabit *cap. 13. hoc tit.* Desumptum autem est 13. *hoc cap.* & duo sequentia 14. & 15. ex Concilio generali Lateran. sub Innocentio III. quod passim in his libris appellatur *Concilium Generale* absolute, ad differentiam alterius Concilii generalis Lateran. sub Alexandro III. quod vulgo in iisdem libris citari solet sub nomine *Concilii Lateranensis*. In 13. vero *hoc cap.* excitatur cura & diligentia Episcoporum ad inquirendum diligenter & corrigendum & reformandum sive Clericos, sive etiam subditos suos alios. Et ne quis eorum jurisdictionem & potestatem eludat & effugiat, appellationis & consuetudinis contrariæ prætextum & omnem occasionem Concilium adimit. Quod ita intelligendum, ut diximus in *cap. præcedenti*, & in isto repetitur, *nisi in corrigendo formam & modum Ordinarii excesserint*. Quoniam autem Capitula Cathedralium Ecclesiarum vel ex longa consuetudine, vel speciali concessione, etiam ex consensu Episcoporum, per universam fere Europam obtinent jurisdictionem & potestatem animadvertendi in Canonicos; quam & exercere solent electo quodam ex Canonicis, qui Officialis titulo eam jurisdictionem & animadversionem habeat: non improbat hujusmodi consuetudinem Concilium Generale: sed hoc addit. Quoniam vicissim facile sua delicta dissimulare solent Canonici, hoc casu Episcopus poterit certum tempus

pus præstituere Capitulo, infra quod teneatur Canonicum delinquentem punire; alioquin post hujusmodi tempus elapsum Episcopus poterit per censuram Ecclesiasticam corrigere, ne impunita maneant delicta. Idemque dicendum de reliquis Monasteriis exemptis & Capitulis: si ad Episcopi admonitionem vel jussionem delinquentes Clericos nominatim corrigere contemnant Capitula, vel Abbates, vel alii Superiores exempti. Quod si Canonici propter hanc causam excitati, vel absque manifesta & rationabili causa, in casu quocumque cessaverint a divinis, & sacris interdixerint Ecclesiæ, ut in *cap.* 55. *de appellationibus*, poterit nihilominus Episcopus, neglecto hujusmodi interdicto, in Ecclesia Cathedrali celebrare. Præterea Metropolitanus potest ab Episcopo adiri, qui causa cognita per censuras Ecclesiasticas, tanquam Delegatus a Sede Apostolica, Capitulum & Canonicos severe castiget, ut metu pœnæ in posterum ab hujusmodi præsumptionibus deterreantur.

Ad §. I. Cap. XIII.

Notandum Capitulis Cathedralium Ecclesiarum & aliis Collegiis vel Monasteriis, vel ex consuetudine, vel speciali concessione SS. Pontificum posse competere jus cessandi a divinis, vel etiam Ecclesiarum suarum interdicendarum propter manifestas injurias & damna sibi illata; quoties Jure & Legibus jus suum persequi prohibentur, ut constat ex *hoc cap.* & *cap.* 55. *de Appellationibus* & *cap.* 2. & 8. *de Officio Judicis Ordinarii in* VI. Quæ duo Capitula ad interpretationem & explicationem *hujus* §. promulgata fuerunt. In hoc autem *nostro* §. constituitur, ut quoties Capitulum cessaverit a divinis in Ecclesia Cathedrali propter aliquam levem causam & non justam, in contemptum proprii Episcopi, possit nihilominus Episcopus absque ullo irregularitatis metu in Cathedrali Ecclesia celebrare. Præterea Metropolitanus ab Episcopo interpellatus poterit, tanquam Delegatus a Sede Apostolica, causa prius cognita, per Censuras Ecclesiasticas in Capitulum animadvertere, quod temere absque manifesta & rationabili causa Cessationem a divinis indixerit. Quod si justa & rationabilis causa visa fuerit, non aliter tamen poterit Capitulum cessare a divinis, nisi prius observaverit ordinem & formam præscriptam in dictis *cap.* 2. & 8. *hoc tit. in* VI. Nempe præcedere debet diligens causæ cognitio convocatis omnibus Canonicis vel Religiosis, præsentibus vel absentibus, ut in electionibus fieri solet, & nominatim injungitur in hoc casu. Deinde literas authenticas, quibus contineantur Cessationis causæ & species injuriæ vel damni sibi illati, propter quod Cessatio vel interdictum promulgata sunt, illi qui damnum intulit, significare debent, & ab eo satisdationem exigere: qui si postea contumaciter persistat, nec satisfaciat; tunc interdictum & Cessatio poterit promulgari: & post mensem pars utraque coram S. Pontifice de Jure suo debet experiri: alioquin his omnibus non servatis, non obstante hujusmodi Cessatione vel interdicto, in dictis Ecclesiis & locis interdictis divina poterunt celebrari. Et ex istis *Capit. duobus* accipiunt interpretationem, & vicissim præbent *tituli* in Pragmatica & Concordatis nostris *de interdictis leviter* & *indifferenter non ponendis*; qui desumpti sunt ex Con-

Concilio Basileensi, quibus restringitur nimia interdictorum hujusmodi frequentia.

AD CAP. XIV.

EX Historiæ Orientalis fide repeti debet *hujus Capituli* vera hypothesis. Temporibus Innocentii III. expugnata Constantinopoli, & parte Imperii Orientalis subacta per Gallos & Venetos communibus sumptibus & copiis, contigit, ut fieri solet, ad Patriarchatum, Episcopatus, Dignitates & Beneficia Ecclesiastica Latinos fuisse electos ex victore populo: sed quia ritus Græcorum & cæremonias ignorabant; imo & linguæ illorum imperiti, minus erant utiles Græcis, quibus præerant. Itaque ut huic incommodo prospiceretur, in Concilio generali Lateranensi fuit constitutum, ut Episcopo earum civitatum, in quibus populi diversorum rituum & linguarum habitarent, si minus ipse peritus foret diversorum rituum & linguarum, liceret in eadem civitate alium sibi Coepiscopum adjungere. Quæ verior videtur sententia *hujus cap.* ut verbum *Præsul* indicat, quod de Vicario non potest sumi, ut hic recte Glossa. Qui quidem utiliter doceret & instrueret plebem, & divina officia celebraret. Hunc tamen Coepiscopum eadem Glossa notat ab Episcopo principali constituendum, adhibitis duobus vicinis Episcopis ad eum consecrandum: quod valde singulare est.

AD CAP. XV.

EX ipsis Scripturis & ex verbis Apostoli *ad Ephesios cap.* 4. constat Pastores, idest Episcopos & alios, qui præficiuntur plebibus, doctores esse debere, ποιμένας καὶ διδασκάλους; & præcipue sicut moribus & vita, ita & scientia & eloquentia commendabilem Episcopum esse decet. Imo & in Ecclesia Occidentali, maxime in Africana, præcipuum fuit hoc Episcopi munus, docere plebem & prædicare Evangelium; adeo ut prædicandi munus vix Episcopi Africani concederent Presbyteris. Quod colligitur ex insigni loco Possidonii Calamensis in *Vita* B. Augustini. *Eidem* (B. Augustino) *Presbytero potestatem dedit Valerius* (scilicet Episcopus Hipponensis) *coram se in Ecclesia Evangelium prædicandi & frequentissime tractandi, contra usum quidem & consuetudinem Ecclesiarum Africanarum. Unde nonnulli ei etiam Episcoporum detrahebant: sed vir ille venerabilis & providus, in Orientalibus Ecclesiis id fieri sciens, utilitati Ecclesiæ consulens, non curabat obtrectatorum linguas, dummodo factitaretur a Presbytero, quod a se Episcopo impleri minime posse cernebat*. Consultius tamen foret & utilius, quod & aliquando constitutum, ut non alii ad Episcopatum admittantur, quam qui populis, quibus præsunt, prodesse valeant opera & doctrina *cap.* 7. *supra de Elect.* In *hoc cap.* dicitur defectum scientiæ in Episcopis reprobandum, nec in posterum tolerandum: quod tamen cum non semper observetur, permittitur in *eodem cap.* Episcopis non tantum docendi & prædicandi munus posse aliis delegare, sed etiam in aliis partibus Episcopalis muneris, v. g. in audiendis confessionibus & pœnitentiis injungendis & reliquis,

quæ ad animarum ſalutem ſpectant, Vicarios ſibi conſtituere. Quia ut inquit, multis ex cauſis legitimis poteſt contingere, ut Epiſcopi licet idonei & periti, non poſſint tamen per ſe ipſos univerſam ſuam diœceſim obire. Et ut peritorum Clericorum copia facilius poſſit haberi, injungit Concilium, ut in Cathedralibus & Conventualibus Eccleſiis idonei viri ordinentur, quos Epiſcopi poſſint coadjutores & cooperatores habere.

AD CAP. XVI.

IN *hoc cap.* proponitur inſigne decretum Honorii III. quod cauſa cognita ipſe pronuntiavit in negotio & controverſia, mota inter Epiſcopum Aſſiſinatem & Oeconomum Monaſterii S. Benedicti Montis Subaſii, vel Subaſſiſii, ſuper juribus Epiſcopalibus, quæ pertinebant ad dictum Epiſcopum in Eccleſiis & Capellis, quæ in temporalibus ſpectabant ad dictum Monaſterium. Notandum quæ definiuntur in *hoc cap.* generalia eſſe & ad omnes omnino Eccleſias pertinere atque Capellas, quæ ſitæ ſunt in alicujus Epiſcopi diœceſi. Singillatim vero enumerantur omnia jura Epiſcopalia, quæ competunt tam in Eccleſias quam in Rectores & Clericos omnes, etiamque in Laicos. Quæ omnia jura dupliciter diſtingui poſſunt. Vel enim ad honorem & poteſtatem Epiſcopalem ſpectant, vel ad Epiſcopi utilitatem & commodum; vel mixta ſunt, ideſt tam ad utilitatem quam ad honorem pertinent.

Ad honorem & poteſtatem iſta pertinent, obedientia canonica, quæ a Clericis debetur, inſtitutio, deſtitutio, correctio, reformatio, juriſdictio, Pœnitentiæ & Sacramentorum, quæ ab Epiſcopo ſunt tantum recipienda, collatio; quorum etiam jurium quædam exercentur in Laicos.

Utilia vero jura hæc ſunt, Synodatici vel Cathedratici ſolutio, ita dicti quod a Presbyteris vocatis ad Synodum perſolvi debet; Cathedraticum vero dicitur, quod ob honorem Cathedræ ſolvitur Epiſcopo: & & in eo quamvis honor aliquis verſetur, utilitas tamen potius ſpectatur. Poteſt etiam quarta decimarum & mortuariorum, vel oblationum numerari inter mere utilia jura Epiſcopalia.

Mortuaria vero vocantur omnia lucra, quæ occaſione mortis alicujus Eccleſia capit, v. g. quæ pro funere & ſepultura inferuntur, aut legata aut fideicommiſſa Eccleſiis relicta. Generaliter enim omnium redituum Eccleſiaſticorum in quatuor portiones fieri ſolebat diviſio. Una Epiſcopo & ejus familiæ propter pauperum hoſpitalitatem & ſuſceptionem aſſignatur: ſecunda Clero vel Presbyteris: tertia pauperibus: quarta denique reficiendis & reſtaurandis Eccleſiis. Et hæc diviſio in Italia & Gallia ſervata; in Hiſpania in tres tantum facta. Poſtea vero Canonibus conſtitutum fuit Epiſcopos non aliter tertiam vel quartam poſſe percipere quam ſi illis propria ſufficere non poſſint. Quæ omnia explicantur plenius a Gratiano *Cauſa* x. *Quæſt.* 3.

Præterea Caritativum quod vocatur ſubſidium, quod ex rationabili cauſa Epiſcopo permittitur ex Concilio Lateranenſi ſub Alexandro III. poſtulare, cum caritate, inter mere utilia etiam referri poteſt ex *cap. cum Apoſtolus* §. 1. *extra de Cenſibus*. Itemque quod pro viſitatione Diœ-

Diœcesis sub nomine procurationis Episcopo visitanti, habita ratione facultatum Ecclesiarum pro sumptibus & expensis solvi solet; de quo tractatur in *tit. de censibus & procurationibus*, maxime in *d. cap. cum Apostolus*.

AD CAP. XVII.

IN *hoc cap.* agitur de Visitatione Monasteriorum; quæ pertinet ad Episcopos in Monasteria suæ Diœcesis, quæ non sunt exempta speciali privilegio, & per consequens jus procurationis ratione visitationis solvere tenentur, *cap. sopitæ & cap. venerabilis infra de censibus & cap. 1. eodem titulo in* VI. In *hoc cap.* vero præscribit formam servandam in visitatione Monasteriorum, nempe Episcopum visitantem uti debere opera Religiosorum potius quam Sæcularium & Laicorum; ita tamen ut duos vel tres Canonicos Ecclesiæ Cathedralis possit adhibere. Addendum ex *cap. 1. hoc eodem tit. in extravagantibus communibus*; posse etiam unum Notarium Clericum secum adhibere. Quodcunque vero constituerit circa correctionem & disciplinam, executioni mandare potest, non obstante appellatione: quod singulare est in materia disciplinæ; modo non excedatur modus in disciplina comprehensus, ut docuimus *cap. 12. & 13. hoc tit.* Addendum & Concilium Trid. *cap. 8. sessione* 1. & iterum *cap. 8. sessione 21. de reformat. & cap. 3. sess. 24. de reformat.* in quibus plenissime de visitatione Monasteriorum etiam exemptorum permissa Episcopis, ut Delegatis Apostolicæ Sedis.

AD CAP. XVIII.

SEntentia brevis *hujus capituli* hæc est; exceptionem rei judicatæ, quæ ex sententia super Lege Diœcesana oritur, non obstare si agatur postea de Lege jurisdictionis: quæ singularis est decisio *hujus capitis*, in quo distinguitur Lex Diœcesana a Lege jurisdictionis. Quæ distinctio ab Interpretibus primum fuit introducta ad *Can.* 1. x. *Quæst.* 1. & ad *Can.* 34. *cum pro utilitate* XVI. *Quæst.* 1. ad quos *Canones* Joannes Hugutio vetus Interpres novam distinctionem introduxit, hactenus ignotam Canonibus & Pontificibus, qui præcesserunt Honorium III. Cum enim Legis Diœcesanæ nomine omnia omnino jura Episcopalia continerentur, de quibus diximus ad *Cap. conquerente 16. supra*, primus Joannes quadringentis abhinc annis specialem quamdam Legem Diœcesanam introduxit, quam distinxit a Lege jurisdictionis. Specialem vero illam Legem Diœcesanam esse ait, qua Episcopus recipit jura utilia, Cathedraticum & Synodaticum, tertiam vel quartam secundum varias locorum consuetudines, oblationum, mortuariorum, decimationum: a quibus juribus vulgo monasteria traduntur exempta, sicut colligitur ex his quæ notantur ad *Can.* supra notatos.

Et quidem ad hos tantum casus restringunt recentiores Legem Diœcesanam specialem: Legem vero jurisdictionis cætera omnia vocant, quæ his casibus exceptis pertinent ad jus & officium Episcopi, nomine jurisdictionis generaliter accepto; ut non tantum contineat ea, quæ pertinent

tinet ad disceptationem & definitionem causarum Ecclesiasticarum, ut ostenditur in dicto *cap. 16.* & in hoc nostro; sed etiam ea quæ sunt Ordinis vel Sacramentorum eorum, quæ ab Episcopo sunt accipienda; ut in Jure Civili jurisdictionis nomen complectitur universum Magistratus officium; quod certum est latius patere quam jurisdictionem specialiter acceptam *Lege 3. §. ult. ff. de jurisd. omnium Judicum.*


Hoc itaque constituto, quamvis constaret quinque Parœcias, de quibus agitur in *hoc cap.* sententia quadam prolata subesse legis diœcesanæ jure Venetensi Episcopo; non erat tamen mirum in dictas quinque parœcias Legem jurisdictionis specialem eidem omnino non competere: ita ut citatio in causis Ecclesiasticis ad solum Abbatem Rethonensem; examinatio vero & decisio tam ad Episcopum quam ad Abbatem in communi pertineret: & præterea tertia mulctarum pertineret ad Abbatem, reliquæ duæ partes ad Episcopum.

Quo vero jure dictus Abbas potuerit acquirere jurisdictionem illam, declaratur in *hoc cap.* Nempe ab antiquo allegabat se illo jure usum, non contradicente Episcopo: supra quippe probavimus, quod & utroque Jure certum est & usu receptum, jurisdictionem acquiri posse etiam longa consuetudine vel præscriptione a Prælatis Ecclesiasticis, sive majoribus in inferiores ut in *cap. 9. hoc tit.* deciditur; sive ab inferioribus in superiores ut in *hoc cap.* expresse definitur. Nec obstabat dicta sententia in gratiam Episcopi prolata generaliter super lege diœcesana: potuit enim super aliis juribus Episcopalibus habita contestatione proferri, non autem super jurisdictione: quam difficultatem & probationem, quæ potius est facti quam Juris, a Delegatis Judicibus tractandam, & a se postea definiendam S. Pontifex rescribit.

Observandum vero, ne quid remaneat difficultatis in inscriptione *hujus cap.* ex integra *Collectione quinta* ita esse legendum: *Episcopo Briocensi & Abbati de Sangenio & Archidiacono Recomensi.*

Species vero capitis recte a Glossa proponitur, quæ *antiquam Decretalem* viderat. Lis autem illa, de qua agitur, mota fuerat inter Episcopum Venetensem & Abbatem S. Salvatoris Conventus Rothonensis, qui in dictas illas quinque parœcias Conventus usibus deputatas, ut in *integra* dicitur, ab antiquo sibi vindicabat communiter cum Episcopo jurisdictionem & jus percipiendæ mulctæ.

AD



AD LIBRI III.
DECRETALIUM
TITULUM V.

De Præbendis & Dignitatibus.

TRACTATUS.

PRÆFATIO.

CUm latissime pateat hic Titulus, & per omnes fere Juris Canonici partes diffundatur, præfatione merito indigere videtur, in qua breviter explicatis Rubricæ verbis subjiciemus generalem tractatum de Beneficiorum origine eorumque variis speciebus, & quid de illis acquirendis, conservandis & amittendis tractetur sub hoc titulo breviter annotabimus.

Præbendæ nomen, si originem inspicias, tam a militia Castrensi quam Palatina videtur profluxisse. Præbenda enim proprie significat annonas, cibaria, præbita, diaria, & sportulas, sive alimenta, quæ in dies vel menses, non tantum militibus & Palatinis, sed etiam Ecclesiæ ministris de publico solebant erogari. Unde etiam ῥόγαι apud recentiores Græcos cœperunt appellari, quæ quidem pluribus a Lexicographis præcipue Brissonio & Meursio in *Lexico Græcobarbaro* exponuntur in dictione, *Præbendæ & Rogæ*, & confirmantur *Lege* 19. *ff. de testibus*, & *loco Ulpiani apud Pariatorem legis Mosaicæ cum Romana tit. de sævitia dominorum:* eodemque sensu panes civiles, qui præstari solebant dominis ædium in urbe Roma, Constantinopoli, & Alexandria de publicis horreis, panes præbendarii appellantur. Hujusmodi vero panum, sicut & aliarum rerum, quæ de publico concedebantur, distributio fiebat per tesseras, brevia, vel pittacia quædam, quæ & ideo tesseræ frumentariæ appellantur in Legibus nostris, *Lege mortuo* 49. §. 1. & *Lege Titia Sejo* 87. *ff. de Legatis* 2. quo pertinet illud Persii:

Non hac quisque Velina
Fabius emeruit scabiosum tesserula far.

Et illud Juvenalis:

Qui dabat imperium, fasces atque omnia, nunc se
Continet, atque duas tantum res anxius optat
Panem & Circenses.

Postquam illuxit fides Imperatoribus Christianis, Constantino primum & reli-

reliquis, liberalitatis exempla in Ecclesias earumque ministros ediderunt: stipendia enim, annonas, sive Præbendas non tantum Clericis, sed etiam Sanctimonialibus & viduis liberaliter præstitisse docent Eusebius *lib.* 1. *Hist. Eccles. cap.* 6. *&* *de vita Constantini lib.* 1. *cap.* 34. 35. *&* 36. Theodoretus *Lib.* 1. *cap.* 11. *&* *lib.* 9. *cap.* 4. Sozomenus *lib.* 5. *cap.* 5. quam in rem insignis est *Lex* 14. *jubemus* *&* *Lex* 17. *Cod. de Sacrosanctis Ecclesiis*, in quibus annonæ, sive panes civiles Ecclesiis debiti memorantur, eorumque alienatio sicut & rerum immobilium prohibetur. Annonæ autem Ecclesiasticæ secundum ordinem matriculæ, idest Catalogi Clericorum erogabantur vel in dies vel in menses secundum morem Ecclesiarum, *Novella tertia* Justiniani *cap.* 2. *&* *Novell. secunda* Heraclii *in Jure Orientali*, Balsamo *in Can.* 32. *VI. Synodi:* unde aliquando hujusmodi annonæ, quæ vel diurnæ vel mensurnæ erant, solent vocari *sportulæ*, & Clericis dicti *sportulantes fratres* apud Cyprianum; & illæ præbendæ & erogationes non tantum pane & vino, sed etiam reliquis ad victum necessariis constabant.

Ex quibus omnibus colligere est unde Præbendarum nomen & origo in Ecclesiam fluxerit. Sero tamen videtur eo sensu usurpatum, quo hodie pro quolibet beneficio simolici sive minori, sicut in hac rubrica, & in *cap. ult. hoc titulo*, vel specialius pro Canonia ut vulgo appellant; sicut & vicissim Beneficii appellatio apud recentiores in Ecclesia recepta est; utpote quæ detumpta sit ex usu feudorum, quæ ab initio fuisse vocata Beneficia passim ex *Capitularibus Regum nostrorum* *&* *libris de Feudis* constat.

Beneficii vero appellationem tribui præbendæ probat insignis locus in *Capitulari antepenultimo additionis tertiæ: Ut Canonici Clerici, qui in civitatibus vel Monasteriis degunt, qui Beneficia habent, unde victum & vestimentum habere possunt, ut his juxta B. Apostolum contenti sint*. Et in *Canonibus* 2. *&* 9. 1. *Quæst.* 3. quorum auctores sunt Gregorius VII. & Alexander II. *Ecclesiastica Beneficia, quæ quidam Præbendas vocant, & Beneficium Ecclesiæ, quod quidam Canonicam, vel Præbendas seu etiam Ordinationes vocant*. Et in loco singulari *apud Molanum lib.* 1. *de Canonicis cap.* 14. refertur hujusmodi Coloniensis Ecclesiæ rescriptum his verbis: *Ut Præpositura, Decania, vel aliqua claustralis Obedientia pro Beneficio habeatur, vel Beneficium nominetur, Ecclesiæ nostræ consuetudo non patitur*. Sed tamen obtinuit usu ipso, ut Præbendæ & Beneficii vocabula fere sola usurpentur. Qua ratione vero Præbendæ separentur a Dignitatibus, vix poterit commode explicari, nisi ordinem & dispensationem Ecclesiæ circa Clericorum personas & munia definienda, & reditus Ecclesiasticos definiendos, a primordiis Ecclesiæ nascentes breviter repetamus.

In Actis Apostolorum *cap.* 4. *&* 5. credentium omnium sive Clericorum, sive Laicorum, dicitur fuisse cor unum & animam unam, omniaque eis fuisse communia; adeo ut possessionum, prædiorum & domorum pretia projicerent ante pedes BB. Apostolorum, ut ex illo quasi communi ærario divideretur singulis, prout cuique opus erat. Qui usus aliquandiu observatus fuit. Tertullianus in *Apologetico: Omnia indiscreta sunt apud nos præter uxores; in illo loco consortium solvimus, in quo solo cæteri homines consortium exercent*. Postquam vero per populos &

gen-

gentes, per universum fere orbem fides prædicata fuit, non amplius necessaria fuit possessionum & patrimoniorum distractio, quæ ab initio, Spiritu sancto dictante, necessaria fuerat, ne occasione possessionum tunc retardaretur Evangelii publicatio. Desiit etiam, augescente fidelium numero, retineri illa communio omnium bonorum, præsertim inter Laicos: quæ tamen per aliquot sæcula remansit inter Clericos, inter quos erant omnia communia, & nihil proprium seorsim licebat possidere *Can.* 2. *&*. 5. *Quæst.* 1. Sed nec a Clericis omnibus diu retenta fuit illa vitæ communio, & omnium bonorum abdicatio, quam & imperari vix posse, sed a volentibus tantum servari prudentissime B. Augustinus & ejus discipulus Prosper agnoverunt in *Can.* 10. 11. *&* 18. *eadem Causa & Quæst.* qui desumpti sunt *ex serm. ejusdem B. Augustini de Vita communi Clericorum*. *Qui volunt*, inquit, *habere proprium, quibus non sufficit Deus & Ecclesia sua, maneant ubi volunt, & ubi possunt: non eis aufero Clericatum: nolo habere hypocritas, malum enim esse quis nesciat? malum est cadere a proposito, sed pejus est simulare propositum*. Non desiverunt tamen optimi Episcopi, Eusebius Vercellensis, Ambrosius, Augustinus, Prosper & Gregorius Magnus vitæ illius communionem Clericis omnibus proponere observandam, sicut constat ex *Can.* 8. 9. 10. 13. *&* 14. *eadem Causa* XII. *& Quæst.* & qui eos secuti sunt pii viri, qui vitam illam communem restituere sunt conati, ut hic hodie Dei gratia propagatur, sub nomine Canonicorum regularium. Sed tamen apud omnes & ubique non potuerunt obtinere: unde frequentissima rerum distinctio, quæ propriæ sunt Ecclesiæ, vel quæ ab Ecclesiæ reditibus proficiscuntur, & earum quæ sunt ex patrimonio & proprietate Clericorum *Can.* 18. 19. 20. *&* 21. *eadem Causa* XII. *& Quæst.* Res autem Ecclesiæ, antequam distinctio fieret & divisio bonorum & redituum Ecclesiæ inter Episcopum & Clerum, ad Episcopi dispositionem & dispensationem adhibito tamen communi Cleri consilio pertinebant: distributio vero fiebat per præpositos ab Episcopo Oeconomos, vel Archidiaconos, qui primitias, oblationes, eleemosynas & reliquos Ecclesiæ reditus redigebant, & pro arbitrio Episcopi distribuebant singulis de Clero *Can.* 7. x. *Quæst.* 2. *Can.* 22. 24. 26. 27. *& ult.* XII. *Quæst.* 1. Quæ distributio inæqualis erat, & pro modo laboris & meritorum *Cap. ult.* 1. *Quæst.* 2. *Can.* 25. XII. *Quæst.* 1. *Can.* 6. *Dist.* XCV. Nec solum quantitate, sed etiam loco & tempore diversis fiebant distributiones: vel enim ipsa congregatione vel in domibus privatis seorsim, illis scilicet, qui vitam communem colere nolebant. Et quidem aliquando diurnæ, aliquando menstruæ erogationes fiebant: & hæc ante institutionem Titulorum, sive Beneficiorum & Præbendarum.

Postea vero usus & mores Ecclesiæ aliam formam administrationis & dispensationis redituum invenerunt. Et quidem primum certos Titulos, quos vulgo hodie Parochias vel Parœcias appellamus, instituerunt tam in civitatibus & urbibus, in quibus ordinati erant Episcopi, quam in oppidis, vicis, pagis & possessionibus, in quibus Presbyteros, Diaconos & reliquos Clericos constituebant, qui ibi perpetuo ministrabant. Nam antea Episcopi illos suo arbitrio & nutu delegabant & mittebant per Titulos & Ecclesias sive urbis sive rusticas, ut fidelibus Sacramenta mini-

ministrarent, prædicationi verbi, plebis institutioni & informationi, pauperum orationibus, viduarum & pupillorum sollicitudinibus incumberent. Visum vero fuit utilius plurimum, si non ad tempus, sed in perpetuum in singulis Ecclesiis certus numerus Presbyterorum, Diaconorum & Clericorum statueretur, ut diximus: quod exemplo primarum Orbis Ecclesiarum Romanæ, Alexandrinæ, & Orientalium, institutum, reliquæ deinde Ecclesiæ ab illis fundatæ receperunt. In Romana quidem Ecclesia temporibus persecutionis clam & occulto in semotis locis, in cryptis solebat populus convenire: & cum paulatim augeretur, in cryptis Ecclesiæ & Oratoria condi cœperunt, quibus singuli Presbyteri & Diaconi præficiebantur. Et quidem ab initio singuli singulis, quod sub Anacleto & Evaristo inchoatum fuit, ut colligunt viri docti ex *Anastasio Bibliothecario*, qui ex Damaso Papa excerpsit historiam veterum Pontificum. Qui secuti sunt Higinus & Dionysius rem totam amplificaverunt, & certius & distinctius separaverunt Titulos & Parœcias. Et quidem de Higino locus insignis extat apud Antonium Augustinum in *Epitome Juris Canonici lib. 1. tit. 22. par. 4. numero 9. Higinus Clerum composuit, gradus distinxit superiorum & inferiorum, eorum qui præessent & qui subessent, ut secreti in sua urbis regione, titulo, vel parœcia sive confessione, idest martyrio, populos divina mysteria docerent, Sacramenta administrarent, & Presbyteros singulos cum aliis Clericis in unoquoque titulo constituit.* Dionysius postea & Marcellus, aucta mirum in modum fidelium multitudine, cum unus Presbyter oneri par esse non posset, in singulis parœciis plures Presbyteros constituerunt; quibus tamen, ne qua divisio vel seditio oriretur, unus Presbyter præficiebatur, cui reliqui obtemperarent, qui ex ea re principalis Presbyter, sive Cardinalis appellari cœpit.

Nec dubitandum est, quin eodem tempore exigentibus necessitatibus per oppida & vicos rusticæ parœciæ constitutæ fuerint. Romanorum Pontificum exemplum universum Occidentem secutum fuisse probat aperte *Epistola secunda* Dionysii *ad Severum Episcopum Cordubensem*, cujus extat exemplum apud Gratianum XIII. *Quæst.* 1. *Can.* 1. cui adde *Can.* 6. Concilii Sardicensis: ex quibus locis origo & distinctio Parœciarum, sive in urbe, sive in vicis & pagis in Occidente olim recepta confirmatur. Idem in Ecclesia Alexandrina observatum fuisse ut tam in urbe ipsa, quam extra urbem, per pagos & vicos, singulis Ecclesiis sive parœciis Presbyteri & Clerici, ibi perpetuo mansuri, constituerentur, e quibus unus reliquis præesset, probant insignes loci B. Athanasii & Epiphanii. Epiphanius quidem in *hæresi 68. Meletianorum n. 4. tom. 1. pag.* 719. his verbis: *Arius Bancalæ cujusdam apud Alexandriam Ecclesiæ Presbyter erat; nam unicuique Ecclesiæ (qua tum multæ erant, hodie vero plures sunt) suus attribuebatur Presbyter: qua ratione procurandam illam Ecclesiam Arius susceperat.* Et in *hæresi Arianorum 69. pag. 727. & seqq. Quotquot Alexandriæ Catholicæ communionis Ecclesiæ sunt uni Archiepiscopo subjectæ, suus cuique præpositus est Presbyter, propter Ecclesiasticos usus & necessitates incolarum, qui prope singulas Ecclesias morantur*, quam viciniam & plurium vicinorum consortium *Alexandrinos* ait *appellasse nomine sibi proprio* λαύρας: qui nempe singuli Presbyteri

teri per ſtatas & ſolemnes conciones ſive conventus populos docerent. In eadem Eccleſia Alexandrina etiam parœcias in vicinis pagis Alexandriæ ab antiquo reperimus inſtitutas. Et quidem in tractu ſive regione vicina Alexandriæ, quæ Mareotis appellatur, duodecim & amplius pagos fuiſſe, quibus Presbyteri ſinguli præerant, docet S. Athanaſius *Apologia 2. pag. 621. editionis Comelini. Mareotis*, ait, *eſt tractus ſive regio Alexandriæ vicina, in qua nunquam Epiſcopus fuit, imo nec Archiepiſcopus quidem; ſed univerſæ Eccleſiæ hujus regionis Epiſcopo Alexandriæ ſubjectæ ſunt; ita tamen ut ſinguli Presbyteri ſingulos pagos regant, & quidem decem vel amplius maximos. Pagus vero, ubi habitat Iſchyras, eſt minimus, & a paucis hominibus incolitur; adeo ut non ibi, ſed in proximo pago Eccleſia ſit conſtituta: nihilominus tamen Iſchyram, qui ne Presbyter quidem erat hujus pagi, præter majorum traditionem Epiſcopum appellarunt*, Ariani *ſcilicet*. Quæ plane pertinent ad explicationem *Can. 6.* Concilii Sardicenſis; quibus adde *Canonem* 1. 3. 4. & 5. *Diſt.* LXXX.

Hæc itaque fuit prima & antiquiſſima Eccleſiæ ordinatio, ut Epiſcopis conſtitutis, qui in Apoſtolorum locum ſucceſſerunt, ab iisdem Epiſcopis Presbyteri ordinarentur, qui eis aſſiderent, conſilium præberent, & in partem ſollicitudinis vocarentur ad exemplum ſeptuaginta Diſcipulorum, quos Epiſcopi ſecundum Eccleſiæ neceſſitates vel per Eccleſias urbis, vel per Eccleſias extra urbem poſitas, ab initio mittere & delegare ſolebant, & pro arbitrio & nutu revocare: quos tamen poſtea rebus ipſis ſuadentibus, ad faciliorem diſpenſationem Sacramentorum, ad utilitatem & deſideria fidelium, in ſingulis Eccleſiis, ſive parœciis urbanis & ruſticis, perpetuo manſuros conſtituerunt. Unde frequens in Conciliis mentio & diſtinctio Eccleſiarum ſive Parœciarum, & Presbyterorum Civitatis & agrorum, Urbanorum & Ruſticorum *Can.* 13. *Ancyrani Concilii*, *Can.* 13. *Neocæſarienſis*, *Can.* 9. & 10. *Antiocheni*, *Can.* 14. & 57. *Concilii Laodiceni*, *Can.* 6. & 17. *Concilii Chalcedonenſis*. Ex quibus Canonibus conſenſum Eccleſiæ univerſæ, Occidentalis & Orientalis circa Parœciarum originem & inſtitutionem probamus. Ne qua tamen perturbatio oriretur in ſingulis Eccleſiis, unus Presbyter reliquis Prerbyteris & Clericis præficiebatur, qui & Eccleſiam & Clericos & plebem regeret, qui propterea Cardinalis Presbyter non tantum Romæ, ſed etiam in aliis Eccleſiis vocabatur, primus & principalis Presbyter, qui paſſim in libris noſtris Rector, Plebanus, vel Perſona Eccleſiæ per excellentiam ſolet appellari. Et hi quidem primis Eccleſiæ temporibus ſecundam poſt Epiſcopum in Eccleſia dignitatem obtinuiſſe merito videntur: unde & inter Ordinarios referuntur *cap.* 3. *de Officio Judicis Ordinarii*. Iiſdem fere functionibus & miniſteriis, quibus Epiſcopi funguntur, & in partem Eccleſiaſticæ adminiſtrationis cum Epiſcopis cooptati ſunt, & in ſecundo gradu, ſive ordine Sacerdotii conſtituti, ſicut eruditiſſime probat Fileſacus in *Commentario de Origine Parœciarum cap.* 4.

Procedente vero tempore variæ Dignitates in Eccleſia inſtitutæ fuerunt, aliquæ propter utilitatem & neceſſitatem Eccleſiarum & fidelium; aliquæ etiam propter ſplendorem & majeſtatem. Hujuſmodi ſunt Chorepiſcopi, Archidiaconi, Archipresbyteri, Præpoſiti, Decani, & Primicerii, aliique multi, de quibus *lib.* 1. *Decretalium* & in hoc noſtro

titulo sæpius erit facienda mentio: quorum officia, prærogativæ, & jura potius ex variis consuetudinibus singularum Ecclesiarum, quam ex jure certo & perpetuo definiri possunt *cap. 6. de Consuetudine extra & cap. 7. de Officio Archidiaconi*. Et quidem hi omnes de quibus diximus, in Rubrica nostra Dignitatum nomine comprehenduntur: quo etiam generaliter sumpto Personatus continentur, ut ad *cap.* 28. *de multa hoc titulo* plenius ostendemus. Et hæc dicuntur in Jure Canonico majora Beneficia ad differentiam minorum Beneficiorum, quæ Præbendæ vocari solent *cap. penultimo de verborum significatione, & cap. ad hac extra de Offic. Archidiaconi*.

Præbenda vero quando sumitur pro minori Beneficio, quod vulgo Simplex vocatur, ita definiri poterit. Jus utendi fructibus rei Ecclesiasticæ in perpetuum, quod Presbyteris & reliquis Clericis ob sacrum ministerium competit, absque ulla Dignitatis vel Personatus prærogativa.

Male quidam Beneficium sive Præbendam definiunt rem Ecclesiasticam, quæ Sacerdoti vel Clerico ratione ministerii utenda conceditur. Nec enim in corporibus, vel rebus mobilibus vel immobilibus, sed in jure Beneficia & Præbendæ consistunt, sicut obligatio & hæreditas in jure consistere dicuntur; quamvis dirigant & contineant sub se res corporales aut incorporales.

Rectius itaque definitur *Jus utendi*. Nec enim Clerici sunt domini, sed potius usuarii redituum & bonorum Ecclesiæ *cap. 2. de Donationibus*; victu enim & vestitu contentos esse debere ait B. Apostolus, & veteres Patres Ecclesiæ illos tantum Clericos stipendiis Ecclesiæ sustentandos esse existimant, quibus nulla bona aliunde suffragantur. Sicut enim, ut loquitur Prosper explicans verba Oseæ *cap.* 4. peccata populi mei comedunt, *nihil habentes proprium, non peccata, sed alimenta, quibus indigere videntur, juste accipiunt: ita possessores non alimenta, quibus abundant, sed aliena peccata merito suscipiunt*. Et duabus tantum Clericorum speciebus stipendia Ecclesiæ licite, sanctis laboribus debita præberi ait, secundum servitii sui meritum, *quos pauperes aut voluntas facit*, idest qui ingressu Cleri omnia reliquerunt, *vel quos nativitas fecit pauperes*. Quibus cum perfectione virtutis vitæ necessaria, sive in domibus suis, sive in congregatione viventibus merito distribuuntur *Can.* 8. 9. & 10. XII. *Quæst.* 1. Multoque minus in usus superfluos proventus Ecclesiasticos consumere dilapidando permittitur, & in profanos usus (quod absit) & in amplificationem patrimonii impendere.

Additur *in perpetuum*, idest non in mensem vel annum, sed quamdiu vixerint Clerici. Nec enim removeri possunt a Beneficiis, nisi causa cognita propter crimen aut causam Canonibus comprehensam, præcedente sententia depositionis: exceptis paucis casibus, quibus ipso jure, idest absque sententia Beneficium adimitur. Nec tamen intelligere debemus ita perpetua esse Beneficia, ut in hæredes transmitti possint, sicut feuda transire solent in hæredes: nec enim Sanctuarium Domini jure sanguinis, idest hæreditario jure possideri debet *cap.* 1. *hoc titulo*.

Diximus *Presbyteris vel Clericis deberi*. De Presbyteris nulla difficultas:

culeas: sed etiam eadem ratione & reliquis, qui in Ecclesiasticis Ordinibus constituti sunt, debentur, sive in minoribus, sive in majoribus Ordinibus constituti sint: quos tamen reditus absque peccato percipere non possunt, nisi actu ministeriis Ecclesiasticis incumbant, quorum ratione nec aliter deberi diximus & notavimus ex D. Paulo notissimis locis. Imo & olim nemo ordinabatur absque titulo & loco certo in aliqua Ecclesia, cui inserviebant tam minores quam majores Clerici, sicut in *cap. 2. hoc titulo* plenius ostendemus.

Præbendæ & Beneficii nomine venit etiam stipendium, quod præstatur Assisiis, de quibus in *cap. penult. extra de Clericis non residentibus*; qui quidem non sunt Canonici, nec scamnum, idest locum in Choro, nec vocem, idest suffragium in Capitulo obtinent, sicut Canonici; sed Ecclesiis deserviunt, in quibus residere tenentur, & assiduum exhibere ministerium, unde eis inditum nomen Assisiorum.

Sæpe vero in hoc titulo & in reliquis Præbenda sumitur pro Canonicatu, quem quis in Ecclesia Cathedrali vel Collegiata obtinet: quo sensu ita definiri potest. Præbenda est jus spiritale percipiendi proventus Ecclesiasticos tanquam uni de Collegio competens ratione Canonicatus. Ita Hostiensis in *Summa hoc titulo* & Interpretes in *cap. cum Martinus extra de Constitutionibus*. Hæc verba *tanquam uni* excludunt Præbendas, quæ vel Magistris & Præceptoribus, vel Theologis, vel Cantoribus in Cathedralibus vel Collegiatis Ecclesiis assignari solent, *cap. 1. & 4. extra de Magistris*.

His ita expositis antequam veniamus ad illustrationem hujus tituli, sequitur ut summam quæstionum, quæ in hoc titulo tractantur, earumque seriem proponamus. Et quidem statim in *cap. 1.* confirmatur, quod diximus, ideo dici jus esse perpetuum Beneficiorum, non quia possit ad hæredes transmitti: est enim tantum jus utendi, & per consequens personale; ideoque cum persona extinguitur; sed eo sensu dicitur perpetuum, qui a non potest auferri, quamdiu vixerit ille, qui canonice obtinuerit Beneficium.

Canonice vero obtinebantur omnia olim Beneficia in ipsa ordinatione: simul enim uno & eodem actu Ordo & jus percipiendi stipendia Ecclesiastica conferri debebant; adeo ut nemo admitteretur ad Ordines, nisi locus vacaret in aliqua Ecclesia, ad quam ordinaretur, ut ibi ordini suo injuncta ministeria præstaret: quare aliquando absolute Beneficia vocantur Ordinationes.

Quomodo vero procedente tempore jus antiquum mutatum fuerit, & quo colore Ordinatio cœperit a collatione Beneficii separari, & unde qui vulgo appellatur Titulus patrimonii, fluxerit, exponitur in *cap. 2. 4. 16. & 23. hoc titulo*. Deinde quia Beneficium ratione officii conceditur; illud autem officium peragi non potest ab absente: ideo de residentia & de Clericis non residentibus superiori titulo actum est. Et quidem si veteres Canones sequamur, in omnibus omnino Beneficiis debetur residentia; hodie vero præcipue in Beneficiis, quæ curam animarum habent adjunctam, quibus nec per Vicarios fungi licet, nisi in certis casibus *cap. 30. & 32. hoc titulo*. Eadem etiam ratione quia singuli Clerici vix unum officium implere sufficiunt, plures Ecclesias vel plures Dignitates simul obtinere prohibentur. Quæ tractatio magnam

 hu-

hujus tituli partem complectitur, & proponitur in *cap.* 5. 6. 7. 13. 18. 28. *&* 35. *juncto cap.* 3. *tituli superioris*. Exceptiones tamen aliquæ adduntur *cap.* 32. 35. *& ultimo*; ad quarum explicationem consequens erat, ut de Beneficiorum variis speciebus & differentiis quæreretur.

Vicinæ sunt istæ quæstiones, ut in Ecclesiis certus sit numerus Præbendarum *cap.* 2. 22. *&* 25. *hoc titulo*; & ne dividantur aut minuantur Dignitates Ecclesiæ, vel Præbendæ earumve reditus *cap.* 8. 10. 12. 20. 21. 25. 26. *&* 36. Quoniam vero Beneficia Ecclesiastica sine institutione Canonica obtineri non possunt, & hodie diverso tempore sæpissime conferuntur Ordines, & postea Beneficia; ideo sæpius in hoc titulo & passim separatur Ordinatio a collatione, institutione, investitura, & traditione Beneficii, ideoque sæpius in hoc titulo tractatur de modis acquirendi & nanciscendi possessionem alicujus Beneficii, ut in *cap.* 24. *&* 31. itemque tractatur, utrum pure vel conditione addita in collatione Beneficia possint conferri. Pertinet etiam ad collationem Beneficiorum, quod cum omnibus Collatoribus Ordinariis concurrat jure novo Summus Pontifex; unde tot quæstiones in hoc titulo de rescriptis, sive mandatis de providendo, quas vulgo gratias expectativas vocant, ut in *cap.* 6. 9. 17. 19. 25. 27. 34. *& ultimo*.

AD CAP. I. ET III.

Observandum est caput 1. desumptum ex Concilio Pictaviensi *Can.* 3. quod nondum se reperisse profitentur ingenue Romani Correctores. Edidit primus Canones illius Concilii Illustriss. Baronius *ad annum Christi* 1010. *numero* 22. & ex Baronio Binius. Quod quidem Concilium ex universis Galliarum Episcopis collectum fuit occasione Philippi Regis & Bertrandæ ejus pellicis, quam superduxerat, dimissa uxore legitima. Quod quidem Concilium auctoritate Paschalis II. per Joannem & Guillelmum ejus Legatos Pictavis habitum est, Guillelmo Duce Pictaviensi tunc existente. In Concilio sub excommunicationis pœna Bertrandam pellicem dimittere jussus est Philippus: & præterea plures editi sunt Canones ad reformationem Ecclesiasticæ disciplinæ; ex quibus quidam in Decretales relati, v. g. *cap.* 2. *de vita & honestate Clericorum*, *& cap.* 1. *de filiis Presbyterorum ordinandis vel non*, *juncto cap.* 2. *de cohabitatione Clericorum & mulierum in* 1. *Collectione*.

Caput vero 3. desumptum est ex Registro Gregorii Magni *lib.* 14. *epist.* 31. & a Gratiano refertur in *Can.* 2. *Causa* XVII. *Quæst.* 4. unde error colligitur Raymundi, qui neglecto ordine temporum, præposuit caput 1. ex Canone Pictaviensi, quod multis sæculis post Gregorium I. habitum fuit.

Dicti vero *cap.* 1. sententia latissime patet, ut nullus Clericus, sive Laicus bona Ecclesiastica jure consanguinitatis sibi vindicare audeat: quæ in duas species dividi possunt, ut vel Beneficia contineant, vel bona & reditus Ecclesiis competentia; & iterum sive res mobiles, sive immobiles, quales sunt prædia, decimæ, oblationes, primitiæ, & generaliter omnes obventiones *Can. res Ecclesiæ* XII. *Quæst.* 1. *cap.* 14. *de jure patronatus*, *& cap.* 1. *de censibus*; in quibus nullum omnino jus proprie-

prietatis habent Clerici, ut ad hæredes vel testamentarios, vel ab intestato possint transmittere. Et quidem Beneficia Ecclesiastica sive majora, ut Episcopatus & Dignitates; sive minora jure hæreditario non possunt deferri *Can. Episcopo non licere & seqq.* VIII. *Quæst.* 1. & Innocentius II. in Concilio Rom. *Apostolica auctoritate prohibemus, ne quis Ecclesias & Præbendas, Præposituras, Capellanias aut aliqua Ecclesiastica Officia hæreditario jure valeat vindicare.* Quæ quidem prohibitio adversus consanguineos, in quos propensior est affectio, canonicis sanctionibus exacerbatur; adeo ut filius etiam legitimus in eadem Ecclesia, in qua pater prius immediate ministraverat, non possit admitti *toto titulo de filiis Presbyterorum:* imo nec simul esse possunt Canonici in eadem Ecclesia *cap.* 16. *eod. titulo.* Qua in re plures Canones diversis temporibus renovandi fuerunt, ut *ex dicto titulo* constat & ex *hoc nostro, juncto cap.* 1. *de filiis Presbyterorum, & cap.* 2. *de cohabitatione Clericorum in* 1. *Collectione.* Quem morbum in Galliæ plurimis Ecclesiis invaluisse conqueritur Hildebertus Cenomanensis Episcopus in *epistolis* 55. & 56. & quidem eleganter in *epistola* 55. adversus eos, qui electionem in solis Episcopis locum habere debere contendebant: *cæteros quoque gradus*, ait, *ad minimum usque Clericum pro Episcoporum deliberatione substituendos & distribuendos, judicandos & reformandos Canonica censent & prædicant instituta. Perit autem solis Pontificibus collata hæc a Domino potestas, si substituendi Canonicos, vel aliud in Ecclesia disponendi hæreditas alicui facultatem acquirat. Quid enim Episcopo in commissa licebit Ecclesia, in qua Clericus arbitrio assignatur alieno? quid ibi sacræ poterunt sanctiones, ubi nascitur, non fit Canonicus; ubi plus nuptiis dabitur quam meritis?* Et idem optimus Pontifex, postquam Archiepiscopus Turonensis creatus fuit in *Concilio Nannetensi*, cui præerat, prohibere districte statuit, ne Præbendæ & quælibet Ecclesiæ Dignitates hæreditate obtinerentur. Idem morbus irrepserat in Anglicanam Ecclesiam, ad quem curandum scriptæ fuerunt pleræque Decretales, relatæ sub *titulo de filiis Presbyterorum*: eodemque fere tempore, quo Pictaviense in Gallia sub Paschali II. pariter in Anglia super eadem re habitum fuit Concilium Londinense, annitente Anselmo Cantuariensi Episcopo.

Sicut vero Beneficia jure hæreditario & propinquitatis non esse deferenda diximus, eadem etiam ratione sancitum est in *cap.* 3. *hoc titulo*, ne res & bona Ecclesiæ Episcopi vel Clerici testamento vel alia qualibet ultima voluntate relinquerent. Qua tamen in re secundum Canones distinctio constituenda est inter patrimonium & bona, quæ aliunde Episcopis & Clericis quam consideratione Ecclesiæ obvenissent, ex hæreditate propinquorum aut amicorum, eorumve liberalitate, vel ex artificio aut doctrina eis comparata *cap.* 9 & 12. *de testamentis*, & inter ea, quæ ab Ecclesiis & Beneficiis, aut eorum occasione profecta forent *toto titulo de peculio Clericorum*, & *Can.* 1. 7. 9. & 12. *extra de testamentis*; idque sive res sint mobiles, sive immobiles *cap.* 8. *hoc titulo*: imo etsi quid ex reditibus Ecclesiasticis fuerit comparatum *cap.* 4. *de peculio Clericorum*. Sed non ita aspere & amare inter Clericos agitur, quibus licet de mobilibus, quæ occasione Ecclesiæ adepti sunt, testari non sit licitum; permittitur tamen eleemosynæ intuitu in ægritudine constitutis aliquid

quid erogare pauperibus *cap.* 8. *de testamentis*. Nec etiam improbatur consuetudo, ut de mobilibus pauperibus & religiosis locis, & illis, qui viventi ministraverunt, sive consanguinei, sive sint extranei, aliqua juxta servitii meritum conferantur *cap.* 12. *eodem titulo de testamentis*. Toleratur etiam illa consuetudo, qua Clerici de fructibus Beneficiorum suorum secundum suam voluntatem largiuntur; quoniam in multis Ecclesiis observatur, præsertim si Clerici in sui decessus tempore onere debitorum graventur *cap.* 7. *de Testam. in* 1. *Compilatione*, quæ Decretali confirmat usum Galliæ; ut Clerici de reditibus Ecclesiarum, sive inters vivos, sive causa mortis statuendi plenissimam habeant potestatem: quo etiam pertinet *Lex* 34. *sacrosancta Cod. de Episc. & Clericis*, in qua generaliter statuitur: quæcumque Episcopi vel Clerici in Clericali gradu locoque viventes & acquirere & habere potuerint, de his testandi & donandi inter vivos liberam habeant potestatem, quamvis in patrum constituti potestate. Quæ lex in Episcopis tamen & reliquis administratoribus rerum Ecclesiasticarum abrogata fuit *L. omnem* 42. §. 2. *Cod. de Episc. & Novella* 131. in reliquis vero Clericis nihil immutatum, ut ad *dictam Novell.* docet Cujacius.

Ab intestato vero omnia bona Clericorum, nulla adhibita distinctione unde obvenerunt, altari, cui serviunt, sanctificantur, & in jus ejus traduntur; nempe si legitimos hæredes non habeant: tunc enim Ecclesia præfertur fisco, quod jure posteriori sive novo sancitum, *Novell.* 131. *cap.* 13. *& cap.* 1. *infra de successionibus ab intestato*. Jure tamen Canonum & dicto *cap.* 1. & ex iis quæ diximus, colligi potest hæc distinctio, ut Episcopis, Presbyteris & Clericis liceat donare cui voluerint, dum vivunt, ea quæ per hæreditatem vel alio modo quam ab Ecclesia acquisierint. Nec enim reditus Ecclesiarum in quoslibet usus erogare & impendere licet: pars enim pauperum alimoniæ, pars Ecclesiarum instaurationi & ædificiorum refectioni cedere debent *Can.* 19. 20. 21. *& seqq.* XII. *Quæst.* 1. *& Can.* 26. 27. *& seqq.* XII. *Quæst.* 2. ex quibus exempla repeti possunt ad explicationem *capituli* 3. *hoc titulo*, in quo generalis regula proponitur, rationem non permittere, ut quod pro communi utilitate datum esse cognoscitur, propriis cujusquam usibus applicetur. Quamvis & hæc regula Præbendis convenire possit, ut intelligamus, in quos usus reditus & obventiones, ratione Præbendarum & Dignitatum percepti, insumi debeant *Can.* 26. 27. 28. *dicta Causa & Quæst.* Poterit etiam exemplum peti ex *cap.* 30. *infra hoc titulo*, & ex eleganti specie *cap. unici de Magistris in Collectione* 2. imo & ex *epist. integra Greg. Magni*, ex qua hoc caput sumptum fuisse initio monuimus.

AD CAP. II. IV. XVI. ET XXIII.

Antequam Juris ordinem & progressum explicemus, ex quo Decretales, quas conjungimus, fluxerunt, breviter sententiam singulorum capitum proponemus.

Et quidem 2. capituli verba, sicut in Decretalibus habentur, hunc sensum conficiunt, ut Episcopi Clericos ordinare non valeant, nisi ei ali-

alimenta præstent; ideoque Interpretes hanc regulam conficiunt, Episcopo non licere aliquem ordinare sine titulo. Si tamen inspiciamus originem & fontes hujus capituli 2. aliam omnino sententiam colligemus. Desumptum est enim ex *Novellæ 3. cap. penult. & ex epitome Juliani ordine* 5. ex cujus verbis integris exscriptum fuit *hoc cap.* Sententia vero integræ Novellæ hæc est, ut certus statutusque numerus Clericorum in singulis Ecclesiis determinaretur, supra quem numerum nullus constitui poterat. Quia vero Episcopi gratia & favore prævalente, plures supra numerum ordinare solebant, ita ut prægravarentur expensis Ecclesiæ, jubet Justinianus, ut Episcopi, qui supernumerarios ordinarent, de suo exhibere & alere tenerentur. Quod & confirmatur *Novella 6. cap. ultimo & Novella* 16. Sed de certo numero constituendo, & quando augeri vel minui possit, dicemus, Deo juvante, *ad cap.* 22. *hoc titulo*.

Quarti vero capituli sententia est, regulariter non licere Episcopo ordinare Presbyteros vel Diaconos absque certo titulo, idest Ecclesia in qua ministrent: quod si aliter fecerit, ordinator Episcopus alere tenetur ordinatos, nisi aliunde habeant, unde possint sustentari. Quod confirmatur *cap.* 16. & 23. In 16. etiam adjicitur, ut in Subdiaconis ordinandis idem observetur quod in Presbytero & Diacono, ut absque titulo non ordinetur Subdiaconus. Ratiò dubitandi ex eo petenda videtur, quod in dicto *capitulo* 4. non fiebat mentio Subdiaconi; itemque quia tardius Subdiaconatus inter sacros ordines numerari cœpit. 2°. In *dicto cap.* 16. valde notandum, non tantum Episcopum, qui ordinavit, sed etiam ejus successores compelli providere ordinatis sine titulo, idest vel competens Beneficium eis assignare, vel eos alere. Et quidem per summum Pontificem compelli solent. Forma rescripti continetur in dicto *capitulo* 16. ut nempe moneantur 1°. Episcopi: primo rescripto si non pareant. 2°. rescripto jubeantur: 3°. omnimodo compellantur, dato Judice, qui exequatur rescriptum. Exceptiones duæ in eodem *cap.* 16. subjiciuntur, quibus Episcopus prospicere non tenetur, v. g. si ad alicujus præsentationem Episcopus ordinaverit, puta Archidiaconi, vel Rectoris Ecclesiæ, aut alicujus patroni Ecclesiastici, aut Laici, ut in *Capitulo Cum dilectus, & cap. Postulasti infra de jure patronatus*. His enim casibus Episcopi liberantur quidem, & præsentantes obligantur præstare Beneficia vel alimenta.

Postremo observandum Clericum, qui impetravit hujusmodi mandata de providendo, vel agere adversus ipsum Episcopum, a quo ordinatus fuit, vel adversus successorem ejus. Si adversus ordinatorem, omnimodo compellitur ei providere, sive sit idoneus, sive non: si vero adversus successorem Ordinatoris, non aliter cogitur, nisi causa cognita providere, & vocato legitime Episcopo constiterit, non tantum hujusmodi Clericum nulla habere Beneficia vel patrimonium, ex quo se exhibeat, sed etiam esse idoneum.

Quærunt Interpretes, quid si depositus fuerit Episcopus, vel renuntiaverit Episcopatui, utrum etiam successor tenebitur Episcopus. Et quidem verius esse existimant, successorem illum non teneri, sed adversus depositum vel renuntiantem superesse actionem: quod quidem ita intelligendum, quamdiu sunt superstites: illis enim defunctis, crediderim suc-

successores onerandos hac ratione, quia cum bona Ecclesiæ, ut diximus, & Beneficia pauperum patrimonia vocentur & sint; conqueri non potest successor, si vacatura Beneficia conferat Clericis antea ordinatis in sua Diœcesi, quibus debentur: & præstat veteribus Clericis committi Ecclesias, quam de novo ordinare alios: quod & dicta *Novella* 16. Justiniani confirmat.

Ultimo notandum in *dictis tribus capitulis & in* 23. pœnam hujusmodi non porrigi adversus Episcopos, qui Clericos in Ordinibus minoribus constituerint.

Quærunt etiam Interpretes, utrum sine Titulo ille qui habet sufficiens patrimonium, possit ordinari a non suo Episcopo. Ratio dubitandi, quia non constituitur in aliqua Ecclesia vel Beneficio Diœcesis. Recte tamen respondent hujusmodi ordinationem alia ratione Canonibus reprobari, nimirum quia non licet vel alterius Diœcesis laicum Clericum ordinare, vel Clericum alterius ad superiorem ordinem promovere absque Diœcesani consensu, ne Ecclesiasticus ordo perturbetur, & Diœceses confundantur *Can.* 16. *Concil. Nicæni & plerisque Canonibus relatis in Quæst.* 2. *Causa* IX. *& toto tit. de Clericis peregrinis extra & cap.* 1. *& ultimo de temporibus ordinat. in* VI. eoque pertinent Joannis Chrysostomi & Joannis Hierosolymitani adversus Epiphanium querelæ, qui absque eorum consensu in eorum Diœcesi ordinaverat Clericos. De qua contentione agitur apud Palladium in *vita B. Chrysost. cap.* 8. & apud Socratem *cap.* 3. *lib.* 6. Ad defensionem vero B. Epiphanii pertinent ipsius Epiphanii epistolæ, & altera B. Hieronymi num. 60. & 61. inter ejus epistolas: quæ omnia explicant *Can. ultimum* IX. *Quæst.* 2. In arbitrio tamen est Episcopi, cui injuria facta fuerit, imposita congrua pœnitentia, in suo honore & gradu hujusmodi Clericos recipere *Can. ultimo* IX. *Quæst.* 2. *& cap. ult. de Clericis peregrinis*. Excipitur singularis casus *cap.* 1. *de Temporibus Ordinat. in* VI. sive *apud Bonifacium*, in quo specialiter S. Pontifex reservat sibi dispensationem, & propriis Episcopis adimit. Quæ est vera & communis omnium Interpretum sententia: nec videtur contradicere recte Rebuffus. Non enim aliquod jus singulare continet *Can. ult.* IX. *Quæst.* II. sed jus vetus commune declarat, quod omnibus Episcopis competit; itemque frustra in *cap.* 1. *de Temporibus Ordinationum in* VI. exciperetur casus singularis, in quo S. Pontifex in B. Petri solio a Christo institutus sibi dispensationem reservat; nisi in reliquis casibus Episcopo cuicumque permitteretur. Quare necessarium non est ad Summum Pontificem recurrere, & ab eo literas, quas vocant, perinde valere impetrare, ut censet Rebuffus *in praxi titulo de formula dimissoria num.* 29.

Alienus itaque Clericus opus omnino habet dimissoriis literis & consensu proprii Episcopi, quoties ab alio Episcopo ordines parat suscipere *dicto titulo de Clericis peregrinis*. Unde quæsitum & decisum in *cap.* 37. *de Præbendis & Dignit. in* VI. ut Episcopi, qui vel dant dimissorias literas aliquibus, ut possint, a quo voluerint, Episcopo ordinari, teneantur prius de Titulo vel Patrimonio inquirere; alioquin non ordinator Episcopus, sed ipse qui dimissorias dedit, tenebitur. Idemque est si certas & designatas personas in sua Diœcesi commiserit ordinandas: si vero generali mandato accersiverit alium Episcopum, ut vice sua ordines celebret in

in sua Diœcesi; ordinator tenebitur, & imputare sibi ipsi debet, quod secundum Canones non inquisiverit de titulo vel de patrimonio. Liberam enim ei potestatem tantum ordinandi commiserat Episcopus, servatis scilicet Canonibus, de quibus egimus.

Superest ut ordinem & formam Ordinationum & illius juris progressum & mutationes varias indicemus. Et quidem ordinationes Clericorum Jure veteri Canonico eo ordine & forma procedebant, ut certo & solemni tempore omnes Ecclesiæ Ordines convenirent, & ordinandorum, postquam a peritis viris examinati fuerant, nomina publice proponebantur & publicabantur, ut consensum Ordinum, Magistratuum & plebis solemni decreto obtinerent: post quod decretum consecrabantur Clerici per manus impositionem Episcopi & Presbyterii *Can. 6. Dist.* XXIV. *Can.* 13. *&* 27. *Dist.* LXIII. B. Cyprianus *lib.* 1. *Epist.* 4. & in *Ordine Rom.* hujusmodi vero electionis forma, quæ olim tam in Episcopis quam in Clericis habuit locum, postea in solis Episcopis eligendis retenta fuit.

Publicationis autem, sive propositionis Clerici ordinandi, quæ post præcedentem Clerici electionem & examinationem, populo palam fiebat in Ecclesia, ut ejus consensus exploraretur, solemnitas & forma in Ordine Romano his verbis exprimitur: *Ascendit Lector ambonem, & elevata voce legit brevem in aures populi continentem. Agnoscat Caritas vestra, quia ille & ille advocantur in tali officio vel in tali gradu: si quis habet contra hos viros aliquam querelam, exeat confidenter propter Deum & secundum Deum, & dicat.* Quod si nullus contradictor extaret, sed omnes consentirent in ordinandum, decreto, ut diximus, super ea re interposito, iterum vel ab Episcopo vel ab ejus Archidiacono sequebatur ad Populum hæc prænuntiatio: *De domo sanctæ Mariæ eligimus Petrum in Presbyterum ad eundem titulum, vel in Diaconum aut in Subdiaconum in tali Ecclesia.* Et ejusmodi publicationis & intitulationis extat mentio *in Glossa cap.* 54. *extra de electionibus in verbo, intitulatum.* Postea celebrabatur consecratio & manuum impositio, verbis pronuntiatis singulis ordinibus convenientibus. Et in hujusmodi publicationibus exprimebantur, ut diximus, nomina ordinandorum, ministerii, & officii Ecclesiarum, in quibus ministrarent. Ex quibus intelligimus verba illa Canonum, *denominari, titulari, vel intitulari & examinari in Clerum*, & in versione Canonis 6. Concilii Chalcedonensis, *manifeste mereri ordinationis publicatæ vocabulum.* Qui Canon refertur initio *Dist.* LXX. Unde & in Ordine Rom. præponitur supradictis Ordinandorum ritibus, & in pluribus Conciliis repetitur, in *Can.* 27. Concilii Aquisgranensis sub Carolo Magno, & Meldensis sub Carolo Calvo *tomo* 3. Concil. Galliæ pag. 46. Et in Concilio Placentino sub Urbano II. *Can.* 2. *Dist.* LXX.

Notanda vero sunt, quæ in dicto Concilio Aquisgranensi præponuntur *dicto Canoni 6. Concilii Chalced.* veluti loco Summæ; *ut nullus absolute ordinetur & sine pronuntiatione & stabilitate loci, ad quem ordinatur.* Et huc pertinet, quod in Concilio Valentino Hispaniæ statuitur, *Can. penult. & ultimo, ut nullum Episcopi ordinent, qui localem se futurum primitus non spoponderit.* Ratio redditur in dictis Canonibus, ut singuli in delegata sibi Ecclesia assiduum dependant officium, & Episcopi sui præceptis obtemperent, & ne ab Ecclesiastica devient disciplina, ab una in

aliam Ecclesiam transeuntes. Ex quo etiam apparet istius tituli connexio cum præcedenti *de Clericis non residentibus*. Ex quo etiam intelligimus sententiam *epist.* 225. B. Augustini, in qua cum Pinianus, qui invitus ab Hipponensi populo in Presbyterum petebatur, juravisset si ordinaretur invitus, se statim abscessurum, non potuit tamen effugere, quin juramento adigeretur sub conditione promittere. *Petiverunt*, inquit B. August. *ut adderetur eidem promissioni atque jurationi, ut si quando illi ad suscipiendum Clericatum consentire placuisset, non nisi in ipsa Hipponensi Ecclesia consentiret*. Notanda etiam sunt hæc verba initio *epistolæ*: *Addebant nihil eos*, idest populum Hipponensem, *velle, si ordinaretur invitus, nisi ut ordinatus abscederet*. Illi hoc posse fieri non credebant; obstante scilicet veteri Jure Ecclesiæ de stabilitate loci servanda, in quo quis ordinatus fuerat. Quod jus etiam ante Concilium Chalcedonense observatum fuisse paulo post ostendemus.

Pertinet etiam ad hunc articulum elegantissima *Epist. 6.* Paulini Londonensis Episcopi ad Severum, in qua protestatio Paulini, qui per vim ordinabatur, hac fere forma continetur. *Ea conditione consecrari in Barcelonensi Ecclesia adductus sum, ut ipsi Ecclesiæ non alligarer; in Sacerdotium tantum Domini, non etiam in locum Ecclesiæ dedicatus*. Eademque forma B. Hieronymus & ejus frater Paulinianus & Vincentius ordinati fuerunt; B. quidem Hieronymus a Paulino Antiocheno Episcopo & B. Vincentius & Paulinianus B. Hieronymi frater a B. Epiphanio Salaminiæ Cypri Episcopo, sub eadem protestatione omnes, ne adscriberentur alicui certo loco. Et hoc ideo, quia inviti & repugnantes ordinabantur. Quam in rem elegantissimæ sunt *epistolæ* B. Hieronymi & B. Epiphanii 60. 61. 62. ideoque videbatur ignoscendum illis, qui inviti & coacti ordinabantur, instantibus & urgentibus populis, si sub hac contestatione & conditione ordinarentur, ne in aliqua certa Ecclesia adscriberentur, & ibi perpetuo manerent: sed postea prohibitum *Novella* Valentiniani *de Episcop. Judicio*, ne inviti ordinarentur. Nihil tamen in contextu ea de re; quoniam postea altera *Novella* Leonis & Majoriani plenius & apertius prohibitum fuit, ne inviti ordinarentur Presbyteri vel Clerici: & utraque *Novella* extat in *Cod. Justinianeo*; eodemque pertinet *Lex* 31. *Cod. de Episc. & Clericis in fine*. Tandem in Concilio Chalced. hujusmodi omnes protestationes & conditiones rejectæ videntur, utpote Juri veteri Canonico Ecclesiæ adversantes. Quod jus antiquum Concil. Chalcedon. in *dicto Can. 6.* non introduxisse, sed tantum restituisse & explicasse videtur, ne quis scilicet omnino admitteretur in Clerum absque Titulo. Hujus enim Juris in Conciliis antiquioribus Chalcedonens. manifesta supersunt vestigia, in Nicæno *Can.* 15. & 16. in Neocæsariensi *Can.* 13. ut ad *eundem Can.* Zonaras & Balsamo eruditissime notaverunt. Quod & facile colligitur ex *epist.* B. Hieronymi, B. Augustini & Paulini *supra citatis*; quibus addimus *Libellum supplicem* Monachorum Constantinopolitanorum ad Theodosium & Valentinianum Principes, qui insertus est in actis Concilii Ephesini parte 1. his verbis: *Neque vero suorum Clericorum vel suæ Ecclesiæ opera, verum quorumdam opera utebatur ab exteris Parœciis & Diœcesibus Ascitorum, quibus tamen secundum Canones Ecclesiasticos in alieno Episcopatu*

vel

vel Ecclesia degere non licet, sed in solis tantum parœciis & Civitatibus, idque quiete, in quibus ordinati sunt. Quod ut commodius procederet, Leges constituerunt, ut Clerici ordinandi sumantur ex eadem possessione & vico, ubi Ecclesiam esse constiterit, in qua Ecclesia sunt collocandi *L. in Ecclesiis* 11. *Cod. de Episc. & Clericis*; & præterea ex plebeis pauperibus, non ex divitibus *L.* 16. & 17. *Cod. de Episc. & Clericis*. Tantum abest ut titulus patrimonii, qui hodie frequentatur, illis temporibus quidquam prodesset ad ordinationem. Adversatur enim manifestissime nostra consuetudo, vel potius corruptela juri antiquo Ecclesiæ & omnium Concil. Canonibus: imo & ipsi institutioni Clericorum. Clerici enim, ut in Paratitulo ostendimus, non sunt ordinandi patrimonii & facultatum ratione habita, sed tantum ministerii & officii, quod in aliqua Ecclesia certa, in qua intitulandi sunt, debent assidue obire, sicut diximus.

Originem hujus corruptelæ quidam recentiores conjiciunt ortam fuisse ex his verbis *Canonis 6.* Chalcedon. Concilii, qui in *Can.* 1. refertur *Dist.* LXX. (*in Ecclesia civitatis vel possessionis*). Ex possessionis enim dictione male intellecta a veteribus Interpretibus Gratiani, sicut ex Glossa constat, Titulum patrimonii excogitaverunt, ad quem Clerici recte ordinari possent. Quæ quidem falsa interpretatio errore primum introducta, & paulatim prava consuetudine recepta adeo invaluit, ut Concilio Lateranensi sub Alexandro III. confirmaretur, & a sequentibus deinde SS. Pontificibus probaretur.

Verus autem sensus verborum *dicti Canonis* hic est, ut nemo ordinetur Clericus, nisi simul & in continenti adscribatur in Clero alicujus certæ Ecclesiæ, sive illa Ecclesia sita sit in Civitate, sive in aliquo pago, sive vico. Κώμη, ut in Græco *Can.* habetur, Concilium Aquisgranense in *Can. citato* verterat vicum: quamvis & possessionis dictio apud bonos auctores recte accipiatur pro pago, sive vico, ut constat ex Festo Pompejo in verbo (*possessionis*) & ex *L.* 1. *Cod. de Episc. & Clericis & ex Can.* 4. & 5. *Dist.* LXXX. & *Can. in parochia* XVI. *Quæst.* 1.

Sicut Sententia Concilii Chalced. imminuta est, excogitatis titulis patrimonialibus; ita etiam & pœna immutata fuit, qua puniebantur Episcopi, qui sine titulo ordinaverant. Nam in *dicto Canone 6.* Chalced. si quis sine titulo ordinaretur, vacua erat manus impositio & irrita; nulla ab initio, ut recte Zonoras & Balsamo interpretantur. Harmenopulus in *compendio Canonum* ἀνίερος ἔστω, idest pro non ordinato sit. Quod & agnoscit Innocentius III. in *cap.* 16. *hoc titulo*. In dicto tamen Concil. Lateranensi alia pœna adversus Ordinatores introducta fuit, quam retinuit Concil. Tridentinum: quæ quidem pœna ad solos Presbyteros & Diaconos sine titulo ordinatos restricta fuit in Concilio Lateranensi, & postea ad Subdiaconos porrecta, non ultra: intra quos etiam ordines sacros consistit Concil. Tridentinum; quamvis veteres Canones ad omnes omnino Clericos, etiam in minoribus constitutos pertineant. Unde & adversus Episcopos solebant a SS. Pontificibus impetrari Rescripta de Providendo, quibus compellerentur vel ipsi Ordinatores, qui sine titulo eos ordinaverant, vel etiam eorum successores Episcopi, interim eis providere necessaria ad victum, quoad usque Beneficia contulissent. Qua

 de

de re variæ querelæ Episcoporum sub ipso tempore Concilii Lateranensis; eamque in rem elegantissima est epistola 12. Stephani Tornacensis. *Salva*, inquit, *Reverentia vestra nobis videtur novum hoc & insolitum, cum in sacris & in antiquis Canonibus circa Presbyteros tantum & Diaconos restringatur hæc observantia, & in S. Lateranensi Concilio sub felicis recordationis B. Papa Alexandro III. cui plures ex nobis interfuerunt, suffragium suum omnibus, qui aderant, præstantibus, de Presbyteris tantum & Diaconibus statutum fuerit & decretum, id libenter amplectimur*, &c. (Intelligit *cap.* 4. *hoc titulo*). *Impossibile autem nobis est nomina vel numerum eorum, quos infra Diaconatum ordinavimus, memoriter tenere; nec minus est impossibile omnibus eis vel conferre Beneficia, vel necessaria præbere. Satius erit nobis amodo non celebrare Ordines, quam hæc importabilia suscipere onera*. Quibus querelis & rationibus moti SS. Pontifices statuerunt, ut hujusmodi Mandata de Providendo non concederentur Clericis in minoribus Ordinibus constitutis, nec etiam his, qui vel proprias facultates habent, unde possint vivere, vel aliquod Beneficium non tantum in titulum, sed etiam in Vicariam perpetuam obtinerent *cap.* 27. *de rescriptis*. Addidit Concilium Trid. ut deinde videbimus, si pensionem aliquam habeant. Præterea hæc clausula in hujusmodi rescriptis inseritur: *Si ordinatus, pro quo scribimus, idoneus habeatur, & Ecclesiastico Beneficio non indignus, ei ab Ordinatore vel a successore ipsius competens Beneficium tribuatur, cap.* 13. *extra de ætate & qualitate ordinandorum*. Quæ tamen exceptio ab ipso Episcopo, qui ordinasset indignum, opponi non poterat, nisi per alium, v. g. per Archidiaconum ejus, cum ordinaretur, renuntiatus fuerit dignus: quo casu ipse Archidiaconus teneretur *dicto cap.* 16. *hoc titulo*, quod desumptum est ex *lib.* 1. *Registri* Innocentii III. *epist.* 74. *& dicto cap.* 13. *de ætate & qualitate ordinandorum & dicto Capitulo de rescriptis*.

Superest ut quid super ea re Concil. Tridentinum statuerit, & quid Regum nostrorum ordinationibus firmatum fuerit, breviter exequamur. Et quidem in *cap.* 2. *de Reformatione sessione* 21. statutum, ut qui patrimonium sufficiens, vel etiam pensionem habet, ita ordinetur, ut & patrimonium & pensio alienari, extingui, vel remitti non possint, quod & hodie fit, donec Beneficium Ecclesiasticum sufficiens fuerit adeptus, vel aliunde habeat, unde vivere possit: in quo *cap.* sequuntur Patres Concilii opinionem veteris Interpretis Vincentii, Cardinalis Ostiensis & Joannis Andreæ ad *cap.* 23. *hoc titulo*, quam tamen Glossa improbavit hac ratione, quia cum patrimonium succedat in locum Beneficii, sicut Beneficio Ecclesiastico potest Clericus renuntiare, ita etiam patrimonium alienare potest. Sed vitiosum illud fundamentum Glossæ Patres Concilii recte improbant *eodem cap.* 2. Statuunt enim Beneficium, ad quod Clericus ordinatus fuit, non posse resignari, nisi facta mentione, quod ad illius Beneficii titulum sit promotus; nec admittitur resignatio illa, nisi constiterit, quod aliunde commode vivere possit, & aliter facta resignatio nullius est momenti. Eodem etiam Concilio *sessione* 23. apertius statutum in *capite* 16. ad observationem *Can.* 6. Chalced. In principio quidem *dicti cap.* 16. consilium datur Episcopis, ut nullos omnino Clericos ordinent sine Titulo, & deinde additur: *quod si in*

si in Ordinatione titulus assignatus fuerit Clerico, ab eo titulo sive Ecclesia non possit recedere, inconsulto Episcopo. Sed nihil novi cavit Concilium Trid. si sine titulo, vel ad titulum, ut loquimur vulgo, patrimonii aliquis fuerit ordinatus. Itaque recurrendum erit in iis casibus ad alios Canones ejusdem Concilii Trid. quos explicavimus, vel ad jus, quod ante dictum Concilium Trid. obtinebat.

Superest adhuc, ut aliquid annotemus ex moribus nostris & Regum constitutionibus nostrorum. Et quidem in Aurelianensibus Comitiis sub Carolo IX. statutum *cap.* 12. & 13. ut reditus patrimonii Clericalis alienari non possit, vivente Clerico. Reditus tantum facit mentionem, non autem proprietatis: unde sequitur nudæ proprietatis, idest retento usufructu, non prohiberi alienationem. Præterea Presbyterorum tantum fit mentio, non autem Diaconorum vel Subdiaconorum; quamvis & ad eos soleat porrigi sententia Legis. Aliud si in minoribus tantum sint constituti; quamvis & ad eos Concilium Trid. videatur pertinere. Quod non licebat Episcopis, nec Concilio, sicut Patribus in ipso Concilio Episcopus Ebroicensis objecit. In temporalibus enim non quid Episcopi, sed quid Principes statuerint, sequimur, qui nullos in temporalibus agnoscunt superiores, teste Innocentio III. in celebri *capitulo per venerabilem extra qui filii sint legitimi*. Unde merito Ostiensis ad *cap.* 23. *hoc titulo in fine* notat, si servilis conditionis patrimonium assignetur in titulum, hujusmodi assignationem non valere, nisi habeat consensum domini, & Episcopum ideo ei providere teneri, & debere imputare sibi, quod in titulum admiserit patrimonium servilis conditionis.

Notandum quamvis vulgo Levitæ Levitis non solvere decimas dicuntur, & dotem Ecclesiæ immunem esse a decimis doceat *cap. novum genus infra de decimis*; de Titulo Clericali decimas solvendas esse, adeoque hujusmodi Titulos Clericales mores nostri oderunt, ut in Commonitoriis a Rege Christianissimo Carolo IX. datis Legatis ad Concilii Trid. missis hic art. num. 3. insertus sit. *Nullus Presbyter ordinetur, cui non continuo secundum Concilium Chalced. detur una cum Ordine Beneficium aut ministerium: sic enim fiebant ordinationes a priscis illis Patribus, qui Titulos Presbyterales multo postea tempore inventos non agnoverunt*.

POSITIONES.

I. Jure vetustissimo Ecclesiæ ordinationes omnium Clericorum sive in sacris, sive in minoribus constitutorum, absque Titulo & loco in aliqua certa Ecclesia fieri non poterant.

II. Nisi in ipsa ordinatione, qui nolentes aliquando & inviti compellebantur, contestati forent se nolle certe alicui Ecclesiæ alligari.

III. Quod tamen apertius in Concilio Chalced. constitutum in omnibus omnino Ordinibus, sublatis etiam penitus hujusmodi contestationibus, & pœna addita hac, ut ordinationes absolute, idest absque Titulo factæ, ipso jure irritæ essent.

IV. Multis postea seculis, sive ferme a sexcentis annis in Concilio Later. sub Alexandro III. jus illud immutatum fuit, & ita temperatum, ut

ut ordinationes sine Titulo ratæ quidem sint & valeant, dummodo ordinati possint de propriis facultatibus sustentari; alioquin Ordinatores tamdiu necessaria subministrare tenentur donec competens Beneficium merito sint consecuti.

V. Ex dicto Concilio inductus primum Titulus patrimonii.

VI. Pœna tamen Concilii ad solos Presbyteros & Diaconos restringitur.

VII. Sequentium etiam SS. Pontificum constitutionibus ad Subdiaconos extensa fuit.

VIII. Quibus etiam constitutionibus Ordinatores multis casibus excusantur ab observatione Canonis.

IX. Titulum vero Patrimonii posse, vel non posse alienari ex iis, quæ diximus, colligi potest.

AD CAP. V. VI. VII. XIII. XIV. XV. XVIII. XXVIII. ET XXXIII.

Cohæret proxime Tractatus de pluralitate Beneficiorum cum superiori, in quo Ordinationes absolutas, idest sine titulo, proihibitas fuisse ostendimus, cujus prohibitionis rationem hanc veram diximus esse, quia Clerici nomen & munus non tantum est honoris, sed etiam oneris & ministerii in Ecclesia certa, in qua stabilitatem loci servare, & assiduitatem officii tenentur exhibere: cui repugnat maxime Beneficiorum multitudo, quia singula officia in Ecclesiis assiduitatem exigunt personarum *cap.* 13. *hoc titulo*; ideoque merito subjicitur præcedenti Tractatui Tractatus de multitudine Beneficiorum, sicut & in *Can.* 2. *Dist.* LXX. & in *Can.* 1. *Concilii Chalced.* conjunctim traduntur illæ duæ materiæ.

Utilis autem & pernecessaria est hæc tractatio, quia non minus hodie, quam olim sub Alexandro III. consuetudo Ecclesiæ Gallicanæ, vel potius corruptela, qua in multis offendimus omnes, invaluit, ut unus plura obtineat Beneficia contra sanctorum Canonum instituta, qua de re conqueritur Alexander III. S. Pontifex in *cap.* 15. *hoc titulo in antiqua Collectione*, quod & aliquando tolerare cogebant SS. Pontifices *cap.* 18. *hoc titulo*.

In hoc vero tractatu hunc ordinem servabimus, ut primo singulorum capitum sententiam proponamus. 2°. De multiplici distinctione Beneficiorum Ecclesiasticorum agemus. 3°. De origine & progressu hujus juris. Et postremo difficultates & quæstiones circa hanc materiam exortas explicabimus.

Observandum primo illa omnia Capitula, quæ conjunximus, ad duo Generalia Concilia Lateranensia reducenda esse sub duobus SS. Pontificibus habita: primum sub Alexandro III. secundum sub Innocentio III. Et quidem ad Concilium Lateran. sub Alexandro pertinent sex prima capita, quæ annotabimus. Et primum cum *quinto Capitulo* jungi debet *caput secundum de Clericis non residentibus*: nam ex Concilio Lateranensi primo utrumque caput desumptum est, & sequuntur in Concilio integro ordine 13. & 14. Reliqua tria capitula hujus tituli, nempe 18. 28. &

28. & 33. pertinent ad Concilium generale Lateranense II. sub Innocentio III. sicut & *caput* 54. *de electionibus*. *Capitis* autem 5. *hoc titulo*, sumpti ex Concil. Lateran. I. *juncto cap.* 3. *de Clericis non residentibus*. hæc est sententia, ut nemo plures Ecclesias obtineat, idemque de multitudine Præbendarum subjicitur, apertius tamen & restrictius in *cap.* 3. *de Clericis non residentibus*, ne quis Dignitates diversas Ecclesiasticas vel plures Ecclesias parochiales obtineat, nulla mentione facta Præbendarum, sicut & in *principio Capituli* 28. *de multa infra*, in quo brevis sententia refertur Concilii Lateranensis sub Alexandro. Pœna vero Concilii Lateranensis I. hæc erat, ut qui secundum Beneficium recepisset contra sacros Canones, secundum Beneficium amitteret, quod non jure adeptus fuerat restituendo, & Collator largiendi potestate privabatur: quæ pœna, ut deinde dicemus, veteribus Canonibus inducta fuerat; idque adeo religiose observari voluit Alexander, ut suis mandatis & rescriptis de providendo obtemperari noluerit, si impetrans aliud haberet Beneficium, nisi illius Beneficii fecerit expressam mentionem; quin imo quamvis facta fuerit mentio Beneficii, aliquando æquanimiter ferunt SS. Pontifices rescripti non haberi rationem, si scandalum exinde metuatur *cap.* 6. *hoc titulo*. Quod vero generaliter diximus de prohibita multitudine Ecclesiarum sive Præbendarum & Dignitatum in *supradictis capit. hoc titulo*, & in *cap.* 3. *quia nonnulli extra de Clericis non residentibus*; explicat apertius idem noster Alexander III. in *cap.* 13. 14. *&* 15. ne quis vel in una, vel diversis Ecclesiis plures Dignitates vel Personatus obtineat; de eo vero, qui plures Dignitates in diversis Ecclesiis obtinet, exemplum habetur in *cap.* 14. *&* 15. Nec refert, utrum per collationem, an per electionem Dignitates plures obtinuerint *dicto cap.* 15.

Observandum præterea in *cap.* 7. *&* 14. quorum auctor est etiam Alexander III. diversam pœnam contineri ab ea, quæ in ipso Concilio Lateran. in *dicto cap.* 3. *de Clericis non residentibus* exprimitur. Nam in Concilio secundum Jus vetus, ut diximus, retinetur primum Beneficium, quod jure obtentum fuit; secundum adimitur, quia contra Canones supervenit; in *dictis* vero *capitulis* 7. *&* 14. relinquitur optio & libera electio ei, qui plura Beneficia adeptus est: eligat quod maluerit ex illis. Quam prolixiorem quæstionem postea explicabimus.

Hactenus de Concilio Lateranensi sub Alexandro III. & ejusdem Alexandri III. Constitutionibus. Reliqua hujus tituli capita auctorem habent Innocentium III. Et quidem *cap.* 18. pertinet ad interpretationem dicti Concilii Lateran. sub Alexandro III. sicut & *cap.* 9. *de Concessione Præbendæ*, & *epistolæ* ejusdem Innocentii III. *lib.* 1. *registri* 80. 188. *&* 408. ex qua est sumptum *Capitulum* 4. *hoc tit. in* 3. *Collectione*, & ex ea mendis repurgandum: quibus addendum *cap.* 2. *de Institutionibus in* 3. *Collectione titulo de Institutionibus*.

Capite 18. hoc titulo electio irrita declaratur Præpositi Siclinienfis propter multitudinem Ecclesiarum & Præbendarum, quas obtinebat. Nam ut in *Epistolis* Innocentii III. dicitur, septem obtinebat Prælaturas præter præbendas. Ad historiam vero & intellectum hujus capituli, nihil addendum videtur ad ea, quæ D. Cujacius ex epistolis ipsius Innocentii III. annotavit ad *hoc Capit.* 18. ex quo colligimus eum non posse eli-

eligi ad Prælaturam, Dignitatem, Personatum, vel Ecclesiam Parœcialem, qui aliam similem habet, ut constat ex *cap. dudum* 54. *extra de electionibus*, ut hic recte Glossa.

Ex verbis autem ultimis hujus capituli notandum, quamvis per aliquod tempus vitia quædam tolerata fuerint per conniventiam & dissimulationem; non ideo tamen securos esse delinquentes. Quamvis enim vulgo dicatur Ecclesiam dissimulando quodammodo dispensare, & dispensando dissimulare; hoc tamen ita intelligendum ex *hoc capitulo*, quamdiu res in judicium deducta non fuerit. Si enim semel denuncietur & accusetur delinquens, Canones ad executionem recte deducentur & rite, & non proderit dissimulatio vel patientia, sed opus est expressa dispensatione & gratia, quæ reum eximat.

Sequitur *Caput* celeberrimum *de Multa* 28. *hoc tit.* ad cujus interpretationem pertinent *cap.* 35. *hoc tit.* & *cap.* 34. *extra de elect.* Et quidem initio *d. cap.* 28. quod ex Concilio Lateran. sub Innocentio III. desumptum fuit, proponitur causa renovandæ prohibitionis multitudinis Beneficiorum: & statim incipit a Concilio Lateran. sub Alexandro III. cujus summam refert, ut supra diximus. Deinde prolixius & evidentius universam materiam declarat, & novam pœnam inducit hoc ordine, ut nemo simul duo retineat Beneficia curam animarum habentia, qualia sunt Ecclesiæ Parœciales & Dignitates & Personatus, de quibus infra dicemus. Quod si habens primum, receperit etiam secundum, ipso Jure privatur primo. Ipso Jure, inquam, idest non expectata Judicis sententia; adeo ut Collator primi Beneficii statim post secundi receptionem primum Beneficium velut vacans idoneæ personæ possit conferre, maxime Beneficium non habenti, sicut plerisque constitutionibus consulitur. In hoc autem articulo diversum est Concil. Lateranense sub Innocentio a Lateranensi sub Alexandro, in quo vacabat secundum non primum, sicut diximus, & præterea opus erat sententia Judicis, ut declararetur vacare: quare mirum non est, si nullus aut saltem rarus proventus dicti Concilii Lateranensis primi fuerit. Quæ sequuntur deinde, nova sunt ad exacerbandas pœnas, ut scilicet qui secundum Beneficium obtinuit, si secum litem patiatur contestari, ut utrumque retineat, etiam secundo Beneficio privetur. Hactenus de pœnis Clericorum, qui plura hujusmodi Beneficia retinent.

Quod vero pertinet ad Collatores, qui scientes habenti Beneficium secundum contulerint, & primum, quod ipso Jure vacat, conferre distulerint intra sex menses; duobus modis plectuntur, primo ad proximum superiorem devolvitur post elapsos sex menses Collatio, & præterea, quod summe observandum est, Collator primi Beneficii tantum de suo tenetur inferre Ecclesiæ, cujus fuit primum Beneficium, quantum a tempore vacationis, idest tempore receptionis secundi perceptum fuerit ex reditibus primi Beneficii: qua pœna ideo plectitur Collator, ut in conferendo primo Beneficio vacante sit diligentior: nec enim ea pœna pertinet ad Clericum, qui secundum Beneficium contra Canones recepit: in quo labitur hic D. Cujacius.

Additur deinde ut quamvis Dignitates & Personatus non habeant curam animarum, plures tamen simul non possent retineri, cum tamen ex Con-

Concilio Lateran. sub Alexandro III. mentio tantum fiat Dignitatum, quæ curam animarum adjunctam habent. Postremo in fine Canonis permittitur S. Pontifici dispensatio duobus casibus in gratiam vel sublimium, ideft natalibus illustrium, vel litteratarum personarum, ideft doctrina & scientia eminentium; & adhuc adjecta hac conditione, cum ratio postulaverit. Quoniam vero sæpius peccabatur prætextu sublimium Personarum, Joannes XXII. in *extravaganti execrabilis tit. de Præbendis in extravag. Comm.* constituit sublimes Personas intelligi Cardinales & Regum filios tantum.

Notandum autem verbis Canonis soli Summo Pontifici dispensationem, & quidem his duobus tantum casibus permitti: ergo non Episcopis, quibus non conceditur in illo Canone: quamvis ex *Can.* 2. *Dist.* LXX. Glossæ & Interpretes contendant licuisse Episcopis circa pluralitatem Beneficiorum dispensare, quod eis adimi tacite putant in *hoc Capitulo*. Si tamen sententiam *dicti Can.* spectemus, in quo dicitur *unum diversis Ecclesiis præesse posse Episcopi dispensatione*: intelligemus id habere locum in casibus a Jure probatis, quibus licet Episcopis ex justis causis & evidenti utilitate vel necessitate Ecclesiarum aliquem duabus Ecclesiis præficere, sicut in specie *Canonis* 4. *&* 5. *Dist.* LXXI. *& in locis diligenter notatis Glossa ad caput* 54. *dudum de electionibus in verbo*, *Intitulatum*.

Notandum obiter quod in *illo Capitulo* dicitur posse aliquem duas Ecclesias Parœciales obtinere, dummodo unam intitulatam, alteram commendatam, non esse generaliter intelligendum, ut in omnibus Ecclesiis Parœcialibus id liceat, sed certis tantum casibus, v. g. hostilitatis, vel paupertatis & tenuitatis Ecclesiarum, ut colligitur ex *dicto Can.* 4. *&* 5. *Dist.* LXXI. secundum quos intelligendus iste *Canon* 3. *& seqq.* XXI. *Quæst.* 1. Ex quibus Canonibus male intellectis pernicies & abusus Commendarum in Ecclesiam fluxit, sicut viri omnes probi & docti agnoscunt, contra veteres Canones.

Quamvis autem ea, quæ diximus, utiliter in Conciliis Lateranensibus statuta fuerint adversus multitudinem Beneficiorum, & duobus tantum casibus expressis in fine *hujus Capituli* permittatur S. Pontifici dispensare; frequentari tamen postea cœperunt extra illos duos casus dispensationes: qua de re Matthæus Paris conqueritur in *Henrico III.* mentionem faciens Gregorianæ Collectionis. *Gregorius IX. quædam in decretalibus innovavit, ne scilicet illegitime Prælatias vel Ecclesiastica Beneficia, nisi adepta a Sede Romana dispensatione legitimationis, obtineant; sciens ipse Sum. Pontifex inde Curiæ Romanæ pro tali impetratione multa emolumenta provenire; sicut ex statuto Innocentii pro dispensatione plurium Beneficiorum obtinendorum*. Quibus verbis Matthæus intelligit *caput ult. extra de filiis Presbyterorum*, *& hoc capitulum nostrum*, *de multa in fine*.

Sequitur modo, quia sæpius Dignitatum, Personatuum, Ecclesiarum & Beneficiorum in hoc tractatu & fecimus mentionem & fecimus, ut breviter distinctionem & significationem singularum dictionum exponamus, & quidem in *Paratitulo* attigimus, separari Præbendas, Ecclesias Parœciales, Dignitates, & personatus; quamvis, ut deinde probabimus, Ecclesiæ Parœciales Personatus appellari possint; itemque licet Di-

Dignitatis nomen etiam comprehendat Personatus *cap.* 8. *de rescrip. cap. cum accessissent supra de Constit. & in hujus tituli Rubrica de Preb. & Dignit.* non additur de *Personatibus*, quamvis de his sub hoc titulo agatur, & in *hoc cap. de multa* separentur a Dignitatibus ; & rursus Personatus nomen aliquando tribuatur Dignitatibus , ideoque quid specialiter singula significent, necessarium est explicare.

Beneficiorum nomine, ut in *Paratitulo* monuimus, Majora & Minora Beneficia comprehenduntur *cap. penult. de verbor. signific.* Majora Beneficia vocantur Dignitates & Personatus *cap.* 8. *de Rescriptis ;* reliqua omnia dicuntur Minora Beneficia . In Jure Canonico Dignitas specialiter dicitur honor, sive munus in Ecclesia, cui aliqua Administratio vel Officium injunctum est cum jurisdictione vel animarum cura , ut colligitur ex *cap.* 28. *hoc titulo*, & *ex cap.* 54. *extra de Electionibus*, in quo Archidiaconatus, cui utplurimum Dignitatis definitio convenit, aliquando tamen Personatus esse dicitur in aliquibus Ecclesiis , quia nec jurisdictio nec cura animarum sit ei annexa : eoque magis notandum *dictum cap.* 54. quoniam ad interpretationem *dicti Capituli de multa* fuit ab Innocentio III. promulgatum, sicut & *caput* 33. *hoc titulo*.

Personatus dictio in libris nostris multas habet significationes diligenter separandas. Et quidem Personæ nomen non est naturale, sed civile, idest nomen Juris. Eleganter Gellius *lib.* 5. *Noctium Atticarum cap.* 7. *Homo natura vocatur* , *Personam faciunt circumstantiæ & accidentia* . In Jure vero Canonico Persona & Personatus generaliter aliquando significat omnes omnino Clericos, qui aliquo honore præcellunt sive ratione jurisdictionis, sive curæ animarum, quæ eis incumbit ; sive nuda tantum honoris prærogativa fruantur in Ecclesia sedendo vel procedendo, absque ulla jurisdictione & animarum cura *cap. Cum olim de consuetud. supra* : & in hac postrema significatione specialiter Personatus accipitur , & separatur non tantum a Dignitatibus , sed etiam a Beneficiis curam habentibus animarum tam in *hoc nostro capitulo de Multa & in cap.* 54. *de Elect.* quam *in cap. ult. de filiis Presbyt. in antiqua collect. & in cap.* 6. *de Prabendis in* VI.

In hac autem speciali significatione acceptus Personatus a Dignitate differt, & minor est. Sæpius etiam in Jure Canonico Persona & Personatus pro Rectore & Plebano Ecclesiæ alicujus accipitur *cap.* 1. *de Officio Vicarii*, *cap.* 1. & 4. *de filiis Presbyterorum* , *cap.* 5. *ext. ut lite pendente*, *cap.* 7. *ex literis de Jure patronatus ;* quam appellationem ab Ecclesia Gallicana fluxisse notatur in *Can. quæsitum* 1. *Quæst.* 3. qui Canon desumptus est ex Concilio ab Urbano II. habito apud Nemausum. Quare etiam ante Alexandrum III. in eo sensu, nempe pro Plebania & pro Rectore Personatus & Persona accipiebantur ; quibus addimus Ivonem *epist.* 12. aliter quam Dom. Cujacius existimaverit.

Non omittendum, quamvis Dignitates a Personatibus distinctæ sint, non tamen certo & perpetuo assignari posse & definiri, quænam Officia vel Munera inter Dignitates , & quæ inter Personatus referantur : nam & aliquando idem Officium , v. g. Archidiaconatus , modo inter Dignitates, modo inter Personatus recensetur , secundum morem & consuetudinem diversarum Ecclesiarum . Nam quod ad Dignitates & Personatus

tus pertinet, variæ consuetudines Ecclesiarum præcipue sunt attendendæ, ut constat ex *cap. Cum olim de consuetudine*, *juncta antiqua Decretali*, *& cap. ult. de Officio Archidiaconi*, *& cap.* 54. *de Elect.*

Postremo a Dignitatibus & Personatibus & Beneficiis curam animarum habentibus separantur Præbendæ, & quæ vulgo appellari solent simplicia Beneficia in *cap. ult. hoc titulo*, quibus scilicet neque honor cum jurisdictione vel animarum cura incumbit, sicut in dignitatibus & Rectoriis, neque nuda prærogativa & honor in sessionibus & processionibus cohæret, sed tantum merum jus & simplex reditus percipiendi ex Ecclesia ratione ministerii, qualia sunt Canonicatus, sive Præbendæ in Ecclesiis Collegiatis vel Cathedralibus, itemque altaria, capellæ, sive capellaniæ, ad quas usus noster non pertinere prohibitionem pluralitatis admisit. Iterum simplicia ista Beneficia dividuntur in Sacerdotalia, & non Sacerdotalia: quæ differentia vel ex fundatione, vel ex consuetudine descendit. Dicuntur Sacerdotalia, quæ necessario exigunt, ut is, cui confertur, tempore Collationis in tali sit ætate, ut intra annum ad Sacerdotium possit promoveri *cap.* 27. *&* 29. *de Præbend. in* VI. quæ quidem necessitas, præsertim si lege fundationis fuerit imposita, per dispensationem remitti non potest.

Observandum etiam, quamvis in Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis Præbendæ & Canonicatus passim confundantur, quia utplurimum tribui solent Canonicis; aliquando tamen Præbendas concedi iis, qui non sunt Canonici, respectu nempe certi muneris & officii, quod tenentur obire in iis Ecclesiis: hujusmodi sunt Præbendæ, quæ in Ecclesiis Cathedralibus assignantur Theologis vel Magistris Scholarum, de quibus in *cap.* 4. *infra de Magistris*, *& in* §. *sequuntur de Collationibus in Pragmatica & Concordatis*: imo & etiam aliquando Cantoribus, sive Clericis, sive Laicis tribuuntur; unde mirum non est, si aliquando Præbendæ separentur a Canonicatibus, ut in *cap.* 3. *de Præbendis in extravagantibus communibus*.

Afferri solet alia divisio Beneficiorum in Sæcularia & Regularia. Sæcularia dicuntur, quæ Clericis Sæcularibus tantum tribuuntur: Regularia vero, quæ Religiosis & Regularibus tantum, v. g. Monachis vel Canonicis Regularibus, sive Clericis Regularibus tantum, nunquam Sæcularibus. Ex qua divisione & regula vulgo jactatur, Regularia Regularibus: Sæcularia Sæcularibus conferenda esse tantum; itemque præsumi omnia Beneficia sæcularia, nisi aliud vel de fundatione & origine, vel de consuetudine legitime præscripta constet.

Notandum insuper unius Monasterii Beneficia alterius Monasterii Monachis committi non posse absque dispensatione S. Pontificis *cap.* 5. *&* 32. §. *prohibemus*, *de Præbendis in* VI.

In quot vero species subdividantur Sæcularia & Regularia Beneficia, pluribus tractat Rebuffus in *Praxi Beneficiorum cap.* 4. *&* 5. *parte* 1.

Sequitur ut originem & progressum prohibitæ multitudinis Beneficiorum repetamus a primordiis & initiis Ecclesiæ. In *cap.* 2. *supra* Clericorum Ordinationes hac forma peragi docuimus, ut ordinandus Clericus in collatione Ipsius Ordinis eodem momento in certa Ecclesia consti-

ſtitueretur, in qua perpetuo maneret. Ex quo jure conſequebatur, quia ſtabilitatem loci ſervare tenebatur, non potuiſſe ſimul in duabus Eccleſiis conſtitui, ideoque recte in *Can.* 2. *Diſt.* LXX. utrumque conjungitur, nempe probibitio ordinationis abſolutæ & ſine titulo, de qua pluribus diximus, & ne quis in duabus Eccleſiis conſcribatur & intituletur. Quod jus ab antiquis Canonibus deducimus a Nicæno Concil. in *Can.* 15. & 16. Antiocheno *Can.* 3. in quibus qui de una civitate ad aliam tranſit, ad priorem redire compellitur; idemque definitur *Can. Apoſtolorum* 15. & in Concil. Chalcedonenſi *Can.* 10. & 20. ſtatuitur non poſſe Clericos in duabus civitatum Eccleſiis ſimul conſcribi, ſed ad Eccleſiam, in qua primitus ordinati ſunt, eſſe revocandos. In quibus Canonibus notandum fieri nominatim mentionem de Eccleſiis duarum Civitatum, ſive Epiſcopatuum: unde quidam a contrario ſenſu contendebant in ejuſdem Civitatis vel Epiſcopatus Eccleſiis pluribus licere conſcribi. Quam difficultatem movet Balſamo ad *dictum Can.* 10. *Chalced.* Synodi & *Can.* 15. Synodi VII. in quo *Can.* 15. ſubtilis illa interpretatio diſſlatur. Apertiſſime enim definitur Clericum generaliter non poſſe connumerari in duabus Eccleſiis, nulla duarum Civitatum vel Epiſcopatuum diverſorum facta mentione. Quinimo illo Can. qui refertur in *Can.* 1. XXI. *Quæſt.* 1. adeo exacerbatur prohibitio pluralitatis, ut licet tenues ſint reditus, plura tamen Beneficia ſimul obtineri non poſſint, & præcipitur Clericis, ut potius honeſtis artibus neceſſaria vitæ comparent: quod Apoſtolicis exemplis confirmat. Excipiuntur tantum Clerici, qui in villis conſtituuntur propter inopiam hominum: Balſamo tamen eundem abuſum & corruptelam in Oriente agnoſcit, quæ in Occidente, ut diximus, invaluerat. Hactenus de Jure antiquo Orientalium Eccleſiarum. Quibus addere juvabit *Novell.* 4. Heraclii Imperat. in *Jure Orientali* Leunclavii *pag.* 86.

In Occidentalibus vero noſtris Eccleſiis idem etiam jus receptum fuit & ſervatum circa prohibitionem multitudinis Beneficiorum. Et quidem in eam rem expreſſi *Canones* 2. & 21. Concil. Arelatenſis I. Milevitani *Can.* 15. & in Collectione Canonum Africanorum *Can.* 57. in quibus ſtatuitur Clericum adeo alligatum eſſe Eccleſiæ, in qua fuit ordinatus ab initio, ut quamvis in aliqua Eccleſia Lectoris tantum munere functus fuerit, in alia poſtea Eccleſia non poſſit conſtitui. In Concilio Aquiſgranenſi ſub Ludovico Pio *Can.* 5. idem ſtatuitur, nec tantum de Clericis, ſed etiam de Abbatibus in Concilio Agatenſi *Can.* 4. *Cauſa* XXI. *Quæſt.* 1. idemque de Abbatiſſis in Vernenſi Concilio ſub Pipino. Ratio redditur in *Can. ſingula Diſt.* LXXXIX. in Concil. Emeritenſi *cap.* 19. & in Toletano *cap.* 5. & in Concilio Pariſ. ſub Ludovico & Lothario *cap.* 49. ſtatuitur ut *ſingulis Baſilicis plebes & res, quibus conſiſtere poſſint, habentes ſinguli Presbyteri conſtituantur: quod ſi aut nihil aut parum de rebus videntur habere, ab arbitrio Epiſcoporum pendet, utrum ita conſiſtere debeant necne, & ſacerdotali decreto uni Presbytero plures Eccleſias committere.* Solertiæ tamen Epiſcoporum providendum relinquitur ſpecialiter, ne hac occaſione nullus Presbyter duas aut tres avaritiæ cauſa habere audeat Baſilicas. Græci tamen in *dicto Can.* 15. *VII. Synodi* ut omnem prætextum tollerent, non aliter plures Eccleſias uni Presbytero

tero committi volueruut, nisi in agris tantum, ubi penuria hominum occurrit. In Concil. Metensi *cap.* 3. tota res evidentius explicatur. *Unusquisque Presbyter unam solummodo habeat Ecclesiam, nisi forte antiquitus habuerit Capellam vel Membrum aliquod adjacens sibi, quod non expedit separari.* Et verissima ratio subjicitur: *quoniam nobis non est cura animarum adhibenda pro temporali commoditate, sed cunctis Sacerdotibus est optandum, ut cum suis ovibus a Christo recipiant pascua vitæ æternæ.* Qui Canones explicant planissime sententiam *capituli eam te, extra de ætate & qualitate ordinandorum*, quo Alexander III. plures Ecclesias obtineri posse concedit duobus casibus. 1°. Si reditus ita tenues fuerint, quod proprios Sacerdotes non possint convenienter alere, (quod & confirmatur *Can.* 2. *Dist.* LXX.) 2°. casu, si plures habeant Ecclesias, quæ ex una pendeant; quales sunt Ecclesiæ, quæ solent in subsidium Matricis ædificari, & quæ Matrici Ecclesiæ subjectæ sunt; dummodo servetur distinctio *cap.* 3. *de Ecclesiis ædificandis.*

Diligentius etiam SS. Pontifices huic morbo medicinam fecerunt, & coercuerunt fraudes excogitatas adversus antiquos Canones. Et quidem Nicolaus II. in Concilio Rom. *cap.* 8. statuit, *ne Presbyteri duas Ecclesias simul obtineant.* Quod & ejus successor Alexander II. renovavit *Can.* 28. XVI. *Quæst.* 7. Quia tamen sæpius in *dictis Canonibus* mentio fiebat Ecclesiarum, idest Parœcialium Ecclesiarum, & rarius mentio occurrebat Dignitatum vel aliorum Beneficiorum; adversus mentem & sententiam Canonum fraudes excogitabantur, quas opus fuit reprimi. Et quidem in celebri Concilio Claromontano sub Urbano II. convocato in *Can.* 12. statutum, *ut nulli Clerico liceat deinceps in duabus civitatibus duas Præbendas obtinere, cum duos titulos non possit habere;* & in *Can.* 14. *nullus deinceps in una Ecclesia geminos honores habeat.* Idemque Urbanus II. antea statuerat in Concilio Placentiæ habito, cujus Canon extat apud Gratianum *Can.* 2. *Dist.* LXX. in quo etiam Præbendarum fit mentio. Quæ omnia apertius & distinctius in Concilio Pictaviensi I. sub Paschali II. constituta sunt his verbis: *Ut nemo Episcopatum, Abbatiam, Archidiaconatum, Archipresbyteratum, Præbendam, vel Ecclesiasticos honores, vel Prælationes in duabus Ecclesiis exerceat, nisi in una tantum.* Et iterum in Concil. Pictaviensi II. *Can. ult.* confirmat generaliter idem Paschalis II. S. Pontifex, quæ ab Urbano II. constituta fuerant in Concilio Claromontano. Quoniam tamen in plerisque Conciliis supra citatis maxime recentioribus, nullæ pœnæ appositæ fuerant; facile, ut fieri solet, Canones spreti fuerunt: ideoque sequentes Pontifices coacti fuerunt hujusmodi prohibitiones renovare, & pœnarum gravitate firmare. Quod in Conciliis Lateranensibus duobus sub Alexandro III. & Innocentio III. factum fuisse supra docuimus, quorum Canones explicavimus, in quibus notandum Præbendarum & simplicium Beneficiorum aperte mentionem fieri, præcipue in Concilio Lateran. sub Innocentio III. Unde communis est Interpretum sententia pœnas, dictis Canonibus Lateran. constitutas, non extendi ad pluralitatem Præbendarum & simplicium Beneficiorum: quamvis ex Canonibus supra citatis generaliter, & nulla distinctione adhibita inter Dignitates, Personatus, Ecclesias parœciales, & inter Præbendas & Beneficia simplicia, prohibeatur

tur pluralitas. Quinimo Præbenda, cui sit cura animarum annexa vel non annexa, cum unico Personatu, vel Dignitate, Præpositura, vel Officio perpetuo, quocunque nomine censeatur, in eadem tamen Ecclesia potest obtineri absque dispensatione Sedis Apostolicæ *cap.* 1. *de consuetudine in* VI. *&* *cap.* 6. *de prebend. in* VI.

Non tantum autem ad Clericos, sed etiam ad Monachos & Religiosos porrigitur hæc prohibitio *cap.* 32. *de prabend. in* VI. in quo statuitur, ne Monachi vel alii Religiosi pluribus Abbatiis, Prioratibus, vel Ecclesiis curam animarum habentibus præesse præsumant, etiam si eadem cura per alios, idest per Vicarios ad eorum præsentationem ab Episcopo institutos administretur, *dicto cap.* 32. in quo tamen additur hæc clausula, *absque auctoritate & dispensatione Sedis Apostolicæ*. Quæ tamen dispensationes cum nimium frequententur; strictè admodum accipiuntur, quoties de Beneficiis curam animarum habentibus agitur, ut constat tum ex locis supra citatis, tum ex *cap.* 19. *&* 21. *de prabend. in* VI. *& Clementina* 1. *de prabendis*.

Dispensationi vero exæquabantur collationes factæ a S. Pontifice motu proprio *cap.* 23. *eodem de prabend. in* VI. sed hujusmodi tandem dispensationes exosæ fuerunt & revocatæ, præsertim in Beneficiis curam animarum habentibus in *extravaganti execrabilis de præb. in extravag. Joannis XXII.* & in *extravag. execrabilis eodem titulo in extravag. communib.* in quibus abusus & incommoda, quæ de hujusmodi dispensationibus oriebantur, prudentissime memorantur: quibus ut obviam iretur, a Concil. Tridentino Jus antiquum, quod ante Concilia Lateran. obtinebat, reductum fuit, eaque omnia iterum renovata, quæ & ante, & dictis Canonibus Lateran. constituta fuerant, ne quis scilicet non tantum plures Metropolitanas & Cathedrales Ecclesias, sed nec plura Beneficia Regularia, vel Sæcularia, etiam Commendata, cujuscunque tituli & qualitatis simul obtineat, & unum tantum Beneficium Eccles. habere permittitur; dummodo sufficiat ad vitam honeste sustentandam. Idque statuitur generaliter in omnibus personis cujuslibet dignitatis, etiam Cardinalatus, *cap.* 2. *de reformatione sessione* 7. *& cap.* 17. *de reformatione sess.* 24. Quibus Canonibus restringuntur valde exceptiones, quæ post Lateran. Concilia admittebantur, de quibus agitur in *cap.* 54. *dudum extra de Elect.* cujus auctor est Gregorius IX. in quo apertissime traduntur plurima, quæ ad interpretationem *capituli nostri de multa* pertinent. Et quidem in ipsis verbis *cap.* 54. excipiuntur Beneficia, quorum unum pendet ab alio, v. g. vel per unionem aut annexionem, vel si alteram Ecclesiam habeat quis intitulatam, alteram commendatam, vel ut addit Glossa, si inopia sit Clericorum, vel etiam si S. Pontificis dispensatio fuerit impetrata, quam necessariam esse diximus in pluribus Dignitatibus, Personatibus, vel Ecclesiis Parœcialibus obtinendis. Quod ad reliqua Beneficia, quæ simplicia vulgo dicuntur, admittunt Interpretes, Episcopos posse dispensare, si nempe vel utilitas vel necessitas Ecclesiarum exposcat. Si tamen Concilii Trid. verba spectemus, non licet amplius habere duas Ecclesias, Prælaturas, vel Beneficia etiam simplicia, alterum in Titulum, alterum in Commendam; nec etiam, si sententiam ejusdem Concilii spectemus, per modum unionis vel annexæ,

aut

aut alio quolibet modo; si alterum Beneficium ad victum sufficiens quis habeat. Quod etiam ostendimus antiquis Canonibus constitutum; & confirmatur *cap.* 38. *hoc titulo*, in quo Honorius non aliter permittit Capellas annecti præbendis Cathedralis Ecclesiæ Vesprimensis, nisi evidens utilitas & necessitas exigat, causa prius cognita, *si nequeant de redditibus præbendarum sustentari*: quo casu in specie *dicti Capituli* ita permittit S. Pontifex annecti præbendis Capellas in perpetuum, ut singularum Capellarum Presbyteris Capellanis congrua portio reservetur.

Hodie vero in Gallia non observatur stricta illa constitutio Trid. Concilii quantum ad simplicia Beneficia pertinet; sed tantum jus illud, quod ante Concilium Trid. ex Conciliis Lateran. obtinebat, maxime ex postremo sub Innocentio III. idest ex *dicto cap. de multa in hoc titulo*. Ordinatione tantum Blesensi *art.* 11. cavetur, ne quis plures Episcopatus vel Parœciales Ecclesias plures simul obtineat: quælibet in contrarium dispensationes irritæ declarantur. De reliquis vero, Dignitatibus, Personatibus, & simplicibus Beneficiis, recurrendum est, ut monuimus, ad Jus Decretalium, quod exposuimus. Quinimo & hodie ne quidem ab Episcopis solent peti dispensationes, ut quis plura simul Beneficia simplicia obtineat: vide quæ Rebuffus in *Praxi Beneficiorum titulo de dispensatione ad plura Beneficia*. Hactenus de origine & progressu hujus Juris usque ad nostra tempora.

Sequitur ut difficultates quasdam, quæ oriuntur vel ex verbis Capitulorum, vel ab Interpretibus moventur, excutiamus. Et quidem quod dicitur in sanctione, sive pœna *Capituli de multa*, ut post receptionem secundi Beneficii incompatibilis vacet primum ipso jure, & conferri debeat ab eo, ad quem ejus pertinet de jure collatio; ita intelligendum videtur, ut non tantum secundi incompatibilis collationem admiserit, sed etiam ipsius possessionem pacificam habuerit, vel per eum steterit, omni dolo & fraude cessantibus, quominus eam adipisceretur.

Præterea observandum quamvis ipso jure vacet primum, nec audiendus sit ille, qui contra Canones retinere velit, adeo ut possit conferri ab Ordinario Collatore; antequam tamen eo modo collati Beneficii possessio corporalis obtineatur, vocandus est possessor *cap.* 28. *de Prabendis in* VI. *& d. extravaganti execrabilis de Præb.* in qua præterea augentur pœnæ *dicti Capituli de multa*. Nam post adeptionem pacificam secundi Beneficii incompatibilis, primum quod ipso jure vacabat, verbo ac facto absque mora, sine fraude, & cum effectu in manibus Ordinarii tenentur resignare sub testimonio publico; alioquin ipso jure etiam secundo privati sunt, & prorsus inhabiles non tantum ad sacros suscipiendos Ordines, sed etiam ad quodcumque Beneficium Ecclesiasticum obtinendum.

Postremo qua ratione per adeptionem pacificam secundi, primum incompatibile vacare diximus; idem etiam dicendum, si quis non tantum duo, sed plura Beneficia incompatibilia retineat: ultimum enim tantum jure potest servare, reliqua omnia vacant *cap.* 3. *in Clementinis hoc titulo*.

Sunt & aliæ pœnæ pluralitatis Beneficiorum incompatibilium, v. g. ut qui plura obtinet, eligi non possit ad ullam Dignitatem Ecclesiasticam, vel Personatum, *cap.* 54. *dudum de Electionib.* itemque ut, licet a Pa-

a Patrono præsentetur ut instituatur, ab Ordinario possit institutio ei denegari *cap.* 2. *de Instit. in tertia Collect.*

Addendum his, quæ diximus de pluribus Beneficiis simplicibus, quamvis non contineantur in dictis Conciliis duobus Lateran. tamen eam fuisse mentem Canonum, ut sine dispensatione obtineri non possint, vel ab ipso Episcopo vel a S. Pontifice impetrata; in qua obtinenda hæc regula observanda, quam Innocentius III. tradit in *epistola* 158. *lib.* 14. *registri: licet circa eandem personam Beneficiorum sit semper superfluitas improbanda, nonnunquam tamen est toleranda pluralitas, statu personæ provida compensatione pensato.* Ita tamen ut semper dispensatio sit necessaria, maxime in Præbendis pluribus, ut nominatim deciditur in *cap.* 9. *de Concess. præbendæ*, ubi vacare prima Præbenda dicitur ipso jure per adeptionem secundæ Præbendæ: nec hodie alio jure utimur.

Occurrit alia difficultas ex Concilio Lateran. sub Alexandro III. in quo Concilio diximus banc fuisse pœnam pluralitatis, ut qui secundum Beneficium incompatibile recepisset, illud amitteret, & primum retineret: tamen in *cap.* 7. & 14. *hoc titulo & in cap. aam te extra de ætate & qualit. Ordinand.* quorum auctor est idem Alexander, permittitur electio, cujus maluerit Dignitatis, Personatus vel Ecclesiæ illi, qui plures habet. Ad quem nodum solvendum variæ solutiones excogitantur ab Interpretibus. Et quidem quidam ajunt illa capitula edita fuisse ante Concilium Lateran. quidam vero ex inscriptione *dict. cap.* 7. & 14. ad Ecclesiam Gallicanam restringunt, in quam, ut ait Alexander III. in *cap.* 15. *hoc titulo in integra Decretali*, hæc corruptela irrepserat, ut plura Beneficia obtinerentur passim, adeo ut præ multitudine delinquentium vix emendare posset, ideoque hanc dispensationem excogitarat, ut deferret electionem & optionem.

Verius tamen est non tantum in Gallia, sed etiam in aliis Ecclesiæ partibus & ante & post Concilium Lateran. hunc abusum fluxisse, sicut ex locis supra citatis, quæ ad alias Ecclesias pertinent, colligitur: quibus addimus *cap.* 4. *de Præbendis in* 3. *Collectione*, cujus auctor est Innocentius III. & sumptum est ex *epist. integra* 410. *lib.* 1. *Registri* Innocentii III. ex qua restituenda est vera inscriptio hoc modo, *Innocentius Neapolitano Archiepiscopo.* Nam in ipso contextu Civitatis Neapolitanæ & Comitis Aliernensis in regno Neapolitano frequens est mentio.

Ex quibus colligimus banc variationem pœnarum ascribendam esse moderationi SS. Pontificum, qui per interpretationem pœnas Concilii Lateran. temperaverunt; quod & aliquando non servabatur omnino *cap.* 3. *de Exceptionibus*: quod & Innocentius III. agnoscit initio *dicti Capituli de multa, nullum hactenus aut rarum de statuto Lateran. sub Alexandro III. fructum provenisse, propter præsumptiones & quorumdam cupiditates.* Quare evidentius & expressius eadem de re cavetur in *dicto cap. de multa.* Quin etiam post Innocentium III. insuper habita hujusmodi Concilia, ut constat ex *dicta extravag. execrabilis & plerisque Constit.* Summorum Pontificum usque ad Trid. Concilium.

Celebris quæstio occurrit inter Interpretes, an post Concilium Later. sub Innoc. III. statim vacet ipso jure primum Beneficium, adeo ut opus non sit sententia Judicis, qua declaretur vacare; itemque an præterea opus

sit

sit facto, v. g. renunciatione, cessione, sive resignatione Beneficii, quod ipso jure dicitur vacare. Et quidem sententiam debere præcedere, suadere videntur verba *cap.* 18. *hoc titulo*: factum vero præterea & cessionem vel resignationem possidentis desiderari exprimitur in *cap. 6. & 9. extra de Concessione Præbendæ*, antequam conferatur Beneficium, quod licet ipso jure vacet, non tamen vacat de facto.

Ad *cap.* 18. respondemus sententiam necessariam fuisse ante Concilium Later. secundum sub Innocentio III. nam Alexandri III. & ipsius Concilii verba id sonant; ad quod Concil. primum Lateran. sub Alexandro III. referri debet *Caput* 18. *hoc titulo*. Sed in Concilio Lateran. secundo sub Innocentio III. ex quo sumptum est *Capitulum de multa*, & ad quod pertinet *cap.* 54. *de Electionibus*, statutum fuit apertissime, ut statim post receptionem pacificam secundi Beneficii incompatibilis vacaret ipso jure primum, & a Collatore libere conferri posset. Libere, inquam; nec enim opus est ulla sententia, cessione vel resignatione præcedente: quin imo si possessor Beneficii primum retinere contendat, & super eo litiget, privatur etiam secundo. Et in hoc Capitulo Jus novum Innocentius III. introduxit.

Observandum tamen, quod supra attigimus ex *cap.* 28. *supra de Præbendis in* VI. quamvis Beneficium, quod ipso jure vacat, conferri possit non vocato neque audito possessore; in possessione tamen corporali illius Beneficii apprehendenda vocari debere possessorem. Quid enim si justas Beneficii retinendi habeat causas, v. g. si specialem indulgentiam Summi Pontificis meruerit, vel si utrumque Beneficium vix sufficiat ad victum, aut alia causa Juris excusetur, sicuti supra diximus?

Quod vero ad *cap. 6. & 9. de Concessione Præbendæ* pertinet, in quibus dicitur, antequam primum Beneficium incompatibile, quod ipso jure vacat, possit conferri, opus esse ut etiam de facto per resignationem præcedentem coactam & necessariam vacet: observandum illa duo Capitula ad diversam speciem ab hac nostra pertinere, nempe ad *Can.* 3. Concilii Lateran. sub Alexandro III. qui refertur in *cap.* 7. §. *cum vero Electus*, *extra de Elect.* nempe quando aliquis ad majorem Dignitatem electus fuerit: quo casu post electionem, confirmationem, consecutionem & administrationem bonorum Ecclesiasticorum vacat quidem primum: in quibusdam tamen Ecclesiis invaluerat hujusmodi consuetudo, ut Beneficium primum, quod vacaverat ipso jure, iterum statim a Collatoribus conferretur, & confirmaretur utrumque jus & possessio de novo in hujusmodi specie propter secundam istam collationem & confirmationem, ut nominatim dicitur in *cap.* 9. quamvis plus haberet facti quam juris, utpote excogitata in fraudem Canonum, quibus prohibebatur multitudo Dignitatum; resignatione tamen opus fuit, ad quam, si recusarent, adigerentur & compellerentur *dicto Capitulo* 6. Unde generaliter Joannes XXII. induxit in *extravaganti execrabilis de Præb.* in omnibus casibus, quibus aliquis duo vel plura simul Beneficia, ut vocant, incompatibilia obtinet, ut illo tantum retento, quod ultimo recepit, reliqua teneatur in Ordinariorum manibus dimittere; quam resignationem si non fecerit, non tantum omnibus Beneficiis privatur, etiam postremo, sed præterea ad sacros ordines & ad quodlibet Ecclesiæ Benefi-

cium obtinendum declaratur inhabilis. Ex quibus intelligimus, quid sit vacatio de jure vel ipso jure, & quæ sit vacatio de facto, vel de facto & jure simul.

Observandum vero ad id, quod in *dicto Capit. de multa* dicitur sex menses ordinario Collatori concedi, in ipso Concilio tres tantum dari, quibus expletis ad proximum Superiorem jus devolveretur conferendi. Varietas lectionis ex eo ducenda, quia in hoc casu periculosissimam esse vacationem existimabant, ideoque brevius tempus Collatori ordinario, trium nempe tantum mensium assignatum; eademque ratione Collator negligens tantum de suo tenetur inferre in utilitatem Ecclesiæ vacantis, quantum illicite de reditibus post tres illos menses perceptum fuerit. Raymundus vero tempus produxit usque ad sex menses; quo jure utimur: idque ad exemplum reliquorum Beneficiorum vacantium, in quibus regulariter sex menses a vacatione cognita Collatori tribuuntur, intra quos conferre tenetur, vel eo sciente & cessante, post dictos sex menses devolvitur ad proximum Superiorem juxta *Can.* 8. Concilii Lateranensis sub Alexandro III. Quo videtur spectasse Raymundus, & ad illum *Can.* 8. retulisse hæc verba *nostri Capituli de multa*, *secundum Concilii Lateran. statutum*. Qui Canon extat in *cap.* 2. *de Concessione Prebendæ infra*. Idemque Raymundus in *cap.* 13. *hoc titulo* Personatus addidit mentionem ex *dicto cap. de multa*, in quo primum prohibitio plurium Personatuum, eorum etiam, quibus cura animarum non est annexa, producta fuit, nam in *cap.* 7. *extra de Testamentis*, ex quo sumptum est dictum *cap.* 13. nulla fuerat expressa mentio Personatuum.

Postremo observandum, licet in *dicto Capitulo de multa* Beneficia vacantia propter pluralitatem dicantur ab Ordinariis libere posse conferri; ita tamen accipiendum, ut pauperibus tantum Clericis Beneficia non habentibus conferantur. In hunc enim finem ea vacationis species introducta fuit, ut iniqua distributio Beneficiorum coerceretur, & indigentia Clericorum Beneficio carentium sublevaretur *cap.* 5. & 7. *hoc titulo*, & apertius in *cap.* 4. *de Preb. in tertia Collectione*; quibus etiam ab origine & institutione Ecclesiæ Beneficia Ecclesiastica potissimum destinantur, sicut in *Paratitulo* docuimus.

Superest tandem, ut quædam interpretemur, quæ pertinent ad *cap.* 7. *hoc titulo*. Primum quo jure in specie illius *Capituli* Archidiaconus sibi vindicet auctoritatem spoliandi Clericos proprio Beneficio, eosque excommunicandi. Secundum, cur ab Archidiacono appelletur Archiepiscopus, non autem Episcopus.

Quod ad primam quæstionem pertinet, ratio dubitandi oritur ex *Can. nullus* XVI. *Q.* 7. & *ex cap.* 4. & 5. *supra de officio Archidiaconi*, quibus in locis Archidiacono sine Judicio & consensu Episcopi in Ecclesiis nec Clericos instituere, nec excommunicare licet: ergo multo minus privare Beneficio potest. Quibus locis motus D. Cujacius, quod dicitur in *hoc Capitulo* 7. Archidiaconum privare & excommunicare posse Clericos, ita intelligit, si absens sit Episcopus, cujus Archidiaconus est de jure Vicarius *cap.* 1. *de Officio Archidiaconi*. Verior tamen videtur Glossæ sententia, quamvis jure communi nec institutio, nec destitutio, nec excommunicatio permittatur Archidiacono absque consensu Episcopi; hæc tamen omnia

omnia in suo Archidiaconatu ex consuetudine posse habere, argumento *Capituli ult. de Officio Archidiaconi*: quamvis hujusmodi consuetudines non valde probentur Pontifici in *cap. penult. & ult. de Instit. in prima Collectione & in dicto cap. 4. & 5. supra de Officio Archidiaconi*; præsertim si hujusmodi consuetudines sine consensu Episcoporum fuerint introductæ.

Quod ad secundam quæstionem pertinet, nempe cur ab Archidiacono appelletur Archiepiscopus, omisso veluti medio, id est Episcopo, ratio dubitandi oritur ex eo, quod in *cap. Romana de appellationibus in* VI. nominatim definiatur ab Archidiacono appellandum esse Episcopum, non autem Archiepiscopum. Auget difficultatem quod ab Officiali, qui vices gerit Episcopi, non appellatur Episcopus ipse, sed Archiepiscopus *dicto Capitulo Romana*: atqui Archidiaconi quodammodo Episcoporum sunt Vicarii: per ipsos enim relevatur cura sollicitudinis Episcopalis *cap. 1. & 7. extra de Officio Archidiaconi*. Unde videtur dicendum ab eis non ad Episcopum, quem repræsentant, sed ad Metropolitanum devolvi debere appellationem, sicut in *nostro cap. 7.* appellatur ad Remensem Metropolitanum; sicut in Jure Civili ab eo, qui Præses vel Prætor mandavit jurisdictionem suam, non appellatur Prætor vel Præses, sed ille magistratus, qui ab ipso Præside vel Prætore appellaretur *Lege 1. §. 1. ff. quis & a quo appelletur*; hac ratione quia ille, cui mandatur jurisdictio, non sua sed mandantis vice fungitur *L. solet ff. de Jurisdictione*. Absurdum autem esset ut ab eodem ad eundem provocaretur. Aliud tamen dicendum, si Episcopus delegaverit tantum Judicem: tunc enim a Judice delegato appellabitur recte ad Episcopum, qui dedit *cap. dilecti 66. extra de appellat.* quoniam Judex delegatus notionem tantum habet, idest potestatem nudam de lite commissa judicandi, & nihil præterea, non executionem sententiæ propriæ, non auctoritatem ullam, etiam in ea causa: eam enim omnem retinet potestatem, qui delegavit. Quæ omnia aliter se habent, quoties Episcopus mandavit jurisdictionem suam.

Verum ut solvamus, quare in *cap. Romana* ab Archidiacono appelletur Episcopus, licet Archidiaconus vices & jurisdictionem Episcopi videatur exercere; observandum ex auctoritate Canonum & Ecclesiarum usu Dignitatem & potestatem Archidiaconorum esse constitutam, adeo ut licet Episcoporum vicem gerant, aliquid tamen proprium habeant & singulare, ratione Officii & dignitatis, cujus ratione habita separentur ab Episcopo, nec ab eo illud accipiunt; cujus ratione recte ab Archidiacono appellari dicitur Episcopus, cui subsunt; sicut in Jure Civili recte a Legato Proconsulis ipse Proconsul appellatur; quoniam præter mandatam a Proconsule jurisdictionem, aliquid habet proprium sibi jure publico seorsum attributum *Lege 2. ff. quis & a quo appelletur*. Officialis vero Episcopi nihil habet, quod non ab Episcopo acceperit, ideoque mandatam sibi jurisdictionem alteri mandare non potest. Contra Archidiaconi proprios Officiales habere possunt, quibus suam jurisdictionem mandent *dicto cap. Romana & cap. penult. de novi operis nuntiatione*. Quod vero contra dicitur in *d. cap. 7. hoc tit.* ab Archidiacono appellari Archiepiscopum, non ex jure communi intelligendum, sed ex consuetudine aliquarum

 Ec-

Ecclesiarum, ut nominatim dicitur in *dicto cap. Romana*.

Addenda vero his, quæ diximus, posse obtineri duo Beneficia simul ab eodem, unita, vel annexa ex justis & rationalibus causis: & uniones hujusmodi Dignitatum, Personatuum, Ecclesiarum Parœcialium, & Beneficiorum omnium, solis Episcopatibus & locis exemptis exceptis, ad Episcopos pertinere in sua Diœcesi. Fieri vero debent causa cognita, vocatis omnibus & singulis, quorum interest, ex justis causis tantum utilitatis & necessitatis Ecclesiarum, de quibus supra diximus; adhibito præterea consensu Capituli una cum Episcopo. Quod moribus nostris habet locum, etiamsi per Sum. Pontificem fieret unio vel annexio: quo casu prius debet Sum. Pontifex comittere Judices in partibus, qui vocatis vocandis, de causis cognoscant, utrum sint utiles vel necessariæ; itemque facultatum & redituum Beneficiorum uniendorum æstimationem & rationem accurate subducant: & postea ad Sum. Pontificem relatis omnibus actis, si omnia juri & rationi conveniant, auctoritate Apostolica unionem faciet. Quod si quid ex his defuerit, nulla & irrita declarabitur hujusmodi unio, sive ab Ordinario, sive a Summo Pontifice facta proponatur *cap. sicut unire de excessibus Prælatorum*, *cap.* 1. *ne Sede vacante*, *cap.* 4. *&* 7. *extra de Donationibus*, *cap.* 33. *hoc. tit. cap. ult. de rebus Ecclesiæ alienandis in Clementin. & Can.* 2. *de unionibus in Concilio Constantiensi sessione* 43. Quo Canone in Gallia maxime utimur: quibus addenda *Regula* 21. *Cancellariæ de unionibus*, & Concil. Trid. *sess.* 7. *cap.* 6. *de Reform.* Vide Rebuffum in *Praxi titulo de unionibus & tit. de revocandis unionibus*.

POSITIONES.

I. Jure veteri Canonico nemo plura Beneficia cujuscumque generis in eadem vel diversis Ecclesiis obtinere potuit.

II. Alioquin retento primo tantum, reliquis privabatur.

III. Paucos tantum casus exceperunt Canones propter necessitatem vel utilitatem Ecclesiarum, non personarum.

IV. Recentiori vero Jure, idest Concilio Lateranensi sub Alexandro, nemo diversas Dignitates aut plures Ecclesias Parœciales poterat obtinere.

V. Alioquin prima retenta, reliquis omnibus privabatur, & qui sciens contulerit, largiendi potestate privabitur.

VI. Vacantia per hunc modum Beneficia idoneis Clericis, Beneficia non habentibus conferri debent.

VII. Concilio Lateran. sub Innocentio III. nullus Ecclesias Parœciales, Dignitates aut Personatus, etiamsi curam non habeant animarum, simul habere potest.

VIII. Alioquin post receptionem pacificam postremi Beneficii, reliquis omnibus statim ipso jure privatus est.

IX. Vacantia vero per hunc modum Beneficia Collatores Ordinarii libere conferre tenentur intra sex menses ex die notitiæ Clericis idoneis & pauperibus, ut diximus.

X. *Quod si conferre distulerint post sex menses, conferendi potestas ad pro-*

proximum superiorem devolvitur.

XI. In gratiam tamen sublimium vel literatarum Personarum Summo soli Pontifici Concilium dispensare permittit.

XII. Episcopus tamen ex iustis rationalibus causis secundum Canones dispensare poterit.

XIII. Postremo Concilio Trid. jus vetus Canonum reductum, quo sublata distinctione qualitatis Beneficiorum & Personatuum unicum tantum Beneficium habere conceditur.

XIV. Quod si ad vitam non sufficiat, alterum tantum accedere permisit, dummodo personalem residentiam non exigat.

AD CAP. VIII. XX. XXI. XXV. XXVI. ET XXXVI.

AD eandem materiam pertinent ista Capitula, quæ promulgata fuerunt ad interpretationem *Capituli* 8. sicut & *cap.* 30. *hoc tit. in fine & cap. unicum infra ne Ecclesiastica Beneficia sine diminutione conferantur.* Quare accurata indiget interpretatione *dictum Capitulum* 8. Desumptum autem est ex Concilio nostro Turonensi habito sub Alexandro III. eoque præsidente 4. *Kalendas Julii anno* 1163. Pontificatus ejus *anno* 4. Quod Concilium frequentissimum fuit, & potissimum convocatum contra Octavianum Antipapam, qui Victor III. a suis vocabatur, & Friderico I. promovente intrusus fuerat; & ad collapsam Ecclesiæ disciplinam restituendam. Inter illius Concilii decreta ordine primum, refertur hoc nostrum capitulum apud Binium *tom.* 3. *Conciliorum parte* 2. & apud Guillelmum Neubrigensem *lib.* 2. *cap.* 14. & 15. in quo decreta retulit illius Concilii, & ordine quartum numerat hoc nostrum capitulum. Sententia autem hujus capituli in duas partes dividitur: in prima prohibetur divisio, seu sectio Præbendarum; & in secunda Dignitatum permutatio.

Incipiamus a secunda. Verba sunt hujusmodi: *Dignitatum permutationem fieri prohibemus.* Observandum fieri tantum mentionem Dignitatum, non autem Præbendarum; nec ideo tamen a sensu contrario licebit inferre, concessam esse permutationem Præbendarum. Nam ad permutationes etiam Præbendarum sententiam Concilii pertinere declarant Summi Pontifices Urbanus III. in *cap.* 5. *infra de Rerum permut.* & Cælestinus III. in *cap. ult. de Præb. in* 2. *Collect.* Generaliter itaque tam Præbendarum quam Dignitatum permutationes prohiberi auctoritate dicti Concilii Turon. constituunt Summi Pontifices, & permutationes interpretantur, quando in eodem statu manentibus Dignitatibus & Præbendis, personæ, quæ eas obtinent, mutantur, v. g. sicut in specie *capitis* 7. *de rerum permutatione*, cum Præpositus unius Ecclesiæ cum Archidiacono alterius Ecclesiæ invicem Dignitates permutant, & ab una Ecclesia in aliam transeunt. Quæ quidem permutationes duabus rationibus improbantur. Prima sumitur ex jure antiquo Canonum, quod explicavimus ad *caput* 2. nemini scilicet licere ab Ecclesia, in qua semel constitutus fuit, ad aliam transire: secunda, quia sæpissime hujusmodi permutationibus solent inferi pactiones, quibus adjicitur certa summa pecuniæ, ut sic ad æqualitatem per-

permutationes valeant pervenire *cap. 6. de Rerum permut.* Plerique enim, ut dicitur in *cap. 5. de Rerum permutatione in antiqua Coll.* Præbendæ suæ cedunt, & juri renunciant, ut majorem Præbendam obtineant, vel ex hoc certam summam pecuniæ consequantur: quod vel ambitionis, vel avaritiæ & simoniacæ pravitatis continet delictum. Quare hujusmodi permutationes damnantur, & permutantes Beneficiis spoliantur *cap. 7. de rerum permutatione*. Quod intelligendum est cum hac exceptione, nisi Episcopi, vel superiores, præcipue Summus Pontifex ex causa necessaria hujusmodi permutationes permiserint, antequam fierent *cap. 5. extra de Rerum permutatione & cap. unico eod. in* VI. vel impleta jam permutatione ex altera parte, pœnam remiserint *cap. 8. eodem titulo de Rerum permutatione*: nec hujusmodi permutationes, aut quæ causa permutationis implendæ fiunt resignationes, dummodo dolus & fraus omnis absit, ab expectantibus vacatura Beneficia, vel etiam a Graduatis impugnari possunt *dicto cap. unico de Rerum permut. in* VI. & §. *penult. de Collationibus in Concordatis*.

Ad 2. partem *dicti Capituli* 8. veniamus, in qua divisio prohibetur & sectio Præbendarum: quod ad exemplum majorum Beneficiorum, v. g. Episcopatuum & Dignitatum, quæ non patiuntur sectionem, receptum dicitur in *eodem cap.* 8. Et quidem ante Concil. Turonense antiquioribus Conciliis fuerat definitum, majora Beneficia non esse dividenda *Can.* 6. 13. 39. & 41. VII. *Quæst.* 1. in qua *Canon.* 41. sumptus est ex *epist.* 4. B. Hieronymi ad Rusticum Monachum, & hæc verba notanda: *singuli Ecclesiarum Episcopi, singuli Archiepiscopi, singuli Archipresbyteri, singuli Archidiaconi, & omnis ordo Ecclesiasticus suis* (forte *singulis* legendum) *Rectoribus nititur*. Quare sicut in majoribus Beneficiis observanda est unitas; ita & in minoribus, nec duobus simul unica Præbenda assignari debet, sive jus Præbendæ, quod individuum est, & penes unum tantum esse potest *cap. 26. hoc tit.* sicut in Jure Civili servitutes individuæ dicuntur: & quamvis fructus & reditus Præbendæ admittant divisionem, auctoritas tamen Concilii nostri Turonensis impedit illam partitionem & sectionem fructuum *cap. 21. hoc tit.* Quare si propter importunitatem petentium, duo Clerici ad unam Præbendam vacantem eligantur, vel conferatur duobus; hujusmodi electio, vel collatio non valet, obstante Concilio nostro Turonensi. Nec sustinetur etiamsi hoc actum fuerit, ut unus Præbendam integram obtineat, alter vero proxime vacaturam expectet: hic enim color rejicitur a Lateran. Concilio, quo statutum, ut nulla Ecclesiastica Beneficia vel Ministeria promittantur, antequam vacent *cap. 20. & 25. hoc tit. & cap. 2. de concessione præbendæ*: quo etiam pertinet *epistola Innocentii III. lib. 1. registri*, quæ incipit: *cum in Turonensi* pag. 122. & in *eodem registro & lib.* pag. 288. Sed notandum, quod diximus non habere locum in Ecclesia, in qua certus non est numerus Præbendarum; in qua, nulla etiam vacante Præbenda, possit quis in Canonicum assumi, non obstante *dicto statuto Lateran.* Qui enim eligeretur, ad novam quandam Præbendam intelligeretur eligi, quæ momento electionis ex Electorum consensu crearetur *cap. 25. hoc tit.* Illa etiam subtilitas reprobatur, ut pro integratione Præbendæ divisæ, alia Præbenda scindatur de novo *cap. 36. hoc titulo*

Ita.

Itaque proprie noſtrum Concil. Turonenſe locum habet in Eccleſiis in quibus certus & determinatus eſt numerus Præbendarum. Obſtare tamen videtur *cap. 26. vacante hoc titulo*, in quo unica vacante Præbenda, ſi duæ conſtituantur ex ea, & ad utramque duo Canonici communi conſenſu Capituli admittantur, non eſt tamen irrita hujuſmodi electio, ſed integranda eſt, & ut loquitur Innocentius in *dictis epiſtolis*, redintegrari debent & ſuppleri officia decurata & Præbendæ. Itemque obſtat *cap. 21. niſi eſſent hoc titulo*, in quo duobus ad unum Prioratum electis & contendentibus, alteri Prioratus aſſignatur, alteri de proventibus certa ſumma annuatim præſtanda tribuitur. Præterea in *cap. 27. de Præbendis in* VI. dicuntur in aliqua Eccleſia integras Præbendas haberi & dimidias.

Quod ad 1. dicendum videtur, ſi duo Canonici ad unam Præbendam admittantur, vel ſi diviſa fuerit una Præbenda vacans in duas, & duo Canonici admiſſi fuerint, de rigore juris irritandam eſſe hujuſmodi Electionem, vel Collationem, niſi ex benignitate Juris ex reditibus Eccleſiæ integrentur Præbendæ; alioquin in eodem ſtatu rebus manentibus, diviſio illa & electio duorum ad unam Præbendam non valet conſiſtere; ſicut & olim ſine titulo facta ordinatio non valebat jure veteri in Ordinantis injuriam; hodie tamen valet, ſed compellitur Ordinator titulum aſſignare, & interim alimenta Clerico ſine titulo ordinato præſtare.

Ad II. vero quod objicitur ex *capitulo niſi eſſent viri providi*, alteri Beneficium conferri, alteri vero penſionem annuam ex reditibus aſſignari; hoc factum ſingulare notat Innocentius III. in ipſa *Decretali*, propter varias circumſtantias ſuſtineri, non quidem ex conventione nuda partium litigantium, ſed auctoritate Judicum Compromiſſariorum, qui benigne inter partes conſentientes pro bono pacis ita ordinaverant. (Quod tamen non generaliter a S. Pontifice probatur) ea conditione, ut ea penſio non eſſet perpetua, ſive realis, ut loquuntur, ſed potius perſonalis tam reſpectu illius, cui conceſſa fuerat, quam illius, cui conceſſus fuerat Prioratus: quo mortuo, ad ejus ſucceſſorem penſionis onus non pertinere reſcribit. Quod ergo ſingulari caſu & ex diſpenſatione fuit receptum, ad conſequentias trahi non debet. Et non immerito initio ejuſdem Capituli monet idem Innoc. ordinationem illam valde ſe ſuſpectam habere propter exempli perniciem. Quod & poſtea evenit: nam occaſione hujus Capituli Penſionum conſtitutiones paſſim ab Interpretibus confirmantur, quæ tamen, certis caſibus exceptis, Canonibus improbantur, nec paſſim in Gallia admittuntur, etſi Pontificiis caute reſcriptis colorentur.

Quod vero objicitur ex *cap. 27. hoc tit. in* VI. de Præbendis integris & dimidiis, intelligi debet ex aliquarum conſuetudine Eccleſiarum, in quibus aliæ Præbendæ ſunt majores & honoratiores, aliæ ſunt minores & tenuiores, quæ idcirco dimidiæ appellantur, non quod ab initio fuerint in duas diviſæ, ſed quod ex inſtitutione reditus minores & velut dimidii eis aſſignati fuerint, comparatione facta cum majoribus Præbendis. Unde in quibuſdam Eccleſiis Semipræbendæ appellantur, quales ſunt quæ Cantoribus Aſſiſiis aſſignantur, qui perpetuo & omnibus horis divino

vino ministerio interesse debent.

Postremo notandam ex *dicto Capituli vacante 26. hoc titulo* aliquando, causa tamen cognita, si unius Præbendæ tales sint reditus, ut duobus Canonicis sufficere possint, auctoritate Episcopi in duas Præbendas dividi posse, sicut & aliquando una parochia in duas potest dividi: sicut contra si duæ sint tenues parœciæ, ab Episcopo uniri possunt causa cognita, sicut diximus in fine Tractatus de Pluralitate Beneficiorum: quod & Glossa in *cap.* 20. *&* 26. *hoc tit.* recte annotavit.

AD CAP. IX. ET XIX.

PErtinet utrumque cap. ad interpretationem *Canonis* 8. Concilii Lateran. II. sub Alexandro III. qui Canon extat in *cap.* 2. *de concessione Præbendæ infra*, cujus Canonis sæpius fit mentio in *hoc tit.* v. g. in *cap.* 20. *&* 25. Sententia autem *dicti Canonis* est, ut nulli Beneficia Ecclesiastica tribuantur vel promittantur, antequam vacent, ne votum mortis captandæ inducatur, quod abominatur Ecclesia: pœna vero Canonis est, ut hujusmodi promissiones factæ de Ecclesiis proxime vacantibus irritæ & inanes declarentur.

Species utriusque Capituli hæc est. In *cap.* 9. ab Archiepiscopo Cantuariensi quidam Clericus in Canonicum Ecclesiæ Cantuariensis fuerat receptus, & institutus canonice in Choro & Capitulo & aliis, quæ Canonicorum communia sunt, v. g. in Choro concessum fuerat ei stallum, & locus & suffragium in Capitulo, eoque jure interfuerat Canonicorum communibus tractatibus, v. g. in negotiis excutiendis, electionibus & aliis actibus. Præterea in introitu Episcopi & admissione ad osculum una cum reliquis Canonicis ab Episcopo fuerat receptus; cum tunc non nisi Canonici admitterentur: dominia etiam quædam, quæ non nisi per Capitulum, & non aliis quam Canonicis solebant assignari, obtinuerat; itemque ad participationem divinorum forte cum reliquis Canonicis admissus fuerat, & in hebdomada sua Lectionem & Evangelium legerat. Quæ singula enumerantur tam in *hoc nostro cap. relatum in antiqua*, quam in *cap.* 19. *&* 25. *hoc titulo & in cap.* 8. *de concessione Præbendæ in antiqua*.

Diximus autem enumerata jura propria esse Canonicorum, ad differentiam Assisiorum, Mansionariorum, sive Capellanorum, qui ab hujusmodi juribus removentur; quamvis autem dictus Canonicus juribus hujusmodi omnibus uteretur in Cantuariensi Ecclesia, integritate tamen Præbendæ non gaudebat, erat quidem Canonicus receptus, sed sine Præbenda; cum tamen Archiepiscopus Cantuar. ei promisisset 1. vacaturam, de qua promissione implenda agitur in *hoc capitulo*, in quo Alexander III. scribit Episcopo Cantuar. ut stet pollicitis dicto Canonico; proxime vacaturam conferat. Verba sunt notanda: *secundum promissionem concedas liberaliter & assignes*. Additur præterea in *antiqua*, *ita quod de constantia & gravitate merito possis commendari, & nos propter hoc iterato scribere tibi non compellamur*. Quibus verbis describuntur monitoriæ Literæ sive hortatoriæ; quæ nullum juris vinculum continent. Præterea judicatur hujusmodi promissionem primum vacaturæ Præ-

Præbendæ nullam Juris necessitatem continere, sed tantum pulsare pudorem promittentis Archiepiscopi, & non præstantis. Et hæc est species *cap. 9.*

In *cap.* vero 19. valde similis species proponitur. Ex mandato S. Pontificis, quod vulgo de Providendo appellatur, de quo agetur in *cap.* 22. & 27. *infra*, Episcopus Lingonensis assignaverat Præbendam cuidam Canonico, quæ assignatio fuerat confirmata a S. Pontifice, ut dicitur in *antiqua*; negligebat tamen Capitulum Lingonense assignationem Episcopi & confirmationem Pontificis; ideoque coactus fuerat dictus Canonicus iterum obtinere Judices a S. Pontifice, qui per censuras & interdicti auctoritatem compellerent Capitulum ad Præbendam conferendam. Nec tamen paruit Capitulum. Quare postremo commissa lis fuit Archiepiscopo Remensi Sedis Apostolicæ Legato Cardinali, qui cum de perficiendo negotio desperaret, tandem inter Canonicum impetrantem, Episcopum & Capitulum auctoritate Legati transactio & compositio hujusmodi fuit interposita, ut statim Canonicus impetrans in Canonicum reciperetur pacifice, & canonice, institueretur, iisque juribus, quæ supra numeravimus, frueretur, sed tamen fructus Præbendæ postea primum vacaturæ expectaret. Quam quidem transactionem S. Pontifex pro parte probat, pro parte improbat. Probat, quod licitum fuit, receptionem scilicet & institutionem canonicam; expectationem vero Præbendæ proximo vacaturæ reprobat, utpote factam contra statuta Concilii Lateran. ut diximus initio. Præcipit autem S. Pontifex, ut dicto Canonico generaliter, cum se facultas obtulerit, assignetur Præbenda a Capitulo: hoc enim casu locus est regulæ juris, *expressa nocent*, *non expressa autem non nocent*, sicut infra pluribus dicemus.

Observandum autem, quod dicitur in fine hujus *cap.* 19. portionem sive distributiones quotidianas hujusmodi Canonicis, qui quidem recepti sunt in Canonicos, nondum assignata Præbenda, dividendas esse & præstandas absque diminutione; quoniam residentibus & his, qui intersunt horis canonicis, ratione servitii tribuuntur *cap.* 32. *hoc titulo*.

Præterea ex specie hujus capituli colligimus, quamvis S. Pontificis Legati, præcipue Cardinales, qui a Latere dicuntur, majoribus auspiciis quam reliqui Legati vices Summi Pontificis gerant, & ad eos Beneficiorum vacantium collatio pertineat, etiam inconsultis Collatoribus & Patronis Ecclesiasticis *cap. 6. de Officio Legati extra*, & *cap.* 1. *eodem tit. in* VI. non possunt tamen contra statuta Lateran. Concilii vel ipsi nondum vacantia Beneficia conferre, vel promissiones vacaturorum confirmare, sicut aperte in *hoc cap.* 19. vel quidquam in fraudem hujus Concilii oblique facere *cap. 4. de Officio Legati in* VI. Legatus autem Cardinalis a latere, de quo fit mentio in dicto *cap.* 19. fuit Guido II. ex Abbate Cisterciensi Archiepiscopus Remensis, & postea Cardinalis & Episcopus Prænestinus, qui non tantum in Gallia, sed etiam in Germania Legationis officio functus est sub Innocentio III. cujus mentio sæpius fit in plerisque Decretalibus, in *cap. 4. de confirm. utili*, *cap. 6. de Officio Legati*, *cap.* 11. *de concessione Præbendæ*, & ejus tanquam vita functi mentio fit in *cap. 25. de concessione Præb. in 4.*

Collect. cujus obitum contigisse an. 1207. notatur in Catalogo Archiepiscoporum Remensium. Videndum etiam Chronicon Hirsaugiense Trithemii pag. 230. & 1217.

Istius vero juris, quo prohibetur ne Beneficia conferantur antequam vacent, progressus hic fuit. In Episcopis primum sæpius statutum, ne viventibus ipsis, alii superponerentur Episcopi: quin etiam vetitum, ne ipsi sibi, quamvis in confinio mortis constituti, successores designarent *Can. audivimus* VII. *Quæst.* 2. & *Can.* 43. VII. *Quæst.* 1. *Can.* 3. 4. & 5. VIII. *Quæst.* 1. & *aliis plerisque notatis diligenter* ab Antonio August. in *Epitome Juris Canonici lib. tit.* 24. & 75. Quod ab initio tantum in Episcopis constitutum fuit: Beneficiorum enim, Officiorum & omnium rerum Ecclesiasticarum potestas & administratio libera olim penes Episcopum & Clerum manebat *Can.* 24. & 25. Concil. Antiocheni, *Can.* 2. 3. 4. & 5. X. *Quæst. Can.* 23. & 24. XII. *Qu.* 1. & vulgato *Can. omnes Basilicæ & seqq.* XVI. *Quæst.* 7. Quia tamen per petentium importunitatem Collatoribus extorquentur sæpius Beneficia *Arg. cap.* 20. *hoc tit.* & *Novell.* 3. *initio versiculo cum vero*, & *cap.* 2. *de conceff. Præb. in* VI. quia etiam ultro & sponte non tantum Beneficia vacantia, sed etiam nondum vacantia conferebant *cap.* 9. *hoc titulo:* qua ratione votum captandæ mortis, quod abominamur, inducebatur, & viventi successor constituebatur; quod non tantum jure Canonum, sed etiam legibus Gentilium & Jure Civili prohibitum fuit *L. ult. Cod. de pactis.* & *L.* 11. *Cod. de transact.* Idcirco quod primum in Episcopatibus constitutum fuerat, generaliter ad omnia Beneficia productum fuit, ne concederentur antequam vacarent *cap.* 2. 3. 4. 8. & 9. & *passim tit. de concessione Præbend.* & *Ecclesiæ non vacantes*. Ex quibus colligimus illam prohibitionem pertinere etiam ad Patronos, quibus non licet promittere se præsentaturos aliquem ad Beneficium nondum vacans, nec etiam aliis concedere potestatem præsentandi, antequam vacet: quod si aliter fiat, irritum & inane erit. Quod tamen ita intelligendum, si hujusmodi promissiones factæ fuerint nominatim de Ecclesia primo vacatura: nam si nulla primæ vel secundæ facta fuerit mentio, sed vel generaliter, vel cum facultas se obtulerit, vel quando erit commodum; his casibus ad implendas hujusmodi promissiones SS. Pontificum rescriptis compelluntur *cap.* 8. 13. & 14. *junctis antiquis Decretalibus extra de Conceff. Præb.* & *Glossa ad dictum cap.* 14. quæ desumpta est ex *veteribus scholiis* Joan. Teutonici ad hæc verba, *cum in multis casibus se facultas offerre possit*. Aliquando tamen ex speciali dispensatione & gratia SS. Pontifices cogebant Ordinarios implere promissiones illicitas de primo vacatura *cap.* 11. *de conceff. Præb. cap.* 3. & 4. *eodem tit. in* 2. *collect.* vel ipsi SS. Pontifices directe, etiam nulla præcedente promissione collatorum, per plenitudinem potestatis præter Concilium primo vacaturam conferebant, ut *cap.* 4. *de Conceff. Præb.* Quia tamen quomodocumque hujusmodi promissiones concipiantur, sive de primo vacatura, sive cum se facultas obtulerit, videbantur in fraudem Concilii Lateran. excogitatæ; Bonifacius VIII. eas omnino sustulit *cap.* 2. *hoc tit. in* VI. Remanserunt tamen receptiones in Canonicum absolute factæ, idest absque ulla promissione Præbendæ, quamvis receptionis illius sit idem

idem effectus, ut receptio in Canonicum debeat necessario Præbenda conferri ab illis, qui eum receperunt, cum primum facultas se obtulerit; sicut ordinato sine titulo ab Ordinatore vel Beneficium, vel alimenta necessario conferenda sunt *Arg. Can. si quis objecerit* 1. *Quæst.* 3. Et hoc est, quod specialiter dicitur in *cap.* 9. & 19. *hoc tit.* & *in cap.* 8. *infra de Concess. Præb.* non esse congruum, ut qui receptus est in Canonicum, careat Præbenda, idest receptioni Canonicæ, sicut Ordinationi absolutæ jure communi & veteri Ecclesiæ, de quo diximus ad *cap.* 2. *de Præb.* (quod jus longe antiquius est Concilio Lateran.) inest datio Præbendæ vel Beneficii ab Ordinatore vel Collatore, nec ad eludendam necessitatem conferendi potest confugere ad Lateran. Concilium *cap.* 8. *hoc titulo*; ideoque diligenter distinguendum est inter promissiones nudas Præbendæ vel Beneficii non vacantis, & inter receptiones in Canonicum absque Præbenda: quoniam promissiones non vacantium Beneficiorum nullæ sunt de jure; & illis prætermissis, quibus factæ fuerunt, Ecclesiæ & Beneficia postmodum vacantia poterunt aliis conferri, non obstantibus appellationibus ad Sedem Apostolicam, propter quas institutio & Ordinatio Ecclesiarum non debet impediri *cap.* 3. *infra de Concess. Præb.* tandemque, ut diximus, illæ omnes promissiones sublatæ fuerunt; remanserunt vero receptiones in Canonicum absque Præbenda, sicut & Ordinationes absolutæ, idest sine titulo sustinentur: Recipientibus tamen & Ordinantibus necessitas imponitur Beneficium vel Præbendam conferendi Ordinato, vel in Canonicum recepto; non quidem præcise conferendæ primum vacaturæ Præbendæ, ne fraus fiat manifeste Concilio Lateran. sed cum facultas se obtulerit, & quam cito se obtulerit. In *cap.* tamen 9. *hoc. tit.* contrarium videtur decidi, ut nempe primum vacatura secundum promissionem liberaliter assignetur ab Archiepiscopo Cantuar. quibus verbis, sicut & apertius in integra specie rescripti initio proposita observavimus, non imponitur necessitas, nec obligatio nascitur, quæ præcise astringat Archiepiscopum, qui promiserat primo vacaturam, sed pudoris tantum & honestatis vinculum admonitio S. Pontificis continet, non præceptum. Præterea in gratiam personæ rescribere S. Pontificem hæc verba demonstrant in *antiqua*, *præsertim cum*, *sicut nobis proponitur*, *litteratus sit & discretus*. Hæc tamen dispensatio habet plurimum æquitatis: licet enim non obligetur Episcopus 1°. vacaturam conferre; generaliter tamen vi & potestate juris, idest propter receptionem in Canonicum, tenetur generaliter cum poterit assignare Præbendam. Nec audiendi sunt, qui receperunt in Canonicum, & simul in ipsa receptione primum vacaturam promiserint Præbendam, si velint recurrere ad Concilium Lateran. sicut supra diximus, *cap.* 8. *de Concess. Præb. in antiqua*.

Reliquæ solutiones, quæ ad *dictum Capitulum* 9. afferuntur, minus veræ videntur; quod enim ajunt *dictum cap.* 9. præcessisse Concilium Lateran. sola conjectura nititur: quod vero in vim receptionis & ex natura ejus factam promissionem primum vacaturæ Præbendæ expressam sustineri dicunt; supra docuimus contra, hujusmodi promissiones expressas, utpote contra Concilium factas, irritas esse: receptiones vero in Canonicum solas validas manere, sicut in *dicto cap.* 8. *de Concess. Præb.*

 & in

& in cap. 19. *hoc tit.* dicitur.

Poſtremo quod quidam ajunt, in ſpecie *dicti cap.* 9. non tantum receptum fuiſſe in Canonicum, ſed & ei aſſignatam partem redituum, ideoque integritate Præbendæ facilius gaudere debere: idem erat omnino in *dicto cap.* 7. *de Conceſſ. Præb.* & in *cap.* 25. *hoc tit.* idem omnino proponebatur; in quibus tamen promiſſiones de primum vacaturis reprobantur.

Denique obſervandum, quamvis omnes hujuſmodi promiſſiones de vacaturis damnatæ fuerint *cap.* 2. *de Conceſſ. Præb. in* VI. diutiſſime tamen poſtea in uſu remanſerunt reſcripta SS. Pontificum ad primum vacatura Beneficia, quæ vulgo Gratiæ expectativæ vocantur *cap.* 3. *de Conceſſ. Præb. in* VI. in quibus tamen cavendum erat, ne priuſquam vacarent Beneficia, ab executoribus literarum expectativarum conferrentur, vel ab impetrante acceptarentur.

AD CAP. X. XII. XXX. ET XXXI.

ANtequam plenius materiam & quæſtiones, quæ oriuntur ex his capitulis aggrediamur, aliquot Capitulorum ſpeciem præmittemus Et quidem *cap.* 10. cujus auctor eſt Alexander III. in quo avaritia tam Monachorum quam Canonicorum Regularium Eboracenſis Diœceſis reprehenditur, qui in Eccleſiis Parœcialibus, quæ ad eos pertinebant, & de quibus penſiones certas percipere ſolebant (non exprimitur quo jure, utrum pleno jure, ideſt tam in ſpiritualibus quam in temporalibus, vel in temporalibus tantum, de quibus infra dicetur); portiones & antiquos reditus Vicariis & Presbyteris aſſignatos in dictis Eccleſiis miniſtrantibus auctoritate propria, ſine conſenſu Archiepiſcopi Eboracenſis diminuebant, ea ratione ut vel penſiones, quas ſolebant percipere de dictis Eccleſiis, amplificarent, vel etiam novas penſiones imponerent, aut quomodocumque in ſuos uſus converterent contra ſtatuta Canonum, de quibus *cap.* 7. *&* 8. *extra de Cenſibus*, *epiſt.* 204. *lib.* 1. *Regiſt. & epiſt.* 103. *lib.* 2. *Reg.* Innoc. III. Simili etiam præſumptione & avaritia, ſpreto Archiepiſcopo dividebant parœcias, quod in *cap.* 8. *ſupra* a Concilio Turonenſi prohibitum fuiſſe diximus, ut recte Gloſſa hic, eoque pertinet locus ſingularis Hincmari Remenſis in *Capitulis lib.* 3. Conciliorum Galliæ *pag.* 643. Utrumque abuſum Alexander III. in *hoc Capitulo* prohibet, & tam portiones quam reditus antiquos Vicariorum & Presbyterorum & Parœciarum integritatem reformari præcipit. Non enim debet ſtatus Eccleſiæ debitus & antiquus per inſolentiam aliquorum ſubverti. *Cap.* 2. *de ſupplenda negligentia Prælatorum.* Scriptum autem fuit *hoc Capitulum* Canonicis Regularibus & Monachis Eboracenſis Diœceſis, ſicut & *cap.* 6. *de pactis & cap.* 11. *de Cenſibus* Cantuarienſi Archiepiſcopo & ejus ſuffraganeis, & *capitula* fere omnia *tituli de Officio Vicarii*, quæ ad eandem materiam pertinent, ad Epiſcopos Angliæ diriguntur. *Cap.* etiam 12. *hoc tit.* ad Vigornienſem Epiſcopum Suffraganeum Cantuarienſis Archiepiſcopi ſcriptum eſt, in quo injungitur Monachis, ut Epiſcopis, in quorum Diœceſi conſtituti ſunt, Presbyteros in Vicarios inſtituendos præſentent, & præterea in conſtitutione Vica-

Vicariorum teneantur Monachi sufficientes & idoneos reditus Vicariis assignare coram Episcopo. Sufficientes autem reditus existimantur non tantum si ex illis Presbyteri se exhibere possint, sed etiam requiritur, ut ex iis hospitalitatem exercere, & Episcopalia jura possint persolvere, v. g. Synodaticum & alia, quæ secundum consuetudines locorum varie solent præstari.

In *cap.* 31. quod desumptum est ex Concilio Lateran. sub Innocentio III. *cap.* 9. ea quæ supra diximus, confirmantur; ut habeant tamen locum in Ecclesiis, quæ ad Religiosos, Monachos, Clericos Regulares, vel Capitula non pleno jure pertinent, idest in temporalibus tantum. Nam si ad eos pleno jure pertineant Ecclesiæ, idest tam in temporalibus quam in spiritualibus; inconsulto Episcopo instituere & destituere possunt Vicarios. Quin & aliquando privilegiis specialibus jura Episcopalia remissa erant *cap.* 3. §. *& in Ecclesiis*, *cap.* 16. 17. *&* 21. *de Privilegiis*, *cap.* 2. *de supplenda negligentia Prælatorum*, *cap.* 15. *de Præscriptionib.* Ad Ecclesias itaque, quæ non pertinent ad Monachos, sive Canonicos Regulares pleno jure, spectant potissimum ea, quæ dicuntur in his Capitulis. Tria quippe jura distinguenda sunt, quæ in Ecclesias parœciales sibi vindicare solent Monachi, Canonici Regulares vel Capitula Ecclesiarum Cathedralium vel Collegiatarum. Vel enim in Ecclesiis Parœcialibus plenissimam potestatem obtinent tam in temporalibus quam in spiritualibus, adeo ut omnes reditus Ecclesiarum non tantum obtineant, sed etiam instituendi & destituendi Presbyteros in eis facultatem habeant; quod evenit, quoties Episcopalia jura rite & legitime obtinuerunt, v. g. ex concessione Episcopi & Capituli. Vel Ecclesias tantum in temporalibus possident, idest reditus Ecclesiarum & proventus tantum habent, manente integra & salva Episcopi potestate & jurisdictione in spiritualibus. Vel habent tantum jus patronatus, quod potissimum in præsentatione seu nominatione Clerici idonei Episcopo facienda consistit, vacante Ecclesia. Duobus posterioribus casibus ab Episcopo instituitur, vel destituitur, & Episcopi jurisdictioni in omnibus subjicitur Clericus a Monachis vel Capitulis præsentatus.

Præterea statuitur, ut semel instituti Vicarii, inconsultis Episcopis, a Monachis vel Capitulis non possint removeri: imo nec ab Episcopis removeri possint, nisi ex justa & canonica causa, & post accuratam causæ cognitionem. Unde & perpetui Vicarii vocari solent, & Vicariatus hujusmodi inter Titulos & Beneficia numerantur *toto tit. extra de Officio Vicarii*. Nec tamen quoslibet Clericos præsentatos tenetur admittere Episcopus, sed conversatione & moribus tantum probatos *dicto cap.* 31. *hoc tit. in fine*. Initio vero *hujus cap.* 31. statuitur, ne quilibet Regulares de manibus Laicorum Ecclesias, seu Decimas accipere præsumant absque consensu Episcopi; quem consensum si constiterit Episcopum avaritiæ vel improbitatis causa denegare, licentia impetrabitur a Sum. Pontifice *cap.* 17. *extra de Jure patronatus*. Dixi Ecclesias & Decimas: nam jus patronatus Religioso loco conferendi, etiam sine Episcopi auctoritate, Laici habent potestatem *cap.* 8. *de Jure patronat.* Additur insuper ne Religiosi excommunicatos vel nominatim interdictos ab Episcopis aliquatenus admittant ad divina: quod tamen plerique Regulares audebant, Pontifi-

cis

ciis privilegiis abutentes. Hujusmodi excessus admittebantur potissimum a Templariis & Hospitalariis, ut constat ex *Can. 9.* Concilii Lateran. qui refertur in *cap. 3. de privilegiis & excessibus Prælat. & cap. 5. eodem tit.*

Hæc est brevis summa istorum Capitulorum contra Religiosos, qui Episcopalia jura intercipiebant obtentu privilegiorum & exemptionum, quarum tenorem non observabant sæpissime *dicto cap. 3. & 5. & passim tit. de Privilegiis & excessibus, & hoc nostro cap. 31. & cap. 2. de supplenda negligentia Prælatorum*. Hujusmodi autem abusus, de quibus *dictis capit. & in cap. 6. de pactis, juncto cap. 8. & 11. extra de censibus*, in Anglia potissimum admittebantur sub Alexandro & Innocentio III. quibus exscindendis post utrumque Concilium Lateran. variæ constitutiones Sum. Pontificum fuerunt editæ *cap. 3. de Privilegiis, cap. 6. & 7. de Censibus, cap. 21. & 31. hoc tit.* Quibus in locis Hospitalarii & Templarii potissimum notantur, sicut in Concilio Londinensi quodam sub Innocentio III. ante Concil. Generale habito in *Can. ult.* & in Concilio Oxoniensi sub Honorio, paulo post dictum Concilium Generale sub Innocentio plures super ea re Canones editi fuerunt notatu dignissimi, *ne una Ecclesia in plures divideretur; de Vicariis ordinandis; & quæ portio debeat Vicario assignari*. Et in Concilio Londin. sub Gregorio IX. Tot vero constitutiones & Concilia ad reprimendos & coercendos potissimum Monachos & Canonicos in Anglia, necessaria fuisse non mirabitur, quicumque summam eorum potestatem ab antiqua origine repetat in Anglia, in quam Augustinus Benedictinus fidei prædicandæ causa a Gregorio I. missus, cum esset Monachus, plures Monachos in Ecclesias tam Cathedrales quam Parœciales instituerat, non autem Clericos. Itemque plures Abbates in Anglia exempti fuerunt, sicut ex Anglic. historiæ scriptoribus constat, maxime ex Eadmero *historiæ Novorum sui sæculi lib. 1.* ubi elegantissimum Rescriptum Alexandri II. in eam rem retulit.

Ex superioribus omnibus colligimus, cum in Ecclesias omnes sui Episcopatus, suæ Diœcesis, potestatem omnem jure communi habeant Episcopi, ad curam eorum & jurisdictionem pertinere potissimum regimen & administrationem animarum & Ecclesiarum Parœcialium. Procedente vero tempore Monachis & Canonicis, sive Regularibus, sive Sæcularibus, imo & Dignitatibus quibusdam & Collegiis adnexæ fuerunt in perpetuum Ecclesiæ quædam Parœciales *cap. 30. extirpandæ hoc tit.*

Concessiones & uniones hujusmodi Ecclesiarum expendendæ & excutiendæ diligenter. Et quidem ab Episcopis cum consensu Capituli fieri debent: concessionis autem donationisque forma & conditiones omnes appositæ diligenter observari debent. Quod si nulla conditio imposita reperiatur ab Episcopo qui donavit, vel approbavit donationem Ecclesiarum, pleno jure censentur translatæ, & per consequens omnes reditus Ecclesiarum, & ipsa institutio & destitutio Vicarii ad Monachos pertinere, excepto Cathedratico & Episcopali jurisdictione, sive Canonica justitia, ut loquuntur, tam in Ecclesiam quam in Vicarium & Presbyteros qui ibi ministrant, *cap. Pastoralis extra de Donationibus*. Quam in rem videnda *Quæstio 2. Causæ* XVI. *& cap. 13. de Sententia &* re

re judicata, *cap.* 3. *de Institut.* & *caput constitutus de Religiosis domibus*, & *cap.* 4. *de Jure patronatus*, *juncta Glossa Capituli de Monachis hoc tit. in* verbo *de Proventibus*. Nec tantum concessione Episcoporum, sed etiam Laicorum, ut diximus, qui nempe Parœciales Ecclesias plerisque locis usurpaverant vel decimas aut reditus Ecclesiasticos, ad Monachos & Canonicos Regulares vel Capitula Ecclesiarum Parœciales Ecclesiæ, Decimæ, vel alii reditus usurpari pervenerunt; aliquando gratuita donatione, aliquando vero pecunia numerata. Hujusmodi tamen donationes, ut diximus, Episcopi consensu confirmandæ erant; quoniam jure communi omnes Ecclesiæ sunt in potestate Episcopi. Quolibet autem modo ad Religiosos, Monachos, vel Capitula pervenerint Ecclesiæ, nisi eis pleno jure fuerint concessæ, tenentur Presbyteros Episcopis præsentare, qui in dictis Ecclesiis Vicarii perpetui instituantur, non amovendi, nisi adhibito consensu Episcopi ex justa & rationabili causa: ideoque hujusmodi Vicariatus residentiam exigunt, & ut illi quibus conferuntur, in sacris Ordinibus constituti sint, & statim in Sacerdotes ordinentur. Animarum enim curam continent; unde & pluralitas eorum prohibetur, & veri tituli locum obtinent, & Beneficia vocantur, ut colligitur ex *toto titulo de Officio Vicarii* & *cap.* 27. *de Rescriptis*. Uno verbo re ipsa sunt veri Rectores & Plebani, eorumque onus implent, & nomine tenus Vicarii appellantur; cum non possint ad tempus constitui vel removeri, etsi pleno jure ab eis, qui obtinent Ecclesias, constituti fuerint.

In hujusmodi vero Ecclesiis Monachi tam in fraudem & præjudicium Episcopalis auctoritatis, quam etiam in Presbyterorum & Vicariorum damnum, multa moliebantur inconsultis Episcopis: Ecclesias a Laicis donatas, & aliquando emptas recipiebant; Vicarios ad tempus instituebant; quam minimo poterant Presbyteros pretio conducebant; pensionibus reditus onerabant; detrectabant etiam solitudinem jurium Episcopalium: imo & ut omnes reditus in suos usus converterent, aliquando per Monachos Ecclesias Parœciales regebant. Quod regulariter prohibetur, nisi ex speciali dispensatione permittatur *cap.* 2. & 5. *de statu Monachorum*, Ivo Carnotensis *epist.* 93. Quod si Episcopi vel Presbyteri conquererentur, jurisdictionem Episcopalem exemptionibus eludebant: quare necesse fuit hujusmodi abusus Conciliis generalibus reprimi, quorum Canones retulimus; maxime vero quantum ad Portiones Congruas Vicariorum pertinet, quarum cognitio & definitio Episcoporum auctoritati & arbitrio subjicitur, non obstantibus exemptionibus, quibuslibet consuetudinibus, vel statutis *cap.* 1. *de Præbendis in* VI. & *cap. unico de Cappellis Monachorum in* VI. Portiones autem hujusmodi Vicariorum de proventibus Beneficiorum & Ecclesiarum assignari debent, & constitui ac definiri quantitas ab Episcopis *dicto cap. de Monachis in antiqua hoc tit.* & *Glossa dicti cap. in* verbo *de proventibus*.

Postremo notandum, quod in *cap.* 10. dicitur de divisione Parœciarum, plenius tractatum fuisse in *cap.* 8. *supra*, cui est jungendum *cap.* 1. *de Officio Vicarii* & Hincmari Remensis *Capitula lib.* 3. *Concil. Galliæ pag.* 643.

AD

AD CAP. XI.

QUoniam species Capituli per se plana satis est, quædam tantum notabimus. Et quidem primum in *hoc. cap.* contineri fundationem & creationem certæ præbendæ a præposito & Capitulo Insulensi in Belgio, quæ non esset Canonicatus: qui enim eam obtinet, & simpliciter Præbendarius, sed non Canonicus. Conditio autem in dicta fundatione fuit, ut quotidie Missam celebraret in honorem Beatæ semperque Virginis Deiparæ Mariæ, & ab Ecclesia non recederet; quæ quidem duæ conditiones sunt canonicæ & licitæ: imo si Canones spectemus, ipso jure intelliguntur in omnibus Presbyteris, ut scilicet ab Ecclesia, in qua sunt intitulati, non recedant; & ut quantum licuerit vel per valetudinem, vel propriam devotionem sacris missis celebrandis sint assidui. Quare hujusmodi conditiones in fundatione appositæ exactissime sunt observandæ, tanquam juri communi convenientes: difficultatem tantum faciebat, quod de Missa quotidie celebranda dicitur; ideoque confirmatio a Sum. Pontifice petitur, qui explicat quomodo intelligenda sit hæc clausula.

Itemque notandum quod dicitur de Missa celebranda in honorem Dei per intercessionem B. semperque V. Mariæ, solere Missas pro festo vel feria secundum temporum congruentiam aut fidelium devotionem, commemoratione facta vel B. V. vel Sanctorum celebrari *cap. 2. & extra de Celebrat. Missarum*, sed ipsius incruenti Sacrificii oblationem Deo Opt. Max. fieri. Quoniam autem onus quotidie Missæ celebrandæ gravius visum fuit, Cælestinus Sum. Pontifex illam Præbendam in duas diviserat, cujus divisionis meminit Innocentius III. in *epist.* (*cum venissent*) *lib. 2. Registri pag.* 487. Verum prædecessor Papa memoratus, uni Presbytero esse nimis onerosum attendens divina singulis diebus celebrare, Præbendam ipsam divisit in duas. Præbenda vero hujusmodi est Sacerdotalis; sicut ex *dicta epist.* constat, nec nisi Presbytero conferenda *arg. Capituli primi de ætate & qualitate præficiendorum*, & *cap.* 27. & 29. *de Præbendis in* VI.

Caput 12. *hoc tit.* explicuimus, & *cap.* 13. & 14. sicut & sequens 15. in *cap.* 5. ubi plenissime tractavimus de pluralitate Beneficiorum.

AD CAP. XV.

QUamvis de materia hujus Capituli dixerimus ad caput quintum, quædam tamen supersunt explicanda. Ex hoc *cap.* cujus auctor est Alexander III. aperte colligitur electionem Clerici factam, qui Beneficium in alia Ecclesia habebat, non valere, & Electoribus esse liberum dissentire & ad novam electionem procedere. Quod confirmatur *cap.* 18. cujus auctor Innocentius III. & ante Concil. Lateran. sub eodem Innoc. III. promulgatum fuit. Quamvis autem hujusmodi electio non valere dicatur, opus tamen erat, ut sententia Judicis declararetur irrita, sicut in specie *dicti cap.* 18. Simpliciter enim prohibita fuerat in Concilio Lateran. sub Alexandro III. Beneficiorum pluralitas *cap.* 3. *de* Cle-

Clericis non residentibus; postea vero in Concilio Lateranensi sub Innoc. III. ipso jure habentis Beneficium electio facta ad secundum nulla est, etiam non expectata sententia in *cap. de multa infra hoc tit.* Quod autem ad electionem pertinet, quæ dicitur facta ab Archipresbytero & ejus Clericis, observandum Arcipresbyteri nomen varias habere significationes, ut constat ex *cap.* 1. & 2. *de Officio Archipresbyteri supra*. In *hoc* vero *cap.* sicut & in *cap. ult. de Officio Archipresbyteri*, Archipresbyter dicitur qui in Ecclesia principali non solum plebis & Cleri, qui in ea Ecclesia ministrat, curam gerit, sed etiam Presbyterorum, qui per minores Titulos a matrice Ecclesia dependentes dispositi sunt. Ad hunc Archipresbyterum una cum Clericis principalis Ecclesiæ jus electionis pertinet, vel ad solum Archipresbyterum, sive Plebanum & Rectorem, non adhibitis Clericis, ut in *cap. penult. extra de Jure Patronatus*: quod ex varia Ecclesiarum consuetudine pendet; ut & in Ecclesiis Cathedralibus videmus Præbendarum Collationem aliquando pertinere ad Episcopum, aliquando ad Capitulum, aliquando ad Episcopum & Capitulum simul, secundum varias Ecclesiarum consuetudines *capitulo cum Ecclesia Vulterana* 31. *de Elect.* & *cap.* 1. *ne sede vacante in* VI. Quo jure hodie utimur etiam post Concordata; quibus electiones sublatæ tantum fuerunt Episcoporum, Abbatum, vel Priorum Conventualium *tit. de elect. in Concordatis*. De reliquis vero Dignitatibus, Canonicatibus, Præbendis electivis nihil omnino dicitur; quare in illis jus commune retinemus; & hujusmodi Beneficia vulgo appellantur, *Eslectifs. Collatifs.*

Postremo ex iis verbis hujus capituli: *quidam Clerici alterius Ecclesiæ contra eum accesserunt*, idest illius Ecclesiæ Clerici, in qua primo ascriptus fuerat, qui potuerunt eum ut fugitivum retrahere, qui passus fuerat se postea in altera Ecclesia promoveri.

Caput 16. explicavimus in *cap.* 2. *hoc titulo*.

AD CAP. XVII.

Integra species Capituli repetenda est, vel ex *antiqua*, vel ex *Regist. lib.* 1. *Innoc. III. epist.* 101. *pag.* 62. in qua plenissime totius negotii species exponitur: ex qua etiam plenius D. Cujacius speciem hujus Capituli proposuit; ideoque omittemus. Breviter itaque in hoc Capitulo deciditur, permutationis causa resignatas Præbendas in manibus S. Pontificis, non posse quasi vacantes ante executionem permutationis & impletionem ab Ordinario conferri.

Notandum autem hujusmodi permutationes dispensative permitti; quoniam in Concilio Turonensi *cap.* 8. *hoc tit.* permutatio Præbendarum fuit prohibita, nec nisi ex justa causa potuit ab Episcopis admitti *cap.* 5. *de Rerum permutatione*. Hodie tamen ex *cap. unico de permutatione in* VI. & *Clement. unica eodem tit.* etiam sine causa generaliter permissa videtur; dummodo libere fiat, idest nulla pactione præmissa circa temporalia vel spiritalia. Quamvis autem ad executionem permutationis resignatio necessaria sit, & per resignationem liberam vacent Beneficia, aliis tamen conferri quam permutantibus non possunt, & in contrarium

facta collatio nullius est momenti, *dicta Clementina unica de rerum permutatione*. Et ita intelligenda verba hujus capituli: *per Cælestinum Papam prædecessorem nostrum omnia retractata sunt*, idest Cælestinus III. Collationem ab Episcopo Laudunensi in fraudem permutationis factam, irritam fecit. Fallitur enim Glossa eo loco, quæ permutationem a Cælestino retractatam fuisse interpretatur male, & utrique supponit permutanti restitutum fuisse Beneficium: Causa enim, quæ apud Cælestinum acta proponitur in *hoc Capitulo*, non versabatur inter duos permutantes, sed inter illum, cui ab Episcopo Laudunensi in fraudem permutationis Præbenda fuerat concessa Laudunensis, & inter Canonicum Sclinientem, cui eadem Præbenda conferri debuerat per Decanum Remensem ex rescripto S. Pontificis; qui Decanus, ut constat *ex antiqua Decretali & dicta epist.* Innocentii, Judex Delegatus fuerat a Cælestino ad executionem dictæ permutationis.

Confirmatur itaque illa permutatio, collatione Episcopi rescissa, tantum abest ut retractetur. In nostro vero 17. *Capitulo* redarguitur Episcopus Laudunensis, qui Clerico ignoranti & bona fide accipienti ex causa permutationis Præbendam vacantem per dolum contulerat; ideoque præcipit ei S. Pontifex, ut primo vacaturam ei omni modo conferat. Nec enim illud debuit ab Episcopo Clerico ignoranti, & multo minus Pontificiæ auctoritati derogari, quæ permutationem admiserat. Quamvis enim vulgo dicatur liberalitatem suam nemini debere esse damnosam, nec donatorem præstare evictionem; intelligi debet, dummodo dolus non intervenerit ex parte donatoris *Lege 2. Cod. de evictionibus*, *Lege ad res donatas ff. de ædilitio edicto*, & *Lege Aristo §. ult. ff. de donationibus*.

Severius tamen plectitur Episcopus quam donator Jure Civili: licet enim dolus arguatur donatoris, in id tamen tantum tenetur Jure Civili, quod donatoris interfuit, non autem ut rem ejusdem pretii & qualitatis iterum donet: sed in hoc casu Episcopus alteram Præbendam in eadem Ecclesia concedere tenetur. Nam in Episcopo, cujus dignitas majorem fidem & sinceritatem exigit, dolus gravius castigandus fuit, ut in *cap. 9. hoc. tit.* Scivisse autem Episcopum permutationem, sed eam ignorasse Clericum, cui collata fuerat Laudunensis Præbenda, ex *epist.* Innoc. III. apertissime colligitur. Non dissimili ratione in *lib. 2. Feudorum tit. 8.* si investitura fiat ignorante vassallo de re aliena vel alii obligata, vassallus postea si evincatur, potest agere adversus dominum, ut aliud simile feudum sibi concedatur a domino.

AD CAP. XVIII.

HUjus Capituli historiam & facti narrationem D. Cujacius & Glossa proposuerunt, in qua multa, quæ desunt & a Raymundo in hoc *cap.* resecta fuerunt, rectissime suppleverunt: quæ sunt repetenda tam ex 3. *Collectione in cap.* 1. *de sententia & re judicata*, quam ex duabus *epistolis* 107. & 108. *lib.* 1. *Regist.* Innoc. III. S. Pontificis; in quibus plenissime litis diutinæ origo & ordo refertur, super qua sæpius Judices non tantum ab Innoc. III. sed etiam a Cælestino ejus prædeceso-

fore fuerant delegati. Verborum autem hujus capituli; *contra definitionis nostræ tenorem*, & aliorum quorumdam, quæ sunt obscurissima, interpretatio vera desumenda est ex *cap. Tua nuper de institutionibus in 3. Collect. & ex dicto capitulo primo de sententia & re judicata in tertia compilatione*, sicut & hic recte Bernardus annotat in *Glossa literis C. E. H.* qui Bernardus *collectionem* 3. appellat *compilationem* Innocentii, quoniam primum ab Innocentio III. publice promulgata fuit. Hic autem Bernardus Parmensis vocatur: nam alii duo Bernardi memorantur celebres studio Juris Canonici. Primus vocatur Bernardus Circa Papiensis Præpositus, qui primam collectionem Decretalium paulo post Decretum Gratiani de veteri novoque Jure composuit.

Fuit & alius Bernardus, dictus Compostellanus, qui inchoaverat Collectionem tertiam ex Registris Innocentii III. quam postea idem Innocentius III. aptiorem & meliorem a Petro Beneventano ejus Notario collectam publica auctoritate donavit.

Tertius est Bernardus Parmensis, quem citavimus, & qui sæpius citatur in Glossa Decretalium, & quem scripsisse nostrarum Glossarum in Decretales partem maximam Correctores Rom. testantur.

Sed ut redeamus ad quæstionem nostri capituli, Præposituræ Siclimiensis, de qua in eo tractatur, præsentationem Comitissa Flandrensis ad se pertinere contendebat, ut constat ex *dicto cap. 1. de sententia & re judicata* in 3. *Collect.* & ex *epist.* 107. *lib. 1. Registri* Innoc. III. Ad quam Comitissam oppidum Siclunum prope Tornacum situm jure dotalitii delatum fuerat, præmortuo nempe marito Comite Flandrensi in bello sacro: per consequentias autem concessionis oppidi & jure dotalitii una cum universitate territorii & omnibus juribus transiit jus Patronatus ad dictam Comitissam.

Observandum autem, quod recte Glossa ad postrema verba capituli, propter connivantiam & pravam consuetudinem, quæ præsertim in Gallia tolerabatur, ut sicut dicitur in *cap. 15. hoc tit. in integra Decretali*, multi plura simul obtinerent Beneficia contra Canones, non posse tamen aliquem eo prætextu se defendere, si cum eo jure judicioque postea agatur. Nec enim error & prava consuetudo, quæ potius corruptela dicenda est, rationem potest vincere aut legem, *Lege 2. Cod. quæ sit longa consuetudo*. Opus tamen fuisse sententia & judicio ideo in *hoc nostro capitulo* dicitur & in *cap. 15. supra*, quia nondum ipso jure ex Concilio Lateran. sub Alexandro III. Beneficia vacabant. Utrumque autem Capitulum fuit promulgatum ante Concilium Lateranense generale sub Innocentio III. in quo postea apertissime in *capitulo de multa hoc tit.* propter pluralitatis vitium vacatio ipso jure & absque sententia inducta fuit, sicut ostendimus in *cap. 5.* Et hæc prima differentia inter primum & secundum Concilium Later. notanda est. Alia quoque in Concil. Lateran. sub Alexandro III. pœna proponitur, nempe amissionis Beneficiorum postremo loco impetratorum, & retinetur primum Beneficium *cap. 3. de Clericis non resid.* in secundo vero Concilio Lateran. sub Innoc. III. *in cap. de multa hoc tit.* ipso jure vacant prius collata Beneficia, retinetur ultimo loco impetratum. Quare, ut diximus, in *hoc cap. & in cap. 15.* quæ tempore præcedunt Lateran. Concilium sub Innoc. III.

S. Pontifice, electio, quæ postremo loco facta est, nulla esse dicitur; quæ quidem ex Concilio Lateran. sub Innoc. III. valeret quidem, sed omnia Beneficia prius collata ipso jure vacarent. Quinimo & si pertinacius ille, qui electus fuit, contendat etiam retinere simul prius impetrata Beneficia, & electio ipsa, non quidem ipso jure, sed causa cognita poterit irrita declarari *dicto cap. de multa & in cap.* 54. *de electionibus*, ibi; *si forte illud retinere contendit, etiam alio spolietur*. Per Sedem tamen Apostolicam poterit cum Electo dispensari, in casibus tamen juris, utpote quoties utilitas publica Ecclesiæ vertitur, non autem privatum impetrantium commodum *dicto cap.* 54. *& cap. de multa sub finem in hoc titulo*. Apostolica autem auctoritas est necessaria: Episcopi enim & Archiepiscopi dispensatio non valet, nisi in casibus juris, de quibus diximus ad *dictum Capitulum quintum*, dicto *Capitulo* 54. *& Capitulo execrabilis de Præbendis in extravagantibus*; in quo præterea qui plura Beneficia simul obtinent, nisi prima quæ ipso jure vacare diximus, in manibus Ordinariorum resignaverint, non tantum omnibus Beneficiis ipso jure privati censentur, sed etiam inhabiles ad Ordines & quodlibet Beneficium obtinendum redduntur, & per consequens ineligibiles.

Caput 19. explicuimus *in cap.* 9. & *cap.* 20. in *cap.* 8.

AD CAP. XXI.

PRæter ea, quæ ad istud caput notavimus in explicatione *Capituli* 8. *supra*, quædam breviter annotabimus. Et merito admonere debemus Innocentium III. S. Pontificem ordinationem illam vel compositionem, de qua in *hoc Capit.* agitur, valde suspectam habere propter exempli perniciem: adversatur enim Concilio Turon. *cap.* 8. *supra*, quo prohibetur sectio omnis Præbendarum & redituum; unde Glossa hic ad verbum (*ex jussione*) ait occasione hujus promissionis assumere quandocumque aliquos occasionem male faciendi. Ex eo enim fluxerunt abusus plerique pensionum, rapta occasione fictæ alicujus litis. In Gallia vero ex tribus tantum causis licite constitui possunt, ut notat Rebuffus in *Praxi titulo de reservationibus tam generalibus quam specialibus numero* 13. 14. 15. *& seqq.* Tres autem illæ sunt, prima pro bono pacis, si nempe Beneficium inter duos fuerit litigiosum, quod *arg. hujus Capituli* nititur. Secunda ex causa resignationis, ne resignans nimium patiatur dispendium: quam in rem notandum est *caput querelam primum de jurejurando*. Tertia in permutatione propter inæqualitatem scilicet Beneficiorum; quod deducitur ex *capitulo ad quæstiones extra de rerum permutatione*; quamvis in *dicto Capitulo* non agatur de permutatione Beneficiorum, sed de permutatione Possessionum inter duas Ecclesias.

Observandum tamen moribus nostris pensionem non posse, quamvis ex consensu partium, excedere tertiam partem redituum: quod si excedat, reducetur intra eum modum. Licet & profiteamur justiores aliquas pensionum constituendarum causas Canonibus esse licitas & cognitas; v. g. si Clerico perpetuo morbo laboranti Coadjutor adjungatur, qui munus ejus obeat, hujusmodi Coadjutori portio redituum merito assigna-

gnatur, vel ex eadem causa Clerico renuntianti pars fructuum reservatur, ut constat ex *titulo de Clerico ægrotante*. Non dissimile exemplum extat in Concilio Chalced. *actione* 11. *&* 12. in causa Stephani & Bassi, qui ab Episcopatu Ephesino remoti fuerant, quoniam contra Canones ordinati fuerant: eis tamen de reditibus Ecclesiæ alimentorum & solatii nomine certa pensio fuit assignata. Admittitur etiam in *cap.* 31. *de Rescriptis* quædam species pensionis, nempe eo casu quo ille, qui obtinuit Mandata de providendo a Sum. Pontifice ad aliquam Ecclesiam, renuntiat hujusmodi literarum beneficio, assignata sibi ab eadem Ecclesia pensione annua. Quæ pensiones ideo receptæ, quia honesta videtur ratio redimendæ libertatis Ecclesiasticæ quolibet modo adversus hujusmodi Rescriptorum impetrationem. Nunquam tamen ex solo consensu partium, hujusmodi pensiones possunt imponi, sed causa cognita, sicut *hoc nostro cap. & in cap. extirpandæ in fine hoc tit.* Ordinarius non potest, nec etiam possent Judices delegati a Sum. Pontifice, nisi ipse Sum. Pontifex probaret, ut in *hoc Capit*.

Postremo notandum quod dicitur in specie hujus Capituli, concurrere auctoritatem judiciariam cum arbitraria, & Judicem delegatum, reservata sibi potestate delegata, simul recepisse arbitrarii partes ex compromisso partium, esse singulare ex Jure Canonico, atque confirmari *cap.* 7. *&* 12. *de Arbitris & cap.* 14. *de Præsumptionibus*. Jure tamen Civili improbatur ex *lege* 9. §. *si quis judex ff. de Receptis*, qua non licebat in Judicem compromittere. Et male Accursius, qui ita conciliat, ut in *dicta Lege* 9. Judices non possint ex compromisso præcedente sumi; sine compromisso vero possint. Sed in *dictis Capitulis* fit mentio expressa compromissi: præterea Jure Canonico utramque potestatem retinere diximus & Judicis & Arbitrii simul; quod nunquam Jure Civili receptum est. Nec obstat *Novell.* 86. *& similes*, in quibus Judex dicitur posse esse Arbiter: ita quippe intelligendum, ut possit inter se partes componere, & tanquam amicus, sed absque compromisso & pœna. Ratio autem differentiæ inter utrumque jus ea est, quod origo omnium judiciorum Ecclesiasticorum ab arbitrio inceperit. Nec enim ab initio jurisdictionem, sed potius audientiam ex communi consensu partium habebat Ecclesia, ideoque cum judiciaria potestate arbitrariam potestatem cohærere posse Jure Canonico receptum est. Prioratus vero in *hoc titulo* non solum de Prioratu Regulari & Conventuali, sed etiam pro Decanatu in aliquibus Ecclesiis accipitur, ut constat ex Azone ad *l. qui ex prætextu* & ex Godofredo in *L. non plures Cod. de sacrosanctis Ecclesiis*.

AD CAP. VI. XXII. XXIV. XXVII. XXXIV. ET ULTIMUM.

Sex ista Capitula pertinent ad Rescripta, sive quæ vulgo vocantur Mandata de providendo, sicut & alia plura in *tit. de Rescriptis & passim in his libris*.

Rescripta autem dividi solent in duas species: vel enim ad lites & judicia conceduntur, quæ vulgo Justitiæ appellantur; vel ad Beneficia, quæ Gratiæ Rescripta vocantur. Inter ea, quæ ad Beneficia, numerantur Man-

tur Mandata, seu Literæ de providendo, quorum originem & formam breviter proponemus, antequam ad quæstiones singulorum capitum veniamus.

Rescripta hujusmodi, sicut & alia plurima singularia, sunt referenda ad plenitudinem potestatis quam Rom. Pontifex in omnes Ecclesias sibi vindicat. Nam, ut ait Innocentius III. in *cap.* 2. *de Concess. Præb. in tertia Collect.* ne plenitudo Ecclesiasticæ jurisdictionis in plures dispensata vilesceret, sed in uno potius collocata vigeret, Apostolicæ Sedi Dominus in B. Pietro universarum Ecclesiarum & cunctorum Christi fidelium magisterium contulit & primatum; quæ retenta sibi plenitudine potestatis, ad implendum laudabilius officium pastorale, quod omnibus eam constituit debitricem, multos in partem sollicitudinis evocavit, sic suum dispensans onus & honorem in alios, ut nihil juri suo subtraheret, nec jurisdictio sua in aliquo minoraretur. Eaque ratione Ordinarius Ordinariorum solet appellari, quia in omnibus partibus, tam Episcopalis Officii, quam aliorum inferiorum Prælatorum obeundis, cum singulis Episcopis in sua Diœcesi, & quidem cum eminentiori auctoritate concurrit.

Unde & in conferendis Beneficiis non tantum æqualem cum Collatoribus Ordinariis, sed etiam majorem auctoritatem exercet, reluctantibus quamvis Ordinariis Collatoribus. Ad illam vero auctoritatem in Collationibus amplificandam excogitata fuerunt ista Rescripta de providendo, quæ in libris nostris vetustiorem auctorem Alexandro III. non habent. Hoc vero progressu & modo concipiebantur. Pontifex primo vel ad Episcopum, vel ad inferiores Collatores, ad quos Beneficii illius pertinebat collatio, quam sibi Sum. Pontifex reservare volebat, literas Monitorias vel Rogatorias dabat, *precum primitias*, ut loquitur Innoc. III. *lib.* 1. *Regist. epist.* 212. sub hac fere forma, quæ habetur in *epist.* 43. Alexandri III. in fine epistolarum Petri Cellensis. *Caritati vestræ preces affectuosas porrigimus, devotionem vestram per Apostolica scripta rogantes, attentius monentes atque mandantes quatenus illi Clerico divini amoris intuitu, & pro reverentia B. Petri ac nostra, in aliquo Beneficio liberaliter provideatis.* Hujusmodi Monitoriarum fit mentio in *cap.* 37. & 39. *de Rescriptis*, & *in cap.* 34. & 37. *hoc tit.* Innoc. III. *in lib.* 1. *registri epistolis* 49. 308. 374. & 524. in qua etiam Monitorem addebat, qui eum, ad quem scribebat, officii commonefaceret: licet enim pene rogans posceret Sum. Pontifex, blanda tamen imperio vis latebat. Nec enim hujusmodi mandata contemni patienter ferebant Pontifices, ut ex *epistolis supra citatis* constat. Nam si non obtemperaretur, secundas literas præceptorias dabant *cap.* 37. 38. 39. & 40. *de Rescriptis* & *cap.* 34. *hoc tit.* In hujusmodi præceptoriis literis aliquando Sum. Pontifex primo vacaturam Præbendam sibi reservabat, & si quid contra fieret ab Ordinario, declarabat irritum *lib.* 2. *registri* Innocentii III. *epist.* 49. Quod si negligerentur præceptoriæ; tertia & ultima vice literæ executoriæ concedebantur *cap.* 27. *hoc tit. juncta antiqua Collect.* ita dictæ, quia per eas negotium conficiebatur, datis executoribus a Sum. Pontifice in iisdem literis, qui perficerent quod ab Ordinario neglectum fuerat, & procurarent assignationem Beneficii, receptionem & inductionem in possessionem corporalem,

lem, ut constat ex *locis supra citatis & cap. 4. de Concess. Præb.* Quin etiam & ipse Sum. Pontifex exequebatur & investiebat *d. cap. 4. de Concess. Præb.* v. g. per annulum, sicut in *epistolis* 116. *&* 414. *libri Registri* Innocentii III. Aliquando etiam Monitoriæ omittebantur *cap. 31. de Rescriptis*; aliquando præceptoriæ *cap. 39. de Rescript. & cap. 27. & 37. hoc tit.* aliquando ipsi Sum. Pontifices omissis Monitoriis & Præceptoriis, statim jubent provideri, ut in *epist.* 524. *lib.* 1. *Regist.* Innoc. III. in qua eodem tempore Collatori Ordinario mandatur, idest Episcopo & Capitulo Tripolitano, ut provideat, & simul eodem tempore dirigitur aliud Rescriptum ad Constantinopolitanum Patriarcham, ut si non obtemperaret Episcopus, ipse mandatum exequeretur.

Generaliter notandum hujusmodi Rescripta, & eorum formam non fuisse certam & perpetuam, sed arbitrariam & ex liberalitate Sum. Pontificum, qui sæpius familiaribus suis hujusmodi Rescripta concedebant, *cap. 22. hoc tit. in antiqua Collect.* vel ad aliorum preces & gratiam, *lib. 1. Regist.* Innocentii III. *epistolis* 301. *&* 524. *& lib. 2. epist.* 172. quamvis eo colore hujusmodi Rescripta introducta primum fuissent, ut pauperibus Clericis non habentibus Beneficia, vel literatis viris prospiceretur *epist.* 49. Alexandri III. inter eas, quæ referuntur *in fine epistolarum* Petri Cellensis. Concedebantur etiam tam ad vacantia quam ad proxime vacatura *cap. 19. de Rescript. capitulo cum te, in secunda Collect. eodem tit. lib. 1. Regist.* Innocentii III. *epistolis* 211. 301. 334. 402. *&* 436. *& lib. 2. epist.* 49. Frequentes adversus hujusmodi mandata querelæ Ordinariorum Collatorum circumferebantur, qui ægre ferebant sibi inauditis & immerentibus jus suum adimi: & ideo sæpissime contemnebant hujusmodi rescripta *cap. 17. de Rescript. in antiqua & cap. 6. hoc titulo & plerisque locis supra citatis*. Itemque ex utraque parte, tam Collatorum quam impetrantium rescripta, variæ fraudes & doli excogitabantur; quas tamen severius castigant SS. Pontifices in impetrantibus *lib. 1. Reg.* Innocentii III. *epist.* 114. 116. 252. 258. *& cap. 1. ad audientiam, 31. & 32. extra de Rescriptis.*

In Capitulis autem, quæ interpretanda suscipimus, proponuntur variæ exceptiones, quibus Ecclesiæ & Collatores Ordinarii adversus hujusmodi Rescripta se tueri solebant. Et quidem in *Capitulo 6. hoc tit.* si impetrans aliud haberet Beneficium, unde posset commode sustentari, nec tamen illius in impetratione Rescripti fecisset mentionem, nihil obtinebat. Nam, ut diximus, in subsidium pauperum Clericorum potissimum hujusmodi Rescripta inventa fuerant. Unde adjici solebat hæc clausula, *si non habet sufficiens Beneficium Ecclesiasticum cap. 27. hoc tit.* vel ita, *si idoneus sit impetrator, cap. cum te hoc tit.* Hujusmodi enim Rescriptis vexare solebant Ecclesias, ad plures Ecclesias eodem tempore plura Rescripta impetrantes *cap. 17. 31. & 32. hoc tit.* Tuebantur etiam se exceptione certi & definiti numeri, de qua in *cap. 22. hoc tit.* Cujus Capituli inscriptio sic emendanda est tam ex antiqua quam ex ipso contextu: *Episcopo Santonensi & Abbati Bacianensi*. Subest enim Santonensis Episcopus Archiepiscopo Burdegalensi, qui secundæ Aquitaniæ Metropolitanus est, in qua civitas Santonensium in *Notitiis* recensetur. Hæc vero exceptio de certo numero ut intelligatur, observandum in Ecclesiis, in quibus non

est

est certus & determinatus numerus Præbendarum, etiam nulla vacante Præbenda, posse novos Clericos institui tam a Sum. Pontifice, quam ab Ordinariis Collatoribus *cap.* 25. *hoc tit. & lib.* 1. *Regist.* Innocentii III. *epist.* 301.

In Ecclesiis vero, quibus certus numerus Clericorum, communi consensu, juramento interposito, & confirmatione S. Pontificis constitutus fuit; non adeo facile augetur numerus. Quamvis enim hujusmodi confirmationibus apponi soleat hæc clausula, *salva Sedis Apostolicæ auctoritate*; quæ etiam omissa subintelligitur ipso jure: nominatim tamen in Literis & Rescriptis impetratis adversus Ecclesias, in quibus est certus numerus, expressa mentio facienda est certi numeri *cap.* 19. *de Rescript.* quod desumptum est ex *epist.* 334. *lib.* 1. *Regist.* Nec enim determinatus numerus nisi ex gravi causa debet augeri *cap.* 9. *de Vita & honestate Clericorum*, *cap.* 12. *de Constitutionibus & cap. ult. de verborum significatione*, quod Capitulum pertinet ad Ecclesiam Santonensem; cui juri convenit *Novella* 3. *ut certus & determinatus numerus Clericorum*. Quamvis autem antiquissimum fuerit in Ecclesia, ut in singulis Ecclesiis determinatus & certus numerus Clericorum constitueretur, quem Episcopi & Clerici temere excedere non possent; licet Ecclesiæ facultates excrescerent *locis supra citatis & dicta Novell.* 3. *&* 6. *& cap.* 1. 2. 4. *de Institutionibus*: in pluribus tamen Ecclesiis, in quibus nondum erat determinatus numerus, communi consensu Clericorum constitutus fuit, confirmatione a S. Pontifice impetrata, ne facile locus esset Mandatis de providendo, quæ in numeratis Ecclesiis non aliter admitti diximus, nisi nominatim facta in Rescriptis mentione numeri, & derogatione adhibita: quod vix Sum. Pontifices permittebant. In plerisque tamen Ecclesiis fraus fiebat, in quibus non habita ratione definitionis numeri, solebant alios supernumerarios Canonicos creare, quando scilicet Ecclesiæ facultates & reditus augebantur. Quam fraudem si deprehendissent Sum. Pontifices, compellebant eos admittere, quibus concesserant Literas de providendo, ut in *hoc nostro Capitulo* 22. cui plane similes sunt *epistolæ* 114. *&* 402. *lib.* 1. *Regist.* Innocentii III. Aliquando etiam nulla alia quam avaritiæ causa antiquum numerum minuebant Canonici, & reductionis hujusmodi confirmationem a Sede Apostolica obtinebant. Quæ tamen confirmationes tanquam subreptitiæ sæpe revocabantur, maxime ad postulationem Episcoporum, ad quos de jure pertinet hæc inspectio definiendi certi numeri, adhibita causæ cognitione *Lege* 21. *in Ecclesiis Cod. de Episcopis & Clericis*, *& dictis Novellis* 3. *&* 6. *Capitulo cum Martinus*, *& cap. ex parte de Constitut.* & omnino *epistola* 211. *lib.* 1. *Regist.* in qua prolixe exponitur, quid in ejusmodi quæstionem veniat.

Observandum etiam, quoties ad Ecclesias Cathedrales hujusmodi dirigebantur Rescripta, ut facilius ad exitum perducerentur, Summos Pontifices solitos fuisse explorare consensum Episcoporum, ut colligitur ex *Glossa in hunc locum*, *prædictum Magistrum in litera G.* in qua annotatur Innocentium III. desiderasse Episcopi Santonensis consensum. Quod apertissime in integra Decretali his verbis exprimitur: *Prædictum Magistrum de Præbenda & Canonica Santonensi cum consensu & voluntate tua, frater Episcope, & prudentium virorum consilio investivit*. Solebant enim Sum.

Sum. Pontifices non tantum Episcopos, sed etiam alios Collatores, quorum jura usurpabant, verbis lenioribus mitigare, sicut ex *integris Decretalibus* constat : quamvis Raymundus verba illuc spectantia sæpius & merito omittat, sicut & alia multa, quæ ad hæc mandata pertinent, & quæ accuratius ex *Epistolis* Sum. Pontificum & *antiquis Decretalibus* cognosci possunt.

Ex *d. cap.* 22. *hoc tit.* sicut ex *cap.* 4. *de Conceff. Præb.* & *ex cap.* 5. *de donationibus infra* & *ex epistola* 116. *lib.* 1. *Regist.* Innoc. III. colligitur Investituram Beneficii per annulum fieri solitam, jure deducto a Jure feudorum. Differt autem Investitura ab inductione corporali in possessionem, idest a receptione in Canonicum actuali, quæ fit assignato stallo in Choro & loco in Capitulo, & integra fructuum perceptione cum plenitudine Canonici honoris *lib.* 1. *Regist.* Innoc. III. *epist.* 414. sicut in Jure feudorum Investitura feudi differt a traditione & adeptione corporalis possessionis. Est enim Investitura concessio solemnis feudi, quæ in ipso contractu intervenit, & sine traditione possessionis subsistit, adhibita imaginaria symboli cujusdam traditione. Investituram sequitur traditio realis possessionis: Investitura quippe jus tantum tribuerat, ex quo obligatio & actio nascitur, per quam compellitur ille, qui investivit, ad ipsius rei corporalem traditionem: sicut emptione perfecta nudo consensu nascitur obligatio & actio, qua cogitur venditor præcise rem venditam tradere, nec liberatur si offerat id quod interest ; dummodo res possit præstari ab eo. Simili ratione in Jure Canonico Investitura est concessio ipsius juris, quam sequitur traditio & inductio corporalis in possessionem, quæ in his libris proprie vocatur Institutio, quæ sequi solet Investituram & Collationem Beneficii ; eaque significatione Institutio accipitur in *tit. de Institutionibus infra ;* quamvis etiam aliquando Institutio pro ipsius juris collatione & investitura accipiatur.

Observandum etiam ex *cap.* 24. *hoc tit.* & *ex epistolis* Innocentii III. *lib.* 1. 116. & 255. & *ex lib.* 2. *epist.* 184. hoc habere commune Investituram & traditionem corporalem, sive institutionem, ut non tantum præsentibus, sed etiam absentibus per procuratorem vel nuntium expediri possint; quod ex Jure Civili desumptum est, quo donatio absenti per procuratorem fieri, & possessio pariter per procuratorem potest acquiri, *Lege absenti ff. de donationibus* & *Lege* 1. *Cod. de acquirenda* & *retinenda possessione:* sicut etiam nihil interest, utrum ipse dominus rem tradat vel alius ejus voluntate §. *vendita vero res Instit. de Rerum divisione.*

Quod autem notat Glossa ad *capit.* 22. in spiritualibus aliquid etiam licere excommunicato, ut in *hoc capitulo* 22. conferre Præbendam (quod & ibidem Molinæus notat) : id in hoc articulo ideo facilius fuit receptum; quoniam totum hoc jus mandatorum non aspere, non amare tractatur a SS. Pontificibus adversus Collatores; quamvis contempserint ea in re S. Pontificis auctoritatem, nec irritantur in præjudicium hujusmodi mandatorum factæ collationes, sicut passim ex locis citatis colligitur; nisi manifesta contumacia probetur : quo casu Collationes fraudulenter in elusionem & contemptum S. Pontificis mandatorum factæ irritantur, ut in specie *capituli Propofuit de Concef. Præbend.* & *in lib.*

1. *Regist.* Innocentii III. *epist.* 312. *&* 414. *& lib.* 2. *epist.* 182. quibus ex locis, sicut & ex *epistolis* 255. *lib.* 1. *&* 252. *lib.* 2. & aliis plerisque constat, in hujusmodi Rescriptorum executione summo temperamento & prudentia usos fuisse SS. Pontifices. Sentiebant enim se per hujusmodi Rescripta jus Ordinariorum imminuere, ideoque facile justas excusationes admittebant, frivolas & leves rejiciebant, ut in *Decretalibus citatis & in istis quatuor Capitulis*, quæ conjunximus, & in *cap.* 17. 30. 39. *&* 40. *extra de Rescrip.* quorumque postremorum fit mentio in *Concordatis titulo de Collationibus*.

Forma vero Mandati *cap.* 22. *hoc tit.* notanda est. Scriptum est Archiepiscopo Burdegalensi, *ut in aliqua Ecclesiarum suarum, ubi expedire cognosceret, impetranti competens Beneficium faceret assignari*: idest non tantum in Ecclesia Burdegalensi, quæ propria erat Metropolitani Ecclesia, vel in Diœcesi Burdegalensi, sed etiam in qualibet Ecclesia Suffraganeorum Episcoporum, qui subsunt Metropolitano Burdegalensi: quamvis regulariter, exceptis tantum quibusdam articulis, Metropolitani in Suffraganeos Episcopos nullam habeant potestatem *cap.* 8. *&* 11. *extra de Officio Judicis Ordinarii*; itemque hæc verba (*assignari facias Beneficium*) intelliguntur cum effectu, ut sæpius in his Rescriptis, idest ita ut si Collatores non obtemperent, per Censuram Ecclesiasticam coerceantur, & ipse executor possit conferre Beneficium, ut in *Decretalibus supra citatis*.

Superius diximus legitimas quidem excusationes Ecclesiarum adversus Mandata de providendo facile admitti a S. Pontifice; frivolas vero & frustratorias eum rejicere, inter quas præter allegatas numerandæ sunt duæ, quæ continentur in *capit.* 27. *&* 34. *hoc tit.* Et quidem allegabatur in *cap.* 27. quod Rescriptum per falsi suggestionem fuerat impetratum, quasi falso exposuisset impetrans S. Pontifici vacare Præbendam in illa Ecclesia tempore impetrati Rescripti, cum tamen nulla vacaret: & ita videbatur dicendum secundum Juris Civilis & Canonici regulam, mendacem precatorem debere carere impetratis *L. etsi Legibus Cod. si contra jus*. Unde hæc clausula subintelligitur semper in Rescriptis Jure Canonico, *si preces veritate nitantur*, *cap.* 2. *de Rescrip.* quæ clausula Jure Civili semper erat exprimenda *L. ult. Cod. de diversis Rescriptis*.

Auget etiam dubitationem quod in Rescriptis tempus impetrati Rescripti (Datæ, ut vulgo vocant) inspiciendum est, non autem tempus receptionis, vel præsentationis, *cap. eam te* 7. *cap.* 19. *constitutus*, *& cap.* 30. *Capitulum sanctæ crucis extra de rescriptis*, in quo hæc verba, quæ difficultatem faciunt, & quæ a Glossa in *hoc cap.* non intelliguntur (*qui ad eos prius mandatum reportavit*) ita sunt intelligenda, idest non qui præsentavit Judici primus, sed qui primus a S. Pontifice impetravit: quod & innuunt hæc verba (*de Literis prædictis non habita mentione*) quæ ita sunt accipienda, B. Clericus non fecerat mentionem Literarum prius a B. Clerico Noviomensis Ecclesiæ impetratarum: eademque forma loquendi usurpatur in *cap.* 2. *eodem titulo*. Quod evidentissime confirmatur *cap. eum cui* 7. *de Præbendis in* VI. Et quidem in hac difficultate hæc distinctio verior videtur. Vel illa quæstio de tempore impetra-

trationis & Datæ Rescripti, vel præsentationis vertitur inter duos litigantes, qui mandatum impetraverunt ad aliquam Ecclesiam vel Collatorem, ut sibi provideretur; & hoc casu tempus Datæ inspicitur, quoniam juri semel acquisito a primo impetrante non potest derogari a secundo impetrante, ut notat *Glossa ad cap. eum cui in VI.* & huc pertinent *supra citata capit.* vel rursus quæstio movetur inter Ecclesiam seu Ordinarium Collatorem, ad quem directum est Rescriptum, & inter impetrantem de executione Mandati: quo casu plenissima fiet impetratio Rescripti adversus ipsas Ecclesias & Collatores Ordinarios; & tunc tempus datæ, vel præsentationis & receptionis Literarum sufficiet inspicere, prout utilius erit impetranti: & hoc propter varias fraudes & moras ab Ordinariis Collatoribus in executione hujusmodi Rescriptorum excogitatas, ut ostendimus, & ex *cap.* 22. constat, & ex *cap. eam te de Rescriptis*; ideoque in specie *Capituli* 22. satis est, si tempore receptionis Rescripti vacaverit Beneficium hujusmodi. Eo enim tempore, vacante Præbenda, vitium falsæ suggestionis facile purgabitur: hac etiam addita ratione, quia ut diximus initio hujus tractatus, Mandata hujusmodi etiam de Præbendis nondum vacantibus concedebantur, ut constat ex *cap.* 37. *hoc tit.* & *ex cap. constitutus de rescript.* & *cap. eam te, in integra collectione* 2. *eodem tit.* quibus in locis hæc inseritur clausula, *vel vacantem vel proxime vacaturam*: quare ad impetranda hæc Rescripta non erat necessarium, ut nominatim exprimeretur. Aliud dicendum si quid omissum foret, quod necessarium fuerit exprimere, & quo expresso, difficiliorem in concedendo se præbuisset S. Pontifex, ut in *cap.* 6. *hoc tit.* & *in cap.* 19. *constitutus* & *seqq. extra de Rescriptis*, v. g. si precator consulto omittat, *se habere aliquod Beneficium*. Quamvis autem, ut diximus, tempus receptionis inspiciatur in *dicto cap.* 27. quæ tamen post Datam simul & receptionem Literarum fuit facta collatio Præbendæ a Novariensi Capitulo in Mandati præjudicium, non rescinditur a Sum. Pontifice, quod fieri benigne præmonuimus, ne novum & inauditum jus videretur acrius persequi. Puniuntur tamen Collatores, quibus injungitur, ut de reditibus Ecclesiæ teneantur assignare singulis annis proventus aliquos impetranti, donec Præbendam contulerint, ut in *cap.* 19. *supra* ei, qui expectat Præbendam vacaturam, portiones, sive distributiones quotidianæ sine diminutione assignantur, & in *cap.* 6. *de jure patronatus in* 1. *Collectione* recepto ad proxime vacaturam interim assignatur annua pensio ab Episcopo & Canonicis, quousque vacaret Præbenda.

Alia proponitur exceptio adversus impetrantes in *cap.* 34. *hoc tit.* quam velut frivolam rejicit Sum. Pontifex. In specie Capituli Decanus & Capitulum Andegavense ea ratione detrectabant exequi Mandatum Pontificium, quia non fuerat expressum in Mandato, Præbendas in Ecclesia Cathedrali Andegavensi, quæ sub titulo S. Mauricii consecrata est, non pertinere ad Capitulum suo jure, sed ex donatione Regis. Quam excusationem ideo non admittit Sum. Pontifex, quoniam post donationem Regis collatam in Capitulum jus illud omne translatum in Capitulum, non amplius Laicum, sed Ecclesiasticum censeri debuit, *arg. cap. un. de jure patron. in* VI. quod pluribus confirmant hoc loco Glossa & Panormitanus.

Ratio dubitandi videbatur, quia Ecclesia in locum & jus Regis succedere censebatur, cujus juri Papa derogare non potest, ut etiam notat hic *Glossa ex cap. cum dilectus extra de jure patronatus*. Quinimo non tantum Regi, sed nec cuilibet Laico, si quod jus competat ei in Ecclesias, per Mandata Sum. Pontificum minui vel adimi potest: quo jure utimur; ideoque in *Pragmatica sanctione tit. de Collationibus* §. *item voluit*, in quo de hujusmodi Mandatis tractatur, fit tantum mentio Ecclesiastici Patroni vel Collatoris, non autem Laici, ut ibi recte Probus annotavit. Contra Glossam tamen *nostri cap.* 34. insurgunt omnes Interpretes, & posse Sum. Pontificem expressa clausula juri Laicorum derogare contendunt ex *cap. cum dilectus de jure Patron.* in quo hæc derogatio Legato tantum interdicitur; ergo, ajunt, potest S. Pontifex derogare ex plenitudine potestatis. Quod argumentum non semper est necessarium, & ut alibi ostendimus, quoties SS. Pontifices dignati sunt derogare juri Laicorum expressa & speciali clausula (quod jus non dubito eos sibi vindicare plenitudine potestatis) tamen vix obtinuit in Gallia, quæ nunquam nimiam potestatis plenitudinem agnovit, sed potestatem tantum legitimam, quæ Scripturis & Canonibus definita est.

Superest tantum, ut annotemus ad *cap.* 34. *dilectus hoc tit.* unde ad Reges nostros Collatio Præbendarum Ecclesiæ Andegavensis pertinuit, quam non dubito ex fundatione fluxisse, licet Charta fundationis non extet: quam enim Renatus Chopinus in *libris de Politia Ecclesiastica* fundationis Chartam existimavit ex Archivis ipsius Ecclesiæ, ea non est fundationis Charta, sed immunitatis, sive ut loquebantur, Emunitatis, quam Reges nostri non tantum Ecclesiis, quas fundabant, sed etiam reliquis celebrioribus Ecclesiis facile indulgebant, quave Ecclesias & earum possessiones immunes a fiscalibus oneribus & jurisdictione præstabant, ut constat ex Marculphi *formula* 3. & 4. ad cujus explicationem alias plures formulas similes doctissimus Interpres congessit; quibus hæc ipsa potest accedere, in qua legendum pro (*infraudas*) inferendas, idest *amendes*, quæ in fiscum inferri solent. Similis Charta extat in *historia Comitum Tolosanorum pag.* 74. Jus autem collationis, quod Regi competiisse diximus in ipsa Ecclesia, differt plurimum a jure patronatus, vel præsentationis: est enim plenum jus & Ordinarium, quo recta via Reges nostri conferunt, & instituunt in Ecclesiis quibusdam eodem jure & forma, quo Ordinarii Ecclesiastici Collatores.

Quod jus non tantum Regibus nostris, sed etiam Magnatibus quibusdam fundatoribus Ecclesiarum Collegiatarum competit; multoque magis locum habet in Præstimoniis, Anniversariis & simplicibus Beneficiis: quo jure utuntur; quicquid in contrarium Interpretes scripsisse dicantur. Qua de re vide Selvam suse *parte* 2. *tractatus de Beneficiis quæstione* 23. ubi probat saltem ex privilegio Sum. Pontificis jus Collationis in Laicis Patronis admitti. Sed, ut diximus, usus noster possessionem immemorabilem & longam habet pro privilegio: & hoc tantum in Beneficiis curam animarum non habentibus; nec confundi debet jus illud cum jure Regaliorum. Quamvis hæc ita sint jure, quo utimur; Decretalibus tamen Sum. Pontificum plenum illud jus Collationis in Laicis improbatur, ut constat ex *Can.* 12. & *seqq.* XVI. *Quæst.* 7. *cap.* 4.

extra

extra de jure patronatus, *cap.* 31. *hoc tit.* & *cap.* 3. *de Institutionibus*.

In *capite ult.* usus Mandatorum hujusmodi de providendo restringitur, nempe si mandetur alicui providendi in Ecclesia aliqua, verba generalia strictissime accipiuntur. Nec obstat vulgare illud, *Beneficia Principum latissime esse interpretanda :* quæ ita accipienda, dummodo in alterius præjudicium non fuerint concessa : ista autem Rescripta de providendo in damnum Ordinariorum Collatorum conceduntur. Quare in illis hæc clausula, *ut in Ecclesia Civitatis vel Diœcesis provideatur*, de simplici tantum Beneficio intelligitur. Simplex autem Beneficium ex *hoc Capit.* accipiendum est, cui neque Dignitas neque Cura animarum sit annexa : quod supra pluribus explicuimus.

In aliis præterea casibus valde restringi cœperunt a Sum. Pontificibus, qui secuti sunt Innoc. III. ut constat ex *hoc cap. ult.* & *cap.* 38. 39. 40. *de Rescript.* & maxime ex *cap.* 4. 16. 24. & *plerisque aliis in tit. de Præb. in* VI. Unde & Rescriptum Martini V. quod extat *lib.* I. *de sacra Politia tit.* 3. *numero* 5. in gratiam Ecclesiarum Galliæ & Delphinatus, quo constitutum, ut Vicariæ perpetuæ institutæ in Metropolitanis, Cathedralibus & Collegiatis Ecclesiis, quibus incumbit onus Officii divini, nec non Capellaniæ, quarum fructus non excedunt decem librarum Turonensium valorem, non cadant sub Gratiis expectativis, nec sub aliqua reservatione comprehendantur, sed per locorum Ordinarios & alios, ad quos ipsarum collatio pertinet, libere conferantur.

Tandem in Concilio Basileensi *Sessione* 31. ea qua sumptus est *titulus de Collationibus in Pragmatica*, modus est impositus tam Gratiis expectativis, Reservationibus, quam Mandatis de providendo, ut & in *tit. de Mandatis in Concordatis*.

Postremo Concilio Tridentino *Sessione* 24. *cap.* 19. Hæc omnia sublata fuerunt. Præventionum tantum jus Sum. Pontifex retinuit in omnibus Beneficiis, cujusque sint qualitatis, Sæcularibus vel Regularibus, vacantibus tamen *dicto titulo de Collationibus in Pragmatica versic. neque etiam Collationis*, & *dicto titulo de mandatis in Concordatis vers. Nosque & successores nostros*.

Quamvis autem Mandata de providendo plane abrogata fuerint : multa tamen, quæ de iis diximus, utilia erunt & produci poterunt ad signaturas, quæ in præventionis casu solent obtineri, & ad impetrationem Pontificiorum rescriptorum.

Caput 23. explicatum est in *cap.* 2. & 4. Caput 24. in *cap.* 22. caput 25. in *cap.* 8. Adde tamen *epistolam* 71. *lib.* 13. *Regist. Innocentii III.* & *notas*. Caput 26. expositum est in *cap.* 18. Caput 27. explicatum est in *cap.* 22. & Caput 28. explicatum est in *cap.* 5.

AD CAP. XXIX. XXXV. ET XXXVII.

IN istis tribus Capitulis agitur de ætate & qualitate eorum, quibus Ecclesiastica Beneficia conferri debent : & constituitur, ut idonei eligantur, idest tam doctrina quam moribus digni ; itemque ut eligantur, qui possint in Ecclesiis residere, & in illis deservire in ordine, quem ipsius Ecclesiæ Cura, Dignitas, vel Beneficium exigit, ut loquitur *cap.* 30. §. I.

§. 1. *hoc titulo:* quod non possunt commode præstare, qui plura simul Beneficia habent. Ætas etiam desideratur: impuberes enim & pueri, ut dicitur in *cap.* 35. non sunt idonei ad qualibet Beneficia Ecclesiastica obtinenda. Qualibet Beneficia, inquam: nam neque puberibus Personatus, Dignitas & Ecclesia Parœcialis possunt conferri. Cum enim requiratur in hujusmodi, ut Ordinibus sacris sint initiati; ad hujusmodi ordinum collationem certa ætas requiritur, quæ pubertatem excedat *cap.* 4. *de temporibus ordinat.* & *cap.* 3. & 4. *de ætate & qualitate Præficiendorum.* Diligens ergo inquisitio tam in Ordinatione, quam in Collatione Beneficiorum desideratur. De quo argumento tractat plenissime Gratianus a XXIII. *Dist. usque ad Causam primam;* unde Decreti pars illa prima solet appellari tractatus Ordinandorum *cap.* 9. *de Electione & electi potestate.* In *cap.* autem 29. novæ pœnæ proponuntur adversus Collatores, qui absque discrimine etiam indignis & non idoneis Beneficia conferunt.

Postremo in *cap.* 37. rejiciuntur futiles & vanæ exceptiones Capituli Argentinensis Ecclesiæ adversus collationem Legati Apostolici, ad quem per negligentiam dicti Capituli jus conferendi vacantem Præbendam in dicta Ecclesia juxta Concilium Lateranense fuerat devolutum; de quo jure *cap.* 2. 5. & 6. *de Concess. Præbendæ* tractatur.

Exceptio autem hujusmodi allegabatur, quod ex antiqua consuetudine dictæ Ecclesiæ nullus in Canonicum admitteretur, nisi nobilis & ab utroque parente illustris, honestæ conversationis ac eminentis scientiæ. Clericus vero, cui contulerat Legatus Præbendam, hujus conditionis non erat: non obstante tamen consuetudine, respondet Sum. Pontifex sufficere nobilitatem virtutis, vitæque honestatem & mediocrem scientiam; non esse acceptionem personarum apud Deum: quod & confirmatur in eleganti specie *cap.* 5. *de Institutionibus infra.*

AD CAP. XXX.

CAput 30. ex Concilio Generali sub Innocentio III. explicavimus magna ex parte in *cap.* 12. addenda *cap.* 23. *infra de Jure Patronatus,* & *cap.* 7. 8. 9. 13. & 15. *extra de censibus,* & *Clem. unica de Jure Patronat.* Superest tamen explicanda sententia §. *qui vero ejusdem Capituli,* quæ hæc est, eos qui Parœciales Ecclesias obtinent, per se ipsos personaliter teneri administrare, non autem per Vicarios; alioquin auctoritate hujus decreti ipso & absque sententia ulla privati sunt Ecclesia, quæ per Collatores libere aliis, qui præesse valeant, poterit concedi: & quidem nulla cognitione præcedente vel sententia, ut in simili casu *cap. de Multa providentia hoc titulo.*

Excipiuntur illi tantum, quorum Dignitati vel Præbendæ Parœcialis Ecclesiæ fuerit ab antiquo annexa *arg. Capituli* 33. *hoc titulo.* Illis enim permittitur Vicarios perpetuos instituere, congruenti portione eis assignata, ut diximus in *cap.* 12.

Adversus id quod diximus, ipso jure vacare Ecclesiam Parœcialem, si personaliter non deserviant, objici solent *cap. ex parte, cap. inter, cap. ex tuæ dilectionis,* & *cap. ult. de Clericis non residentibus;* quibus in locis monitiones requiruntur & sententia.

Re-

Respondendum videtur, differentiam esse constituendam inter eos, qui ab initio personaliter curam alicujus Ecclesiæ Parœcialis susceperint, & administraverint per aliquod tempus; postea vero sine justa causa abesse cœperint & vagari: ad quos revocandos trinæ monitiones necessariæ sunt, & terminus competens ad redeundum præfigendus, intra quem si per contumaciam redire neglexerint, sententia legitime lata Ecclesiis spoliari poterunt. Si vero Clericus in Ecclesia Parœciali sibi collata personaliter non inceperit deservire, & omnino negligat eam administrare, etiamsi Vicarium instituerit; ipso jure auctoritate dicti Concilii, idest *hoc nostro capite* 30. privatus erit Ecclesia absque ulla monitione & sententia: gravius quippe delinquit, qui nunquam susceperit curam Ecclesiæ sibi commissæ, quam qui post semel susceptam & administratam personaliter per aliquod tempus desierit, & non residet: potest enim justas & legitimas absentiæ causas allegare *cap. supra citatis & passim toto titulo de Clericis non residentibus*.

Observandum tamen, si Parœcialis Ecclesia ei collata fuerit, qui vigesimum quintum annum attigerit (nec enim antea potest sine dispensatione;) intra annum promoveri tenetur ad Sacerdotium, & per consequens intra illum annum, licet non resideat personaliter, non poterit privari. Itemque si occasione studiorum impetrata prius dispensatione ab Episcopo, non autem ab alio in aliqua Academia moretur: tunc enim per septennium tantum studiis vacare licebit, constituto tamen ab Episcopo Vicario, qui per illud tempus deserviat, ei assignata portione redituum sufficienti, & reliquis reditibus servatis Rectori in favorem studiorum, quæ confirmantur *cap. cum in cunctis §. inferiora extra de Electione & cap.* 14. & 15. *de Electione in* VI.

Postremo quod ajunt de Cura annexa Præbendæ vel Dignitati, notandum, quod & Glossa observat, non posse aliquem Canonicatum vel Dignitatem habentem in alia Ecclesia simul etiam Curam habere, quia utrumque Beneficium exigit personalem residentiam, ut nominatim dicitur in *hoc Capitulo* 30. ibi; *cum oporteat eum in majori Ecclesia deservire*. Eademque ratione qui Rector est sive Parochus alicujus Ecclesiæ, in alia Ecclesia Cathedrali præcipue vel Collegiata non potest obtinere Canonicatum *cap. de multa providentia supra*.

Caput 31. explicatum est in *cap.* 12.

AD CAP. XXXII.

HOc Capitulum est desumptum ex *quinta Collect.* Honorii III. ex qua legendum in *cap.* (*Ebroicensi Archidiacono*,) male *Eboracensi* vulgo legitur. Eburonicum in Gallia; Eboracum vero in Anglia.

Archidiacono itaque Ebroicensi concesserat Sum. Pontifex, ut studiorum causa Parisiis moranti proventus Ecclesiastici integre ministrarentur. Qeamvis autem Summi Pontificis dispensatio præciperet integre præstari, ita tamen explicat, ut non percipiat manualia Beneficia, victualia, sive diaria, idest quotidianas distributiones, de quibus etiam *cap.* 16. *de Verb. signific. cap.* 7. & 12. *de Clericis non residentibus, cap. ult. de Magistris & cap. unico de Clericis non residentibus in* VI. hac ratione quo-

quoniam debentur non tantum præsentibus & residentibus, sed præterea illis tantum, qui intersunt horis Canonicis, exhibentur: imo & psallentibus & canentibus. Quam in rem insignis est *L.* 42. *omnem adhibentes* §. *ultimo Cod. de Episc. & Clericis*, in qua præcipitur districtissime, ut Clerici omnes actu ipsi psallant & canant; alioquin ejiciantur ex Ecclesia: ad hoc enim constituti sunt, & eis stipendia assignata, ut per se divina Officia celebrent; eademque constitutio removet substitutos & Vicarios canendi causa constitutos.

Consuetudo etiam contraria reprobatur, qua præsentes, licet divinis Officiis non intersint, distributiones tamen quotidianas percipiunt: Idemque dicitur de distributionibus, quæ pro defunctorum anniversariis præstantur *cap. unico de Clericis non resid. in* VI. Introducendarum autem hujusmodi distributionum rationes eleganter explicantur ab Ivone Carnotensi in *epistola secunda*.

Horæ vero Canonicæ vocantur & Canonicum pensum & cursus Canonicus, ut eleganter loquitur idem Ivo *epist.* 19. & in *Notis*.

Sed ut redeamus ad dispositionem studiorum causa, requiritur ut in locis celebribus studiorum morentur, & actu studeant; alioquin non fruentur privilegio, si in villis vel castellis morentur, in quibus nullum est, vel minus competens exercitium studiorum *cap.* 12. *de Clericis non resid.*

Ad certum tempus tantum, v. g. ad quinquennium, vel septennium ad summum hujusmodi dispensationes debent concedi: perpetuæ enim licet a Sum. Pontifice concessæ, velut abusivæ revocantur *cap. ult. extra de Magistris*, *cap.* 14. *&* 15. *de Rescriptis in* VI.

Quod si Beneficia non sint distincta, sed omnia in quotidianis distributionibus consistant, nec quidquam erogetur illis, qui Horis Canonicis non intersunt; in hoc casu recte Glossa respondet ad *hoc. cap.* 32. habita ratione victus quotidiani, studiosis de reditibus aliquid assignandum.

Dispensationes autem hujusmodi studiorum causa non tantum a Sum. Pontifice, sed ab Episcopis & superioribus Episcoporum concedi possunt, & debent Rectoribus Ecclesiarum Parœcialium; reliquis vero Clericis ab iis prælatis, quibus subsunt, & ab omnibus non ultra septennium.

Præterea Rectoribus non aliter, nisi ipsi intra annum, a sibi commissi regiminis tempore numerandum, saltem ad Subdiaconatus Ordinem fuerint admissi; hac ratione, ne sicut a multis de Christi patrimonio sublimatis olim factum esse dignoscitur, a statu retrocedere valeant Ecclesiastico *cap.* 34. *de Elect. in* VI. in quo additur, ut si elapso septennio, intra annum nec ad Sacerdotium nec ad Diaconatum saltem (quod in studiosis tantum benigne fuit receptum) promoti fuerint, ipso jure & absque monitione dictis Ecclesiis Parœcialibus sint privati.

AD

AD LIBRI III. DECRETALIUM TITULUM XXXVIII.

De Jure Patronatus.

TRACTATUS.

PRÆFATIO.

NON habet opus commendatione hujus Tituli utilitas: satis quippe seipsa ostendit. In usu enim rerum & quotidianis experimentis versatur. In tractatione vero hanc methodum observabimus, ut Jus Canonicum cum Jure Civili, quantum licebit comparemus: nec enim tantum in *hoc Tit.* sed in omnibus fere Titulis & tractatibus, Juris Civilis cum Canonico conjunctionem non tantum ad ornatum & illustrationem, sed etiam ad difficiliores nodos solvendos perutilem, imo necessarium reperiemus. In hoc vero *Paratitulo*, Juris Patronatus originem, diversas appellationes, definitionem & divisionem trademus. Et quidem primum convenienter instituto nostro repetemus ex Jure Civili, quæ vel ad originem Juris Patronatûs patefaciendam, vel ad emergentium controversiarum decisionem pertinere videntur.

Notissimum quidem est Jura Patronatus primum concessa & indulta fuisse ædificatoribus, fundatoribus vel instauratoribus Ecclesiarum, Oratoriorum, Capellarum, Monasteriorum, sacrorum denique omnium locorum, idest dicatorum Deo & Sanctis; vel etiam fundatoribus & instauratoribus locorum venerabilium, qualia sunt Orphanotrophia, Xenodochia, Nosocomia, Gerontocomia, Collegia, & hujusmodi loca venerabilia, quæ locis sacris solent adjungi, & iisdem privilegiis donari. De quibus etiam statim agitur in *Codice post Titulum de sacrosanctis Ecclesiis*, nempe sub *Titulo de Episcopis & Clericis:* quia nimirum sicut Episcopi in Ecclesias & loca sacra & religiosa in eorum diœcesi posita, jurisdictionem, observationem & inspectionem habent: ita & in omnia hujusmodi, quæ supra retulimus, venerabilia loca notissimum est Jus obtinere. Juris Patronatus subobscura quædam vestigia in *Digestis* licet indagare. Et quidem si quis opus publicum sua pecunia & liberalitate vel excitasset a fundamentis, vel ab alio ædificatum, & vetustate collapsum instaurasset, aut exornasset; operi perfecto vel restitu-

to nomen inscribere poterat: non erasis tamen, si restituerat tantum, sed manentibus priorum titulis, qui ea opera fecerant *L.* 2. §. *ult. L.* 3. §. *ult. & Lege ult.* §. *ult. ff. de Operibus publicis*. Idem erat si vel aram, vel statuam, aut signum Deo poneret. Solebat enim cum nomine illius Dei, nomen ponentis & dicantis aram vel signum subscribi *Lege Titia* §. *ult. ff. de auro & argento legato*. Quod & ex veteribus inscriptionibus facile colligitur. Hygenus in fine *lib. de limitibus agrorum* ait, *In finibus coloniarum in honorem Conditorum aras inscriptas fuisse nominibus eorum*. Nec tantum qui opera publica, aras & statuas, sed & qui ludos vel certamina publica in honorem Deorum instituebant; eos suo nomine appellabant, & suo nomine celebrari præcipiebant, certa forma, legibus, & conditionibus præscriptis. Sed etiam sibi & hæredibus, vel quibus libuerat, in institutione nominatim cavebant, ut hujusmodi ludis præessent, tanquam Agonothetæ *Lege* 6. & 21. §. 3. & *Lege penult. ff. de annuis legatis*, & in elegantissima specie *Legis Septitia ff. de pollicit.* in qua Modestinus respondet, *quo casu certaminis editio licita est, formam pollicitationi datam servandam esse*. Et ut eorum voluntas accuratius observaretur, addere solebant hanc clausulam; *ut si conditionibus adscriptis Respublica non pareret, hæredes pecuniam sibi haberent*. Quæ clausula necessaria erat; alioquin hæredes solutæ pecuniæ repetitionem non habebant, sed in alios usus publicos convertebatur, ut Interpretes notant ad *d. Legem* 21. *ff. de annuis legatis*

Qui vero templa & ædes sacras exædificabant, ipsi Conditores, præeunte solemnia verba Pontifice, postem templi tenentes, consecrationis verba nuncupare solebant, simulque formam & modum sacrorum peragendorum, certasque leges & conditiones imponere solebant, quas in tabulas vel columnas inscribebant, ut pluribus docuit doctiss. Brissonius in *Formulis*.

Consequens est, ut propius accedamus ad Religionis Christianæ protectores & defensores, Imperatores; eorumque constitutiones de Jure Patronatus indicemus. Veteres quidem Interpretes Latini non aliunde Juris Patronatus originem repetunt, quam a Justiniani *Novellis* 57. *cap.* 2. 58. 67. *cap.* 2. 123. *cap.* 18. & 131. *cap.* 7. & 10. Quamvis multum ante Justinianum Zeno Imperator de Jure Patronorum, sive fundatorum Ecclesiarum, velut jam obtinente, constitutionem ediderit, quæ numeratur ordine 15. *Cod. de sacrosanctis Ecclesiis*: licet non integra extet, sed ejus tantum epitome ex *Nomocanone* Photii *tit.* 2. *cap.* 2. *de Ædificatione Ecclesiarum*: licet & aliam breviorem epitomen ex synopsi Basilicon habeamus; quam & Cujacius retulit *lib.* 12. *Observat. cap.* 28. cujus Legis sententiam, quia singularia multa continet in favorem Religionis, referemus. Qui donaverat aliquid mobile vel immobile, Ecclesiæ ædificandæ, Oratorii, Xenodochii, vel cujuspiam sacri aut venerabilis loci gratia, ultro & sponte, non aliqua causa præcedente, sed solius liberalitatis exercendæ causa; quamvis ex una tantum parte voluntas donantis, vel potius pollicentis processisset, μονομερῶς, nullo scilicet donationem accipiente & ratum habente (*sans acceptation de personne*); ita ut intra pollicitationis formam & modum consisteret; imo quamvis opus nondum inchoatum fuisset: valebat tamen hujusmodi pollicitatio, dummodo insinuata fuisset. Quod ita intel-

ligen-

ligendum ex posteriori *Lege* Justiniani 19. *ejusdem tit.* si summam quingentorum solidorum excederet. Favore quidem Reip. & Municipiorum receptum antea fuerat, ut nasceretur actio ex pollicitatione, si quis opus publicum facturum aut pecuniam in eam rem daturum polliceretur: quod sub hac conditione intelligendum, si causa justa pollicendi intercederet, vel si operi manum admovisset pollicitator. Nuda enim pollicitatio non obligat *Lege* 1. §. 1. *& seq. ff. de Pollicitationibus*: Favore tamen Religionis, quamvis nulla causa subsit, necdum opus inchoatum fuerit; nihilominus in casu *dictæ legis* 15. obligatio & actio nascitur, idest condictio ex Lege Zenonis, quæ hoc jus singulare induxit, per quam & ille qui promisit & ejus hæredes Ecclesiam, Oratorium, vel Xenodochium perficere compelluntur: ad quod faciendum ab Episcopis & Oeconomis Ecclesiarum compelli possunt: quibus peractis universa administratio postea procedet secundum leges & conditiones a fundatoribus impositas. Quod & plenius confirmatur a Justiniano in *Lege* 46. *Cod. de Episc. & Clericis*; ut nempe in posterum statuere possit fundator, quos Curatores & Oeconomos Ecclesiæ, vel Xenodochiis præficiat. Quod si super his rebus nihil expresserit, ad curam & inspectionem Episcoporum pertinebit: qui quidem si per negligentiam, gratiam vel aliquod aliud vitium ad executionem voluntatem fundatoris non perducant, ad Metropolitanos cura devolvitur: & postremo popularis actio datur cuilibet privato, per quam fundatoris voluntatem hæredes cogantur implere. Quæ confirmantur *Novellis* Justiniani, quas supra enumeravimus; in quibus & commemorantur præterea reliqua Patronorum fere jura, Nominationis & electionis Clericorum ordinandorum ab Episcopo Diœcesano, inspectio & observatio administrationis & ministerii peragendi in Ecclesiis & aliis locis venerabilibus juxta conditiones & leges dictas a fundatoribus. Quæ præcipua cura hæredum fundatoris: & si per negligentiam, avaritiam & dolum cessaverint, ea cura regulariter pertinet ad Episcopos *dicta Lege* 46. *Cod. de Episcopis*; in cujus initio notandum non posse prohibere fundatorem ne Episcopus eam curam suscipiat; sicut nec quidquam Canonibus contrarium in fundationis conditionibus apponere. Quam in rem videndus Balsamo ad *Nomocanonem* Photii *tit.* 2. *cap.* 2. & ad *Can.* 1. Synodi, quæ vulgo Prima-secunda appellatur.

Veniamus ad Jus Canonicum. In antiqua Ecclesia nihil præ ceteris Patronos habuisse juris ostendimus in *Tractatu nostro de veteri jure Patronatus*, & refutavimus veterum Interpretum opinionem, qui in *Canonibus* Gelasii *Frigentius & piæ mentis* XVI. *Quæst.* 7. jus processionis pro jure Patronatus accipiunt. Hoc tantum certi reperimus, aliquando nomina fundatorum Ecclesiis, Oratoriis & Xenodochiis imposita fuisse. Quod & pluribus exemplis confirmavimus. Unde & hodie in Romana Ecclesia Titulus Equitii, Titulus Pastoris, Titulus Damasi, Titulus Vestinæ, Titulus Lucinæ. Quod non tantum exemplis ab historia Ecclesiastica petitis; sed etiam ex Veteri Testamento, unde incepisse putamus, potest illustrari. Geneseos *cap.* 30. *v.* 14. *erexit Jacob Titulum lapideum in loco, in quo locutus fuerat ei Deus, libans super eum libamina, & effundens oleum:* qui locus inseritur in formula Dedicationis, & Consecrationis Ecclesiarum in *veteri Ordine Romano*. Et eodem Gene-

 seos

feos *cap.* v. 20. *erexit Jacob Titulum super sepulchrum ejus*. Eadem significatione Titulus accipitur in Levitico *cap.* 26. Numeris *cap.* 32. In 2. vero Regum *cap.* 18. præclarum locum non debeo prætermittere: *Porro Absalon erexerat sibi, cum adhuc viveret, Titulum, qui est in valle Regis. Dixerat enim; non habeo filium, & hoc erit monumentum nominis mei: vocavitque Titulum nomine suo, & appellatur Manus Absalon usque ad hanc diem.* Eodem sensu 4. *Regum cap.* 23. Isaiæ *cap.* 19. Ezechielis 39. & 1. Machabæorum 14. Titulum vero 70. Interpretes ubique fere στήλην. In 4. Regum *cap.* 23. τὸ σκοπελὸν, & Ezechielis 39. σημεῖον vertunt.

Quibus vero aliquid amplius tribuatur fundatoribus, antiquiores non reperio quam Arausicani I. sub Valentiniano III. & Leone I. *Canonem* 10. & Arelatensis II. *Canonem* 36. quibus nominatio & electio Ordinandi conceditur specialiter Episcopo, qui in alterius Episcopi territorio Ecclesiam vel Oratorium ædificaverit: simulque præcipitur, ne quid ex his, quæ a fundatore Episcopo collata sunt, auferre & adimere liceat. Specialiter dixi concessa ea jura Episcopo. Nam iisdem Canonibus sæcularibus nominatim denegantur. Benigne tamen & provocandæ liberalitatis fidelium, etiam Laicorum, erga Ecclesias & pauperes occasione, non multo post eadem jura producta fuerunt ad Laicos. Et quidem primo receptum in Oratoriis, quæ in agris & villis ad vitandam fatigationem familiæ permissum est ædificari *Can.* 14. Concilii Agathensis sub Alarico Rege an. Christi 506. Dictus *Canon* permittit *hujusmodi Oratoria habere extra parœcias, in quibus*, ut eleganter ait, *legitimus est ordinariusque conventus fidelium, ut in dictis Oratoriis Missas audiunt extra solemnitates anni majores, Pascha, Natale Domini, Epiphania, Ascensionem, Natale S. Joannis Baptistæ, vel si qui dies in festivitatibus habentur.* Quod & confirmatur, & ab Oratoriis ad Parœcias tractum est in Concilio Aurelianensi IV. *Can.* 7. & 33. anno 541. Alia pleraque postea jura nova, procedente tempore, Patronis indulta fuerunt, de quibus suis locis agemus. Præstat tamen adnotare *Canonem* 19. Concilii Emeritensis sub Vitaliano Papa an. Christi 666. cujus in fine hæc „ verba sunt: Eorum, nomina, a quibus Ecclesias constat esse constru„ ctas, vel qui aliquid his sanctis Ecclesiis videntur, aut visi sunt con„ tulisse; si viventes in corpore sunt, ante altare recitentur tempore „ Missæ, quod si ab hac discesserint luce, nomina eorum cum defunctis „ fidelibus recitentur suo ordine.

Ex his omnibus colligimus Patronorum jura, quæ supra congessimus, vel ad honorem, vel ad onus, aut commodum Patroni pertinere. Et quidem ad Patroni honorem referimus, ut Ecclesia, Oratorium, vel Xenodochium Patroni nomine appellentur; & ut in sedendo, procedendo, & publicis precibus ejus ratio prima habeatur. Ad onus & curam, ut prospiciat & observet, ne quid circa temporalia vel spiritalia detrimenti capiat locus sacer vel religiosus & venerabilis. In spiritalibus quidem, ut vigilet circa divinorum mysteriorum & ministeriorum celebrationem & exhibitionem secundum præscriptas & appositas in fundatione conditiones & leges. Circa temporalia prospicere debet, ne reditus imminuantur, & in alios usus avertantur contra voluntatem fundatoris. Ad com-

commodum autem Patroni vulgo refertur, Nominatio, Electio, sive Præsentatio Clericorum, Administratorum, Oeconomorum & aliorum, quorum opera necessaria est ad cultum & obsequium in sacris & venerabilibus locis. Et quamvis, si propius inspiciamus, hæc omnis opera Patroni & ejus hæredum gratuita esse, nec citra labem simoniæ aliquam utilitatem & compendium exinde captare debeat; tamen ad commodum pertinet exhibitio alimentorum, quæ præstanda sunt, si Patronus ad inopiam vergat: itemque si quos census, vel reditus, & præstationes exceperit, & servaverit sibi suisque hæredibus fundator; sicut paucis Glossa & Interpretes tractant ad *Canonem Frigentius*, *Canonem Pia mentis*, *& Canonem Quicumque* XVI. *Qu.* 7.

Hactenus de origine juris Patronatus & ejus juribus, velut per indicem. Superest ut varias illius juris appellationes secundum temporum vicissitudines attingamus: & postremo posita definitione & divisione juris Patronatus *Paratitulum* concludamus.

In veteribus Canonibus pro jure Patronatus & Patronis, Fundatorum & fundationis nomen usurpantur: Græce *δωμητορες*, & *το χορηγικον δικαιον* appellabant. Patroni enim & Patronatus nomen non valde est antiquum in hoc sensu. Unde & in *cap.* 1. *&* 2. *hujus tit.* additum est Patroni & Patronatus nomen. Nam & in ipsis Conciliis, ex quibus sumpta fuerunt, nec apud antiquos Collectores Decretalium reperiuntur.

Non est antiquioris originis Advocati, Advocationis & Advocatiæ nomen pro jure Patronatus: quamvis sæpius in antiquis Canonibus & Legibus Advocatorum Ecclesiarum mentio occurrat, quod explicabimus. Et quidem originem Advocatorum Ecclesiæ eorumque officium repetere debemus ex *Canonibus* 42. *&* 64. Concilii Africani vulgo dicti in *Cod. Canonum Ecclesiæ & in Can. ab Imperatoribus* XXIII. *Quæst.* 3. Et quidem in *d. Can.* 42. qui ex quodam Concilio Carthaginensi sumptus est anno 401. Christi, decernunt Patres Concilii, ut *ab Imperatoribus adversus potentias divitum cum Episcoporum provisione Defensores delegentur*. In *Can.* 64. ex Concilio alio Carthag. septem post annis habito, decernunt Patres, *ut nomine provinciarum omnium Africæ Legati ad Comitatum perrecturi, petant ab Imperatoribus facultatem Defensores constituendi Scholasticos, qui in actu sunt, vel in munere defensionis causarum, ut more Sacerdotum provinciæ defensionem Ecclesiarum suscipiant, & pro negotiis Ecclesiasticis, quoties necessitas flagitaret, ingrediantur Judicum secretaria*. Non caruit eventu prospero hujusmodi legatio. Nam Imperatores, quod a Legatis postulatum fuit, benigne concesserunt. Continetur rescriptum in *Lege* 38. *Cod. Theod. de Episcopis & Clericis*. Inscriptio & subscriptio constitutionis convenit cum tempore *d. Can.* 64. iisdem Imperatoribus & Consulibus edita fuit, & directa ad Porphyrium Proconsulem Africæ. Denique verba Legis respondent verbis Canonis. Quoniam tamen explicatione indigent, ea referemus. *Non per Coronatos, sed per Advocatos eorum arbitratu, & Judicibus innotescant, & sortiantur effectum. Sacerdotes vero provinciæ erunt solliciti, ne sub hac privilegii excusatione*, &c. Quos Canon vocavit *Scholasticos in actu*, Concilium Sardicense *Can.* 9. vocat *Scholasticos de foro*, qui scilicet in judiciis & veris litibus versabantur; ad differentiam Scholasticorum & Declamatorum,

rum, qui in umbra exercebantur, vel docebant. Ex Advocatorum itaque forensium collegio & corpore Pauperum & Ecclesiarum Patronos & Defensores generales in omnibus causis constitui concesserunt Imperatores. Ait Canon, *more Sacerdotum provinciæ*. Et quidem de Sacerdotibus provinciarum multi multa scripserunt, præcipue Dominus Cujacius in *tribus libris postremis Codicis*.

Quod ad rem nostram pertinet, apud Paganos & Gentiles solebant ex Advocatorum tantum collegio eligi, qui vocabantur Sacerdotes provinciarum, qui nempe singularum provinciarum templa, sacra & reditus eis assignatos procurarent *Lege* 46. *&* 112. *Cod. Theod. de Decurionibus*, in qua & Sacerdotium illud *Archierosyna* appellatur: & ipsi Ἀρχιερεῖς, idest Pontifices ab Eusebio vocantur *lib.* 8. *Hist. Eccles. cap.* 27. loco ab Interprete non intellecto: ita vocati, quia reliquis flaminibus, qui in mancipiis erant, præficiebantur. Hujusmodi Sacerdotes sub Imperatoribus Christianis de Paganis ut plurimum eligebantur *d. Lege* 112. *& Lege* 20. *Cod. Theod. de Sacrificiis & Templis*. Adinstar igitur & formam hujusmodi Sacerdotum Gentilium concedunt Ecclesiis Africæ Imperatores, ut seligant ex Advocatorum corpore, quos Defensores velint: qui scilicet eandem curam & munus pro rebus Ecclesiæ suscipiant, quam paganæ superstitionis Sacerdotes pro solemnibus & cultu suorum templorum gerebant; & ne etiam compellerentur Christiani sua desideria & causas per hujusmodi Sacerdotes provinciarum, qui potissimum, ut diximus, ex Gentilibus seligi solebant, Judicibus insinuare: nec etiam per Coronatos: qui locus obscurus est. Male in *Cod. Theodosiano* emendant, *Honoratos*. Coronatos intellige Christianos illos, qui, gentilium erroribus nondum omnino evulsis, in publicis pompis aut sacrificiis coronati processerant: quas coronas etiam aliquando suppliciorum metu gestare compellebantur, ne tanquam Christiani puniendi ad tribunalia Judicum raperentur. Sacerdotes etiam provinciarum & flamines coronati sacrificiis & cultui Deorum vacare solebant: eoque habitu editionibus ludorum præerant Agonothetæ & Sacerdotes provinciarum. Et quidem aureas coronas gestabant, Tertulliano teste *lib. de Idololatria cap.* 17. *&* 18. *& lib. de Corona militis cap.* 13. *Sunt & provinciales aureæ*. Nec locus sollicitandus fuit. Nam & apud Arrianum *lib.* 1. *cap.* 19. Nicopolitanus Sacerdos auream coronam gestasse dicitur. Et inter opima spolia sacerdotalem coronam numerat Ammianus Marcellinus *lib.* 29. Coronatos itaque merito cum provinciæ Sacerdotibus *d. Lex.* 38. conjungit: sicut & Innocentius I. *insigni epist.* 13. *ad Synodum Toletanam cap. ult.* quam & integriorem nobis dedit doctissimus Sirmondus *tom.* 1. Concil. Galliæ pag. 41. *Neque de Curialibus aliquem venire ad Ecclesiasticum Ordinem posse, qui post baptismum vel Coronati fuerint, vel Sacerdotium, quod dicitur, sustinuerint, & editiones publicas celebraverint*. Quod ideo sancitum indicat Tertul. *dicto cap.* 18. *quia hujusmodi coronæ non tam dignitatis & honoris publici, quam idolorum officiis nos astringunt: & velut ab initio idololatriæ dicatæ, habent profanationis suæ maculam*. Apertius in *lib. de Corona Militis cap.* 13. *& in omnibus istis idololatria in solo quoque sensu coronarum, quibus omnia ista redimita sunt*. Unde & in *cap.* 9. idem Tertul. *quis denique* Pa-

Patriarches, quis Levites, quis Prophetes, aut Sacerdos, aut Archon, quis vel postea Apostolus, aut Evangelisator, aut Episcopus invenitur Coronatus? Ex quo loco vir doctissimus ad *Sacramentarium* Gregorii I. in *Notis* pag. 362. Mitrarum usum mille tantum abhinc annis cœpisse non inerudite colligit. In Concilio Eliberitano *Can.* 55. in fine: *Sacerdotes, qui tantum sacrificantium coronam portant, nec sacrificant, nec de suis sumptibus aliquid idolis præstant, placuit post biennium accipere communionem.* Quem Canonem & rationem hujus severitatis ex Tertul. possumus colligere: *Cedamus* ait, *succedere alicui posse, ut in pauco honore, in solo honoris nomine incedat, neque sacrificet, neque sacrificiis auctoritatem suam accomodet, non hostias locet, non cura templorum deleget, non vectigalia eorum procuret, non spectacula edat de suo, aut publico, aut edendis præsit.* Quæ omnia Magistratuum & Sacerdotum provinciarum curam & munus circa cultum idolorum repræsentant: quæ idem Tertul. vix possibile esse evitare Sacerdotibus & Magistratibus agnoscit. Constat ex iis, cur Ecclesia per Coronatos, vel Sacerdotes provinciæ noluerit jura & privilegia Ecclesiarum defendi & propugnari in judiciis, quos & a fidelium communione arcerbat per aliquot annorum spatium, & perpetuo prohibebat & amovebat a Clero.

Antiquorum hujusmodi Advocatorum, qui ad defensionem Ecclesiarum vel Monasteriorum a Romanis Imperatoribus impetrabantur ad postulationem Episcoporum; qui & Defensores & Executores vocabantur, cognitio & usus non tantum Galliæ nostræ, sed etiam omnibus fere populis notissimus fuit, ut constat *Capitularium* Regum nostrorum *lib.* 5. *cap.* 2. & 31. & *lib.* 7. *cap.* 308. & *Lege Boiorum tit.* 1. *cap.* 1. *tit.* 6. §. 2. in quibus locis exscribuntur ad verbum fere Canones Africani, & verba Legum, quæ supra notavimus. Diversi tamen hujusmodi Advocati & Defensores, & recentiores sub Regibus nostris & in Occidente ab illis Advocatis, de quibus diximus. Nec enim tantum ex numero Advocatorum, idest Patronorum causarum peti solebant, sed potissimum ex Proceribus & Optimatibus, quos in auxilium advocabat Ecclesia, ut injurias illatas Ecclesiis vindicarent, invasiones & prædas prohiberent non tantum verbis, sed solida vi. Et hi sunt, qui vulgo in recentioribus scriptoribus vocantur Advocati, Vicedomini, Custodes, & Guardias habentes, qui solent conjungi in libris nostris, & in *cap.* 23. *hoc. tit.* ubi plura dicemus. Qualescumque tandem fuerint, originem referre debemus hujusmodi Advocatorum ad illos veteres, de quibus diximus.

Postremo quia fundatorum jura & officium hujusmodi Advocati usurpaverant pluribus in locis; tum etiam quia Patroni defensionem & tuitionem Ecclesiarum sicut Advocati, sibi vindicant jure suo: merito Patronis & fundatoribus Advocatorum & advocationis nomen non tantum in nostris libris, sed etiam apud alios Scriptores tribuitur; præcipue a Scriptoribus Ecclesiasticis Historiæ Anglicanæ. Eodem fere modo quamvis ab initio Patroni Ecclesiarum plurimum differrent a fundatoribus: quia tamen fundatores eorumque hæredes tuitionem & patronicium Ecclesiis, Monasteriis, Oratoriis & aliis locis venerabilibus, quæ fundaverunt, tenentur impendere, & administrationi etiam redituum invigilare, ne dis-

dissipentur & detrahantur; ideo fundatoribus tandem Patronorum nomen tributum fuit. Advocati tamen, Patroni, sive Defensores Ecclesiarum & Monasteriorum ab ipsis fundatoribus diligenter separandi sunt: sicut in illustri exemplo fundationis Monasterii sanctæ Crucis Pictaviensis a piissima Regina Radegunde, seorsim singuli discernuntur apud Gregorium Turonensem *lib.* 9. *cap.* 42. sub finem: *Te quoque, Beate Pontifex,* (Episcopum Pictaviensem intellige) *successoresque vestros, quos Patronos in causa Dei diligenter ascisco, si (quod absit) extiterit, qui contra hæc aliquid moliri tentaverit, pro refutando & refellendo Dei hoste, non pigeat ad Regem, quem eo tempore locus iste respexerit, vel ad Pictavam Civitatem pro re vobis ante Dominum commendata percurrere*. Et post pauca: *Simul etiam Principes, quos Deus pro gubernatione populi post decessum meum superesse præceperit, conjuro,* &c. *ut Monasterium, quod & permissu & solatio Domnorum Regum, patris vel avi eorum construxisse visa sum, ordinasse regulariter, vel dotasse, sub sua tuitione & sermone una cum Agnete Abbatissa jubeant gubernare*.

Expositis variis appellationibus Patronorum, consequens est ut juris Patronatus specialiter dicti, secundum propositum & materiam hujus Tituli, definitionem vel dispositionem subjicimus, quæ est hujusmodi. Jus Patronatus est jus quoddam singulare benigne concessum illis, qui fundaverunt, dotaverunt aut instauraverunt loca sacra, vel venerabilia, vel successoribus eorum; quod in certis honoribus, oneribus & commodis consistit. Jus singulare vocamus: nam, ut supra diximus, Fundatoribus sive Laicis sive Ecclesiasticis in Ecclesiis, quas fundaverunt, nihil præ cæteris fidelibus concedebatur. Unde in *cap.* 3. *hoc tit.* dicitur *hucusque Ecclesiarum Patronos in eo jure sustinuisse*, veluti conniventibus oculis, & ex benignitate quadam contra Juris Canonici regulas, quibus Deo dicata & consecrata usibus humanis eximuntur omnino. Competit vero jus Patronatus primo ipsis fundatoribus & ædificatoribus: quos & sequitur ipso jure, licet nihil de eo fuerit expressum in fundatione: & nisi in contrarium ipsi fundatores caverint velle se liberam fore Ecclesiam, & nihil in eam sibi juris excipere *cap.* 25. *hoc tit.* & passim, & *cap.* 3. *de Ecclesiis ædificandis vel reparandis, & cap.* 41. *de Testibus*. Latissime vero definitionem extendimus: non enim tantum comprehendimus loca sacra, quæ nempe rite & per Episcopos Deo sunt consecrata, qualia sunt Ecclesiæ & Basilicæ, Parœciæ, Capellæ, Oratoria, Monasteria; sed etiam complectimur loca venerabilia, quæ pietatis & Christianæ liberalitatis exercendæ causa solent constitui, qualia sunt Ptochotrophia, Nosocomia, Collegia & similia hujusmodi loca: imo & ulterius, si quis in dictis locis sacra mysteria celebranda, statas & solemnes preces, vel quotidie, vel certo anni tempre instituere velit, in institutione & fundatione, consensu Diœcesani Episcopi adhibito, nominatim sibi recipere & servare poterit. Varia autem Patronatus jura; quæ in superioribus attigimus, ad tria capita potissimum reduximus. Vel enim ad honorem, vel ad onus, vel ad commodum Patroni pertinent. Quare non recte veteres plerique Interpretes jus Patronatus simpliciter definiunt, jus præsentandi, vel potestas præsentandi.

Dividitur autem jus Patronatus in tres species, in Ecclesiasticum, Lai-

Laicum, & Mixtum: quæ distinctio a personis, quibus jus competit, non est repetenda; ut nempe dicatur Ecclesiasticum, quod Ecclesiasticis competit; Laicum, quod Laicis: sed Ecclesiasticum appellatur, quod pertinet ad Ecclesiasticos non simpliciter, sed ratione Ecclesiæ, Monasterii, vel Beneficii, cui jus Patronatus annexum est. Quid enim si Patroni Laici jus suum in aliquam Ecclesiam aut Monasterium transtulerint ut sæpius videbimus in *hoc tit.* maxime in *cap.* 8. 11. *&* 17. *hoc tit.* *& cap. unico hoc tit. in* VI? Laicum vero dicitur, quod proprii patrimonii ratione, vel jure fundationis, aut successionis Laicis vel Ecclesiasticis personis competit. Mixtum vero, quod ux utroque compositum est. De quibus singulis eorumque differentiis agemus plenius in *cap.* 22. 24. 28. *&* 26. *hoc tit.* quarum aliquas Glossa ad *cap. unicum hoc tit. in* VI. exposuit.

AD CAP. I. II. ET III.

Collectores & Interpretes Decretalium antiqui & novi prima tria *hujus Tituli Capitula* referunt ad varias controversias decidendas, quæ oriri solent vel inter plures Patronos, vel hæredes & successores Patronorum, ad quos jus Patronatus transire Jure Civili & Canonico supra docuimus. Et quidem *Caput* 3. ad solos Ecclesiarum fundatores eorumque successores pertinere ipsa verba satis ostendunt. In primo & secundo nulla fundatorum vel Patronorum in integris Conciliis fit mentio: & vera sententia *dictorum Canonum* non patitur; quamvis in eam quæstionem trahantur a Collectoribus & Interpretibus. Itaque ne jura nova cum veteribus permisceamus: 1. *&* 2. *Capituli* argumentum ex integris *Canon.* Conciliorum repetemus. *Caput* 1. desumptum est ex Concilio Cabilonensi II. quod postremo imperii Caroli Magni anno & ejus præcepto convocatum fuit: eo nempe ipso anno, quo per universum Imperium quinque Concilia eodem tempore celebrari jussit, super statu Ecclesiarum corrigendo per totam Galliam, teste Eginarto in *Chronico anno* 813. & Cabilonensi II. *Can.* 26. *tomo* 2. Concil. Galliæ. Species ita proponitur. Laicis eo tempore Ecclesias obtinentibus, vel ex concessione Regum, vel etiam Laicis potentioribus Ecclesias sibi usurpantibus eo colore, quia in villis eorum & prædiis ædificatæ erant Ecclesiæ; mortuo loci vel villæ Domino, inter ejus hæredes sicut reliquum patrimonium defuncti; ita & Ecclesiæ cum ipsis prædiis, in quibus erant positæ, & earum reditus dividebantur inter hæredes: adeo ut unius altaris, idest Ecclesiæ forma loquendi usitata in Gallia, plures partes secundum numerum hæredum fierent. Unde variæ controversiæ oriebantur. Singuli enim hæredes suos Presbyteros habere volebant; ita ut plures in una Ecclesia præessent, & sacra mysteria perturbarentur. Ad comprimendos hujusmodi tumultus, & scandala removenda Patres constituunt, ut Episcopus Civitatis, idest Diœcesanus, ad quem de jure communi omnes Ecclesiæ earumque ordinatio pertinent, districte præcipiat, ne in hujusmodi Ecclesiis Missarum solemnia celebrentur, & ut vulgo loquimur, interdicat ministerio sacro; donec hæredes omnes in unum Presbyterum consenserint, qui in ea Ecclesia libere suum ministerium possit peragere. Ea-

demque fere species est *Capituli* 2. *in antiqua Decretali & in Canone integro*; ex quo sumptum est, nempe ex Triburiensi *Can.* 32. sub Arnulpho Rege. In *integro Canone* prima verba ostendunt agi de Ecclesia a pluribus cohæredibus obsessa, ut si Episcopo præcipiente, sub uno Presbytero Ecclesiam procurari non consentiant, Episcopus tollat inde reliquias, & sub magna cura eas collocet, & simul Ecclesiæ claudat ostia, & obsignet sigillo; nec sacrum ministerium in ea celebrari permittat, antequam unum omnes eligant Presbyterum. Nempe hoc 2. *Can.* quia malum increscebat, augentur etiam pœnæ. Si tamen verum amamus, hujusmodi Canones proprie ad jus Patronatus & adversus Patronos non fuerunt promulgati: quod & ex veteribus Interpretibus quidam subodorati sunt. Mitius enim agendum fuisset cum benefactoribus & fundatoribus Ecclesiarum. Unde & Interpretes veteres abiisse in desuetudinem notant pœnas istorum Canonum: quas & omiserunt Patres Concilii Lateranensis sub Alexandro III. ex quo petitum est *Capitulum* 3. *hoc tit.* in quo hujusmodi pœnæ non commemorantur: cujus *Capituli* desumpti ex *Can.* 17. Concilii Lateran. sub Alexandro III. anno 1179. hæc est sententia. Vacantibus Ecclesiis, in quibus jus Patronatus vel plures simul fundatores, vel plures eorum hæredes simul sibi vindicabant, in ordinandis hujusmodi Ecclesiis & Rectore præficiendo, qui Ecclesiam regeret, gravissimæ discordiæ exoriebantur; eo quod singuli fundatores, vel singuli hæredes Episcopo, Archidiacono, vel alii Prælato, ad quem institutio spectabat, seorsim diversos Clericos præsentarent. In hujusmodi discordia fundatorum & hæredum constituunt Patres illum Clericum præferendum & instituendum, qui pluribus suffragiis adjuvatur, & qui dignior est. Quod si metuat Episcopus, ne propter hanc prælationem grave aliquod scandalum oriatur, ejus arbitrio permittitur illius Ecclesiæ viduatæ Ordinatio: eademque potestas ei conceditur, si inter Patronos super ipso jure Patronatus exorta controversia intra quatuor menses non posset decidi. In integro Concilio brevius tempus, trium scilicet mensium indulgetur. Eadem etiam de re plenius tractatur in *cap.* 12. 22. & 27. *hoc tit.* in quibus etiam quatuor vel sex mensium fit mentio; in quibusque conciliandis post varias Glossæ & Interpretum solutiones ad *dicta cap.* verior ea videtur, quam attigerunt, ut quamvis in *cap.* 22. *hoc titulo* nulla fiat mentio & differentia inter Patronatum Laicum & Ecclesiasticum: per id tamen quod dicitur in *eo cap.* quatuor menses Laicis Patronis concessi tantum intelligantur ad præsentandum, sicut ex *cap.* 3. & 22. colligere possumus. Et quidem in *cap.* 3. (quod profecto de Patronis tantum Laicis loqui hæredum nomen significat) & in *integra Decretali Capituli* 22. nominatim Laicorum Patronorum mentio fit. Ecclesiasticis vero personis, quibus scilicet, sicut in *Paratitulo* diximus, ratione suarum Ecclesiarum vel Beneficiorum jus Patronatus competit, sex menses indulgentur. Quam interpretationem postea confirmavit Bonifacius VIII. *in cap. unic.* §. 1. *de Jure Patron. in* VI.

Ratio hujus novi juris constituendi & certi temporis præfiniendi, intra quod tenerentur Patroni præsentare, vel suo jure excidere, exprimitur in *d. cap.* 27. *in integra Decretali*, ne propter discordias & dissensiones Patronorum Ecclesiæ plus debito remaneant viduatæ Rectoribus: quod

quod in ipsarum grave dispendium noscitur redundare. Numerandum vero tempus illud est a die, quo Patronus noverit Ecclesiam vacare *cap.* 22. *hoc tit.* Et quidem tempus continuum est, ex quo noverit, ut etiam festi dies numerarentur. Illud vero jus novum esse diximus, quo primum tres menses in Concilio Lateran. postea quatuor Laicis Patronis & sex Ecclesiasticis concessi fuerunt. Nam antiquioribus Canonibus nullum tempus nominatim præfinitum fuit, quibus etiam parum nota fuit Patronatus Ecclesiastici & Laici differentia. Simpliciter enim decernebant admittendos esse præsentatos a Patronis, eosque ab Episcopis ordinandos vel instituendos cum prævia inquisitione & examinatione, si forent idonei; nec moras nectendas, vel neglecta præsentatione alios ab Episcopis instituendos. Quod si contra fecissent, nullam vel irritam hujusmodi ordinationem vel institutionem ipso jure constituerunt *Can. decernimus* 32. & *duobus seqq.* XVI. *Quæst.* 7. *Can.* 21. 24. & 41. Concilii Romani sub Leone IV. in *ejus vita*. Quod & injunctum Episcopis ad postulationem Patronorum Laicorum *Can.* 22. Concilii Parisiensis VI. sub Ludovico Pio, & in *Capituli* 34. Caroli Calvi, in quo sicut & in præcedentibus de Laicorum Ecclesiis agitur. Videnda *Capitularia* Caroli Calvi *pag.* 363. Moribus vero nostris si spreto Patrono Episcopus alium instituerit, ipso jure non est irrita hujusmodi institutio, sed, ut ajunt, venit irritanda, idest sententia & decreto Judicis opus est; ideoque nisi conqueratur Patronus intra tempus, pro hac vice manet rata Episcopi institutio, hoc colore quia de jure communi pertinet ad Episcopum Ordinatio Ecclesiarum, & imputare sibi debet Patronus, qui jure suo intra tempus usus non est.

Superest ut ad singula Capitula adnotemus, quæ notatione digna videbuntur. Et quidem ad intellectum *Cap.* 1. & 2. confirmare debemus, quod initio *hujus cap.* proposuimus, in illis nullam fieri mentionem de Patronis vel eorum hæredibus. Quod vero in illis dicitur de divisione Ecclesiarum inter cohæredes, accipiendum de judicio familiæ erciscundæ, quod inter cohæredes redditur, inter quos Ecclesiæ in propriis defuncti rebus constitutæ, sicut reliqua bona & possessiones dividi solebant, & qui ipsas Ecclesias earumque reditus hæreditario jure sibi vindicabant: cujus juris progressum ad multa utilem explicabimus. Et quidem primum potentiores Laici auctoritate Regia & simul Ecclesiastica, difficillimis temporibus, Monasteria, Abbatias, Ecclesiasque obtinuerant, earumque reditibus fruebantur, dummodo Ecclesias honorari procurarent. Quod vetus malum non soli Carolo Martello, & secundæ stirpis Regibus imputandum, sed origo altius repetenda. Viri docti originem ab ipsa Italia & Decretis Symmachi Papæ repetunt in Synodo Rom. VI. in qua conqueritur, *quæcumque pro remedio peccatorum & pro salute animarum quisque contulerit Ecclesiæ ab his, a quibus maxime convenit Ecclesiæ servari, idest, Christianis, & Deum timentibus hominibus, super omnia a Principibus & primis Regionum in aliud transferri & converti Can.* 57. XVI. *Qu.* 1. Latius per universam Europam serpsit hujusmodi corruptela, & per Gallias nostras. Nec tantum sub Carolo Martello, sed etiam sub prima Regum stirpe inceperat: imo sub ipso Clodoveo I. Childeberto ejus filio, & Clotario I. competitoribus rerum Ecclesiasticarum,

 in

in aulas Principum subdole se insinuantibus, sicut ex Conciliis primis Gallicanis probavit in erudito commentario de *Sacrilegio Laico sive de veteri Ecclesiæ Gallicanæ querela* Joannes Filesacus pag. 843. & 844.

Occasio vero quare tribuatur origo hujus usurpationis Carolo Martello ea fuit, quod undequaque Gallia potentissimis hostium exercitibus, præcipue paganorum & infidelium oppugnabatur: ad quos repellendos cum nobiles & proceres opes & facultates omnes exhausissent, solatii & mercedis colore possessiones, & prædia Episcopatuum, Abbatiarum, imo & Ecclesiarum, sive Parœciarum certa lege & conditione eis concessa fuerunt a Carolo, communi consensu accedente Cleri & Procerum; eaque potissimum lege, ut cultus divinus rite procuraretur, & impensæ necessariique sumptus sacris Ministris suppeditarentur, quod quidem jus summum a Pipino filio Caroli Martelli receptum pro necessitate temporum, & temperatum fuit in *Can.* 1. Concilii Leptinensis *tom.* 1. Concil. Galliæ pag. 540. cujus verba utile est adscribere. *Statuimus quoque eum consilio servorum Dei & populi Christiani, propter imminentia bella & persecutiones cæterarum gentium, quæ in circuitu nostro sunt, ut sub precario & censu aliquam partem Ecclesiasticæ pecuniæ in adjutorium exercitus nostri, cum indulgentia Dei, aliquanto tempore retineamus, ea conditione ut de unaquaque casata solidus*, idest duodecim denarii, *ad Ecclesiam & Monasterium reddatur*. Eamque Synodum, cui præfuit Bonifacius Martyr vices gerens Sum. Pontificis Zachariæ, ipse Zacharias confirmavit *epist.* quæ dicto Leptinensi Concilio subjici solet: in *qua epistola*, quæ & inseritur *lib.* 5. Capitularium *cap.* 1. magnorum malorum hujusmodi occasionem Zacharias rejicit in falsos, schismaticos, homicidas, & fornicatores Clericos. Quare alteri Synodo Leptinensi tribuendum videtur, quæ sub eodem Pipino est habita, id quod dicitur in *Epistola* Archiepiscoporum Remensis & Rothomagensis; in qua plenissime tractatur de usurpatione bonorum Ecclesiasticorum; in qua & ea verba notanda, quæ ad Leptinensem II. Synodum pertinent, *Quoniam res omnes Ecclesiis, a quibus ablatæ erant, restituere* (Pipinus filius Caroli Martelli) *propter concertationem, quam habuit cum Waifario Aquitanorum Principe, non prævaluit; precarias exinde fieri ab Episcopis petiit, & nones ac decimas ad restaurationes tectorum, & de unaquaque casata duodecim denarios* (pro censu scilicet) *ad Ecclesiam, unde erant beneficiatæ*, &c. Et huc pertinet quod in *veteri Chronico* ad annum 751. sub Pipino adnotatur, *res Ecclesiarum descriptas & divisas fuisse*. Descriptas vocat, quæ sub precariæ aut Beneficii titulo sub dictis conditionibus possidebantur a Laicis, quibus ab initio maxime sub Carolo Martello concessas fuisse diximus. Eaque omnia Carolus Magnus, Pipini filius confirmavit, & repetiit iisdem conditionibus in celebri Capitulari, quod anno XI. regni sui publicavit: *Et precariæ, ubi modo sunt, renoventur, & ubi non sunt, scribantur*. Nempe quia ab initio precariæ ad vitam accipientis durabant tantum. Alio enim sensu in jure precarium dicitur: alio precariæ Ecclesiasticæ.

Additur præterea in fine dicti Capitularis. *Et sit discretio inter precarias de verbo nostro factas, & inter eas, quas spontanea voluntate de ipsis rebus Ecclesiarum faciunt*. Duas species precariarum attingit; quasdam necessarias & coactas, rerum nempe Ecclesiasticarum, quas Lai-

Laici ex concessione Regum primum obtinuerant; quasdam voluntarias, quæ nempe sponte a Prælatis Ecclesiarum precariæ titulo optimis legibus & conditionibus, prout Ecclesiæ conducere videbatur, secundum Leges & Canones constituebantur. Necessariarum autem precariarum prætextu & colore Laici, saltem proprietate & dominio tenus, Ecclesiæ res suas restituere videbantur; earum scilicet possessionum, quas Laicis Reges nostri propter assiduitatem bellorum tradiderunt, aut etiam a Comitibus injuste, vel vi & manu usurpaverant: adeo ut non tantum Monasteria, Abbatias, sed Parœcias & Ecclesias ipsas obtinerent, vel tanquam Beneficia, sive feuda, vel in allode, & jure hæreditario & perpetuæ proprietatis. Unde frequentissimæ querelæ exortæ Clericorum sub Carolo & Ludovico Pio, qui, ut attigimus, temperaverunt quidem invasiones hujusmodi; abolere non valuerunt, ut ipsi profitentur in Conciliis & Capitularibus; in *Capitulari* 3. Ludovici Pii *parte 6. cap.* 5. *&* 9. *tom.* 2. Concil. Galliæ pag. 467. & 468. & *lib. 6. Capitularium* Caroli & Ludovici *Caput* 285. *& seq.* quæ referuntur etiam *dicto tom.* 2. Concil. Galliæ pag. 233. 234. præcipue vero in Concilio II. Aquisgranensi sub Ludovico Pio in *tertia parte Can.* 8. *&* 19. & in *duobus libris* super ea re editis in d. Concilio ad Pipinum Aquitaniæ Regem Ludovici Pii filium. Et quidem *dicti Canonis* 19. verba notanda sunt. *Monasteria, divinis solummodo cultibus dicata, non debere sæcularibus dari, & Canonica prodit auctoritas, & ipsorum distructio locorum. Sed quia id exigit Reipublicæ necessitas, saltem collapsa erigi debent & Clerici, in quibus fuerant, restitui; quosque opportunitas id permittat emendari plenius.* Quinimo Patres dictæ Synodi super ea re instanter adeo egerunt, ut meliori conditione res Ecclesiasticæ postea fuerint, ut constat ex *Can.* 59. XVI. *Qu.* 1. si expendantur ea, quæ ad *dictum Can.* Romani Correctores addiderunt: dummodo tamen caveamus a fabula de damnatione Caroli Martelli, quam & refutavit doctissimus Baronius.

Eginartus vero in Chronico ita scribit de hac Synodo Aquisgranensi: *Mense Februario magnus Episcoporum præsertim conventus Aquisgrani habitus est, in quo cum de aliis Ecclesiæ necessitatibus, tum de iis rebus præcipue, quas Pipinus & sui multis Ecclesiis abstulerant, agebatur.* Publico autem & Imperatoris & Episcoporum decreto & consensu monetur Pipinus, ejusque Primates, cum quanto ipsius periculo res Ecclesiasticas invaserint; utque restitui jubeat, præcipitur. Quæ res prosperum exitum habuit. Nam Pipinus monita pii Patris sanctorumque virorum libenter suscipiens, obedienter paruit, & omnia invasa etiam per anuli sui impressionem restitui jussit. Et merito commonitio illa facta fuit Pipino Regi Aquitaniæ. Nam per universam Aquitaniam sacrilega hujusmodi bonorum invasio potissimum prævaluerat; adeo ut & Ducum Aquitaniæ, & illius gentis patrimonium consisteret magna ex parte de bonis Ecclesiæ, auctoribus Eudone & Waifario eorum Ducibus. Nec tamen parva consuetudo, sicut inveteratus morbus, facile remediis & constitutionibus æquissimis cessit. Quinimo sub Ludovici Pii liberis recruduit vulnus; licet tentatum sit sæpissime pessimam abolere corruptelam, ut constat ex *Capitulis actis* apud Theodonis Villam inter Ludovici Pii liberos *cap.* 3. *&* 4. *tom.* 3. Concil. Galliæ *pag.* 15. & pluribus locis in *Capitulis* Caroli Calvi *pag.* 59. 88.

88. 89. *&* 91. maxime vero *pag.* 179. 183. *&* 185. in quibus dicitur hujusmodi possessiones Ecclesiasticas impetratas fuisse a Regibus, *partim Regum juventute, partim fragilitate, partim aliorum callida suggestione: imo & minarum necessitate: quia*, ut ibidem additur, *dicebant Proceres & petitores, nisi eis illa loca sacra donaret, ab eo deficerent*.

Ex his omnibus colligimus præter censum unius solidi de singulis casatis ab initio impositum, postea additum fuisse a Carolo magno & ejus liberis in favorem Ecclesiarum, ut decimæ & nonæ fructuum Ecclesiis præstarentur, & farta-tecta instaurarentur. Quas tamen præstationes sæpius repetitæ Constitutiones, & frequentissimæ querelæ Cleri vix aut raro fuisse observatas certissimam conjecturam præbent. Nam videmus ex Historiæ fide & plerisque locis Conciliorum supra citatis, Laicos Proceres Ecclesias & bona Ecclesiastica illis temporibus emisse, donasse, divisisse inter cohæredes, dotis titulo constituisse. Imo nec tantum Ecclesias, sed etiam ipsa Altaria, quot erant numero hæredes, in totidem partes dividebant; ita ut singulæ partes singulos haberent Presbyteros, eosque sæpissime, inconsultis & invitis Episcopis constituebant, sicut in *cap.* 1. *&* 2. *hoc tit. in integris Canonibus* Conciliorum, quos supra notavimus. Et ad hanc divisionem referendum, quod Leo IV. in *Sermone*, qui solet subjici ejus vitæ, *tom.* 3. Conciliorum Binii *parte* 2. vetat *ut nullatenus una Ecclesia inter plures dividatur*. Ideoque apertissime confirmatur *Can.* 35. & 36. XVI. *Qu.* 47. qui postremus *Canon.* 36. licet tribuatur a Gratiano Gregorio Papæ, non adscripto cujus Gregorii; vel est Gregorii III. aut IV. vel potius desumptus est ex celebri *Capitulari* 3. Ludovici Pii *parte* 6. *cap.* 1. 2. *&* 5. *tom.* 2. Concil. Galliæ pag. 467. Et quidem 2. *Capituli* notanda sunt hæc verba: *De Ecclesiis quæ inter cohæredes divisæ sunt, considerandum est quatenus si secundum providentiam & Episcopi admonitionem ipsi cohæredes eas voluerint tenere, & honorare faciant. Sin autem hoc contradixerint, ut in Episcopi maneat potestate, utrum eas ita consistere permittat, aut reliquias exinde auferat*. Verba illa Canonis, *honorare faciat Ecclesias*, & *honor Ecclesiæ* in Conciliis Gallicanis & Scriptoribus frequens est: nunc vero dicimus *faire deservir*. In quibus vero honor ille consistat, exprimitur in Capitulari Aquisgranensi nuper primum edito *cap.* 71. *tom.* 2. Concil. Galliæ pag. 152. & *lib.* 1. Capitularium *cap.* 71. Quamvis autem tot Conciliorum prohibitionibus ex Regum nostrorum constitutionibus turpis & impia illa divisio altarium sublata fuerit inter cohæredes, unius tantum Presbyteri nominatione & præsentatione relicta, qui ab Episcopis probandus & instituendus foret: & generaliter statutum, ne inconsulto Episcopo, Presbyteri Ecclesiis præficerentur, vel amoverentur ab eis, nisi justa causa cognita & probata: retinebant tamen Laici ipsas Ecclesias, idest reditus Ecclesiarum. Quod diutissime etiam sub Regibus tertiæ stirpis duravit; idque ut aliquo colore prætexerent, solebant Ecclesias ab altaribus distinguere. Abbo Floriacensis in *Apologetico ad Hugonem & Robertum Regem* apud Aimoinum Monachum scriptorem vitæ Abbonis in *cap.* 8. sub finem: *Certe carissimi Principes, nec Catholice vivimus, nec Catholice loquimur, quando illam Ecclesiam dico esse meam; ille alteram dicit esse suam: ac veluti quædam jumenta, comparata jumentis insipientibus, utrasque aliquando venales proponimus, pro-*

po-

positasque ab aliis emere non formidamus. Est alius etiam error gravissimus, quo fertur altare esse Episcopi, & Ecclesiam alterius cujuslibet domini; cum ex domo consecrata & altari unum quoddam fiat, quod dicitur Ecclesia, sicut unus homo constat ex corpore & anima. Videte, aequissimi Principes, quo nos ducit cupiditas, dum refrigescit caritas! Errore non valde dissimili laborant, qui Beneficia Ecclesiastica hodie nundinantur, eo colore quasi non quid spirituale, sed temporale comparent: cum tamen numquam in Ecclesia bene constituta Officii & Beneficii Ecclesiastici separatio fuerit cognita. Paulatim vero Conciliis pluribus generalibus & particularibus, sub tertia stirpe Regum nostrorum celebratis, per universam Europam sublatae fuerunt concessiones & divisiones Ecclesiarum, de quibus diximus, & ad quas pertinent duo *Capitula prima hujus tit.* Quae quidem divisiones multum differunt a jure Patronatus, quod fundatoribus vel eorum haeredibus Ecclesia justissimis rationibus concessit. Quamvis etiam procedente tempore contigisset, ut & haeredes fundatorum idem praesumerent; potiori certe ratione quam reliqui superiores, qui nihil Ecclesiis contulerant; imo eas fuerant depraedati. Fundatores tamen, qui solliciti cura majore prospiciebant Ecclesiis, hanc conditionem apponere solebant in fundatione, *ne Ecclesia dividerentur ab haeredibus*. Eamque in rem insigne est *Capitulum* 2. ex Suessionensis II. Concilii *actione* 7. desumptum sub Carolo Calvo anno Christi 853. *tom.* 3. Concil. Galliae, & in ejusdem Caroli Calvi Capitularibus pag. 87. *Ut missi nostri diligenter investigent per singulas Paroecias simul cum Episcopo de Monasteriis, quae Dominum timentes in suis proprietatibus aedificaverunt, & ne ab haeredibus eorum dividerentur, parentibus & praedecessoribus nostris sub immunitatis defensione tradiderunt.*

Superest ut tractatione universa revocata ad tempora Regum nostrorum tertiae stirpis, quibus per partes sublata paulatim fuit sacrilega illa divisio Ecclesiarum, & libertas Ecclesiae tandem fere per universam Europam restituta fuit; Patronorum ostendamus & eorum haeredum jura, veteribus Canonibus inducta & confirmata, firma semper & illibata remansisse. Et quidem antiquis Canonibus jus Patronatus ad haeredes & successores cum universitate bonorum transit, sive defunctum Patronum jure sanguinis & proximitatis contingant, sive etiam sint extranei *Can. filiis* juncta Glossa, *Can. considerandum & Can. si plures* XVI. *Qu.* 7. *& cap. cum Bertoldus* 18. *Extra de sententia & re judicata*. Idemque dicendum de fideicommissario haerede, cui scilicet haereditas restituitur ab haerede scripto: quia nempe in eum jus omne & commodum successionis transit, & pro vero haerede habetur. Idemque ante constitutum fuerat a Justiniano *Lege* 46. *Codice de Episcopis & Clericis*, *& Novella* 123. *capite* 18. Jus enim Patronatus non est mere spiritale, sed tantum spirituali annexum, & plerisque casibus temporale; ideoque non tantum ad universalis juris successores, sed etiam ad villae vel praedii, cui jus Patronatus inhaeret, emptorem vel donatarium transmittitur, sicut explicabimus pluribus ad *capit.* 16. *hoc tit.* Transit vero jus Patronatus ad singulos haeredes fundatorum in solidum, quia sui natura est indivisibile, sicut jura omnia. Ne tamen difficultas occurrat in praesentatione, major pars minorem vincit in ferendis suffragiis, & plures numero haeredes unius defuncti

functi Patroni, in cujus locum successerunt, vice & jure habentur, & unicam vocem habent, qualem habuisset defunctus ex decisione *Clementinæ 2. de Jure Patronatus*. Absurdum enim visum fuit plures hæredes habere amplius juris in præsentatione, quam ipsum defunctum Patronum, in cujus locum subierunt. Et hoc est quod dicitur in stirpes, non in capita & ex propria persona hæredes Patronorum admitti. Quod ex Innocentii IV. sententia ad *Caput* 1. *hoc titulo* Clemens decidisse videtur adversus multorum Interpretum sententiam, qui contendebant in capita succedere debere hæredes in præsentationis articulo, decepti exemplo successionis Patroni, cujus singuli hæredes in capita succedunt in bonis liberti, & singuli appellantur Patroni: sed hoc specialiter & singulari jure ex ipsis verbis Legis liberis Patronorum nominatim concessum fuit, Ulpianus *lib. Regularum tit. de Libertorum successione* §. *ad liberos Patronorum*, *Lege Si Libertus prætereito* 23. §. *ult. ff. de bonis libertorum:* imo & ex postrema *Constitutione* Justiniani de Jure Patron. exhæredati liberi Patroni admittuntur ad successionem ab intestato liberti paterni, qui sine liberis decesserit, ut constat ex fine *Constitutionis Latinæ & Græcæ de bonis libertorum*, quam edidit D. Cujacius *lib. 2. Observationum cap.* 34. Quoties autem plures existunt Patroni, vel plures hæredes, qui eos repræsentant in stirpes, non in capita; singulis quidem in solidum jus nominandi & præsentandi competit: sed quia difficile est in unum Presbyterum simul omnes convenire; quem major pars nominaverit vel præsentaverit, præferetur, dummodo sit idoneus *cap. 3. hoc tit.* Itemque ut facilius provideatur vacanti Ecclesiæ, permittitur Patronis inter se convenire, etiam inconsulto Episcopo, (quod quidam tamen ex veteribus Interpretibus desiderabant) de Presbytero alternis vicibus præsentando. Eademque ratione eis conceditur plures simul nominare personas Episcopo, ut ex illis eligat quam velit instituere in vacante Ecclesia *dicta Clement. 2. de Jure Patronatus*.

Observandum tamen maxime, quod Innocentius IV. adnotavit ad *cap. 1. hujus tit.* quem & postea Ostiensis Cardinalis secutus est in Summa, Jus Patronatus esse quidem in solidum penes singulos hæredes, quoad omnes suum effectum, puta honorem, onus & emolumentum; præterquam quoad præsentationem, quæ ita est apud omnes simul, ut apud nullum singulariter sit.

Postremo quod dicitur de Reliquiis tollendis & Ecclesiarum claudendis ostiis, ne ibi divina mysteria celebrentur, ideo statutum, ut illo tædio victi dissentientes Patroni, vel hæredes compellantur in unum Presbyterum consentire. Recte tamen quidam ex veteribus Interpretibus, quos & Glossa sequitur, adnotant hanc severitatem non habere hodie locum. Imo & si propius inspiciamus, restringenda est illa pœna ad species, quæ tractantur in *dictis Capitulis* 1. & 2. nempe ad occupationem & invasionem non tantum bonorum & redituum Ecclesiasticorum, sed etiam ipsius Ordinationis Ecclesiarum, quæ ab aliis præsumebatur, quam Patronis. Itemque notandus antiquus interdictorum usus in Gallia sub ipso Carolo Magno, cujus postremo Imperii anno hunc *Canonem* 1. editum fuisse docuimus in Concilio Cabilonensi II.

Superest ut plane intelligamus quæ de Reliquiis tollendis dicuntur, obser-

observandum duplicem usum Reliquiarum Martyrum & Sanctorum in Ecclesia receptum fuisse. Vel enim in capsis & feretris deponebantur, & venerationis causa super altaribus & aliis locis sacris publice proponebantur: qua de re agitur speciali *Titulo de Reliquis & veneratione Sanctorum*. Vel etiam in Dedicationibus Ecclesiarum, Capellarum & Oratoriorum, in ipsis altaribus consecrationis causa recondebantur & includebantur manu propria ab Episcopis, qui consecrabant ea loca. Utrumque Reliquiarum usum Paulinus significat *epist.* 11. *ad Severum Sulpitium* initio: *Testis est autem Dominus, quod si vel scrupulum sacri cineris habuissemus supra quam nobis ad Basilicam, qua in nomine Domini proxime consummabitur, dedicandam necessarium erat; misissemus Unanimitati tuae*. Et in *epistola* 12. *ad eundem: Si vero magis vobis placeat hanc de cruce benedictionem ad quotidianam tutelam atque medicinam in promptu habere, ne semel condita in altario non semper ad manum, ut usus exigit, praesto sit; sufficit & illa ad Basilicae consecrationem gratia, scilicet Dominus cum Apostolis & Martyribus*, &c. Ex quo loco colligitur apertissime differentia inter Reliquias reconditas in altari, & inter eas, quae ad usus & venerationem, vel quotidianum auxilium publice proponuntur in Ecclesia. In eadem *epist.* 12. *pag.* 146. de Reliquiis sancti Clari discipuli sancti Martini.

Digna pio domus est altaria, sub quibus artus
Conditur exanimus.

Et postea.

Casta tuum digna velant altaria corpus,
Ut templum Christi contegat arca Dei.

Et *pag.* 150. *hic titulus indicat*, inquit, *deposita sub altari* Sancta Sanctorum.

Sancta Deo geminum velant altaria honorem,
Cum cruce Apostolicos quae sociant cineres:
Quam bene junguntur ligno crucis ossa piorum;
Pro cruce ut occisis in cruce sit requies!

Et in Natali sancti Felicis.

Spectant de superis altaria tota fenestris,
Sub quibus intus habent Sanctorum corpora sedem.
Namque & Apostolici cineres sub caelite mensa
Depositi, placitum Christo spirantis odorem
Pulveris, inter sancta Sacri libamina reddunt.

Mensam vocat altaria sacra, quae solebant extrui super Martyrum sepulcris & corporibus, aut Reliquiis. Prudentius *Hymno* 11. *de passione sancti Hippolyti*.

Talibus Hippolyti corpus mandatur opertis,
Propter ubi apposita est ara dicata Deo.
Illa sacramenta donatrix mensa, eademque
Custos fida sui Martyris apposita, &c.

Idem *Hymno* 9. *in passione Cassiani*.

——— *Complector tumulum, lacrymas quoque fundo,*
Altar tepescit ore, saxum pectore.

Ambrosius *lib.* 7. *epist.* 54. sub finem: *Succedant victimae triumphales, ubi Chri-*

Christus hostia est: sed ille super altare, qui pro omnibus passus est; isti sub altari, qui illius redempti sunt passione. Hunc ego locum predestinaveram mihi; dignum est enim, ut ibi requiescat Sacerdos, ubi offerre consuevit. Sed cedo sacris victimis (SS. Gervasii & Prothasii) *dexteram portionem*. Hieronymus *adversus Vigilantium cap.* 3. *Male facit ergo Romanus Episcopus, qui super mortuorum hominum Petri & Pauli, secundum nos ossa veneranda; secundum te vilem pulvisculum, offert Domino sacrificia, & tumulos eorum Christi arbitratur altaria.* Quo vero ritu inferrentur hujusmodi Reliquiæ, & quibus precibus adhibitis reconderentur sub altaribus, explicatur in *Ordine Romano de Consecrat. altaris* pag. 114. 123. 124. & 125. quo loci *columna secunda*, *Confessionem* sæpius vocat locum in altari excavatum, in quo recondebantur Reliquiæ. Ordini Romano fere per omnia conveniunt, quæ habentur in *Sacramentario* Gregorii Magni nuper edito, ubi de Consecratione altaris *pag.* 152. & 156. & quæ ad eum locum doctissimus Menardus Monachus observavit *pag.* 192. 194. 201. 202. & *seqq.* De Reliquiis autem in altari conditis non existimo, quæ de Reliquiis dicuntur in *cap.* 2. *hoc tit.* & *in Can.* 35. & 36. XVI. *Qu.* 7. esse intelligenda, ne & Ecclesia & altare plane resecrari viderentur: quod sine magno scandalo fieri non posset. Sed mitius accipienda de Reliquiis, quæ publice solent proponi cultus & venerationis causa, extra altare in capsis & feretris. Quinimo sicut initio notavimus propter Patronorum & Fundatorum contentiones, vel super ipso jure Patronatus, vel super instituendi Presbyteri persona, quando nempe convenire de certa persona non possunt: Patronis, inquam, his casibus tam severa pœna non infligitur. Et quidem verba 1. & 2. *Capituli* ad usurpationes Ecclesiarum a Laicis factas pertinere docuimus: & quidam ex veteribus Interpretibus, sicut observat Glossa, notaverunt in usu non esse hujusmodi Canones, quæ de tollendis reliquiis loquuntur. Et hæc omnia plurimum illustrant *Canonem* 26. *de Consecratione Dist.* 1. & *Can.* 7. *Synodi VII.* & *Legem* 26. *decernimus Cod. de Episcopis & Clericis*, ex qua Lege constat non posse in Ecclesiis collocari Reliquias, nisi adhibita auctoritate Episcopi, ne forte incertæ Reliquiæ & Martyrum nondum vindicatorum pro arbitrio & superstitione cujusque inferantur, & proponantur venerandæ. Quam in rem insignis est Amulonensis Archiepiscopi Lugdunensis *epistola ad Theobaldum Episc. Lingonensem* adversus falsarum Reliquiarum imposturas, & superstitiosas duorum Monachorum circumlationes Reliquiarum.

Postremo superest, ut ex *Ordine Romano* pag. 124. *editionis Coloniensis* adnotemus, in transferendis Reliquiis hujusmodi, & inferendis in novam Ecclesiam, quæ consecranda erat, Episcopum consuevisse ad ipsum ostium verbum facere ad populum de honore Ecclesiastico, de Decimis ac oblationibus Ecclesiæ, ac de anniversaria ipsius Dedicatione. *Et annuntiet tam Clero quam populo, in cujus honore constructa & dedicata sit Ecclesia, vel etiam nomina Sanctorum ibi requiescentium. Ipse autem Dominus & Constructor Ecclesiæ admoneatur de dote illius, & qualem honorem vel curam Ecclesiæ & Presbytero exhibere debeat. Illo autem profitente in omnibus se velle ita agere, Pontifex hæc a Domino postulans, antequam intret Ecclesiam, dicat hanc orationem*, &c. Quod & plenius explicabimus ad celebre *Capitulum nobis infra*.

AD

AD CAP IV.

EXplicavimus in præcedentibus Capitulis, quo progressu & quibus temporibus a potentioribus Laicis Ecclesiarum bona, possessiones, decimæ, imo & oblationes fuerint occupatæ, aliquando per vim, aliquando vero præcedente qualicumque titulo & concessione Regum, accedente vel SS. Pontificum, vel Episcoporum & Cleri consensu, difficillimis scilicet temporibus; nempe propter sumptus & impensas bellorum, quæ suscipienda erant adversus infidelium & paganorum irruentium irruptiones. Certis tamen legibus & conditionibus a Regibus concedebantur, ut nempe debitus honor & cultus exhiberetur, & ministris suppeditarentur alimenta, & ut nominati & præsentati a Laicis in hujusmodi Ecclesiis, quarum reditus obtinuerant, prius ab Episcopis examinarentur, an forent idonei: & ab Episcopis reperti digni instituebantur. Contrarium sæpe tamen eveniebat, & inconsultis Episcopis sponte & temere Presbyteros in Ecclesiis illis, quas occupaverant, Laici constituebant, & ut loquitur *Canon* 38. XVI. *Qu.* 7. *arbitrii sui temeritate, & (quod est gravius) cupiditate ducti quibuslibet Ecclesias dabant, vel auferebant absque consensu Episcopi*. Quinimo quidam Presbyteri suæ immemores Dignitatis, prece vel pretio Laicos potentiores sibi demerebantur, ut per eos Ecclesias adipiscerentur. Quam Simoniæ infamiam & turpitudinem diutius in Ecclesia perseverasse apertissime comprobant tot frequentes Constitutiones & Canones sæpius renovati, multis annis ante Alexandrum III. auctorem *hujus Capituli* in Concilio Generali Lateran. *Can.* 14. §. *Præterea:* quibus Canonibus severissimæ pœnæ sanciuntur tam adversus Laicos, quam Clericos, qui prece vel pretio nundinabantur hujusmodi Beneficia: in Laicos excommunicationis pœna; in Clericos non tantum excommunicationis, sed etiam depositionis & amissionis gradus sui pœna constituta *Can.* 12. 14. 16. 17. 18. 19. 20. 37. 38. XVI. *Causa Qu.* 7. Adversus quem abusum ita Hincmarus in *Capitulis* nuper editis *tom.* 3. Concil. Galliæ *pag.* 622. *Capitulo ult. Ut si quilibet Presbyter apud seniorem secularem ulla precatione, vel aliquo xenio Ecclesiam illam obtineat* &c. idem in aliis *Capitulis* editis in Concilio Remensi anno Christi 874. *cap. ult. eodem tomo* 3. *pag.* 541. in quo simoniæ crimen & labem maximam in malos Clericos transfert statim initio Canonis: *Sæpe vos admonui de xeniis superfluis contra sacras regulas pro Ecclesiis viduatis non dandis; sed sicut audivi, vos nihilominus castigastis.* Et postea: *Ipsi enim scitis, quia nemo fidelis in Parœcia nostra in sua Ecclesia sive Presbyterio esse cupit, & sine ordinatione Episcopali Presbyterum habere non potest* &c. Et in fine: *Non necesse esset vobis petere Ecclesias cum superfluo xenio; quia quique fideles, si vestra culpa non esset, plus quærerent bonos Clericos quam vestros denarios: & hoc non sufficitis, sed vos & vestros nutritos in maledictionem mittitis, cum dato Patronis præmio, vobis & illis peccatum emitis*. Adeo tamen frequens erat simonia in illis casibus, ut sicut in feudis vel emphiteusi fieri solet, certam præstationem pro introitu in vacationibus Ecclesiarum exigerent Laici a Clericis, ut approbarent, vel concederent nominationem, vel etiam collationem, quam illis temporibus, sicut diximus, præsumebant Laici. Quo sensu in

quadam donatione Ecclesiæ parœcialis sancti Juliani fit mentio feudi Presbyterorum. Et in alia donatione quidam nobilis, qui restituebat Ecclesiam ita loquitur: *Condonavimus præpositura concessionem, quod Romane dicitur losum* (lots & ventes) *venditionem Præbendarum, & quod vulgus appellat summarium, & a manu nostra omnino removemus; & præfatæ Ecclesiæ concedimus omne dominium, quod in ipsa habebamus intus & extra in terris, in nemoribus, in aquis* &c. Utraque donatio extat in *Promptuario Antiquitatum Ecclesiæ Tricassina pag.* 308. 372. & 373. quales fiebant plurimæ donationes & restitutiones a piis Laicis in redemptionem animæ, de quibus plura dicemus ad *Caput* 8. infra.

Pertinet etiam ad intellectum *hujus cap.* nostri *cap. 3. supra de Institutionibus & cap.* 21. *hoc tit.* quæ sunt ejusdem auctoris Alexandri III. & ad Ecclesiam Anglicanam spectant, in qua Nobiles Ecclesias fere omnes occupabant. Et quidem in istis *duobus Capitulis* notandum pœnas constitui adversus solos Clericos, qui Ecclesiastica Beneficia sine Episcopi Diœcesani consensu, vel Officialium suorum, recipiebant de manibus Laicorum. Et merito in Clericos potissimum quia, ut diximus, gravius erat eorum peccatum. Concilium vero Lateranense Laicos etiam anathemate feriendos esse ait; Clericos vero primum communione privandos, & si perstitissent, ab omni ministerio & ordine Ecclesiastico deponendos. Quæ verba, sicut omnes Interpretes observant, recte significant non ipso jure infligi illas pœnas, sed opus esse admonitione & sententia Episcopi, ut si moniti congrue non satisfacerent, idest non resignarent hujusmodi Beneficia in manibus Ordinarii, sicut loquitur *cap.* 21. *hoc tit.* pœnas supradictas incurrerent. Non diffiteor tamen, quin & Patroni & Fundatores idem præsumerent, & lucrum captarent ex præsentatione & nominatione: imo & ipsa bona & possessiones Ecclesiæ in sua jura revocarent; quod & olim prohibitum *Can.* 1. Synodi I. & II. apud Zonaram & Balsamonem. Quibus casibus, quia eadem peccant, merito & eandem pœnam pati debent, quamvis proprie verba *dictorum Capitulorum* ad Fundatores non pertineant.

AD CAP. V. PARTEM I. ET AD CAP. XXIV. ET XXIX.

AD eandem Quæstionem pertinent, nempe quid juris statuendum sit, si Patronus idoneum Clericum nominaverit ad vacantem Ecclesiam, quem Episcopus instituere recuset, nec Beneficium conferre velit: & idem Patronus alium postea idoneum Clericum præsentaverit, quem Episcopus instituerit & admiserit. Et quidem *d. Capitulorum* sententia hæc est, ut primo sit distinguendum inter Patronum Ecclesiasticum & Laicum. Laicus Patronus sive Clericum idoneum sive non idoneum nominet ab initio variare potest, & alium idoneum præsentare, dummodo intra quatuor menses, quibus Laicis Patronis præsentatio conceditur; ita ut si 2o. præsentatus admittatur ab Episcopo vel ejus Vicario, Officiali, aut Archidiacono, ad quos secundum consuetudines varias Ecclesiarum pertinere potest institutio, sicut in *cap. cum venissent extra, de Institutionibus*; præferatur secundo loco præsentatus primo præsentato; quia non tantum habet præsentationem, sed etiam

etiam institutionem, quæ potissimum inspicitur in obtinendis Beneficiis secundum vulgarem illam regulam *Beneficia sine institutione canonica non possunt obtineri*. Nec juvat possessorem cujuslibet temporis possessio sine titulo & institutione canonica. Episcopus autem & alii Prælati, qui jus habent instituendi, merito dicuntur habere plus juris in institutione, seu collatione, quam Patroni in præsentatione *cap. 6. Extra de Officio Legati*. Jure nempe divino & communi Episcopus nititur, quo omnes Ecclesiæ positæ in diœcesi alicujus Episcopi, ad ejus institutionem & ordinationem pertinent: Patronis Laicis vero jure singulari ex æquitate contra Juris regulas jus præsentandi benigne indulgetur *cap. 3. hoc tit.* Hactenus de patrono Laico.

Ecclesiasticus vero Patronus, qui nempe non ratione sui patrimonii, sed Ecclesiæ vel Beneficii, quod obtinet, & cui est annexum jus Patronatus, & habet per consequens jus præsentandi; si non idoneum præsentet, variare non potest: & pro hac vice privatur jure suo; sicut & ille qui indignum eligit *capit. cum in cunctis Extra de Electionibus*, & privatur jure suo, quod ad Ordinarium recurrit: quod & Glossa *capituli 4. de Officio Judicis Ordinarii* non immerito trahit & ad eum casum, quo Clerici jus habent nominationis ratione patrimonii sui. Si vero aliquem idoneum semel nominaverint Clerici, quos nec variare posse, nec debere diximus, necessitas imponitur Episcopo omnimodo præsentati admittendi. Idemque habet locum si vel Collegio Ecclesiastico, vel Monasterio jus Patronatus competat.

Observandum tamen: si Laicus, qui semel idoneum Clericum præsentaverit, in sua præsentatione perseveret: tunc si Episcopus alium, spreto Patrono, instituat; veteri quidem jure nulla erat ordinatio vel institutio Episcopi *Can. decernimus & seqq.* XVI. *Quæst.* 7. *& arg. capituli cum Bertoldus de sententia & re judicata*: per interpretationem vero & usu receptum est, ut institutio Episcopi spreto Patrono facta, ipso quidem jure sustineatur: sed sententia Judicis irrita possit declarari & rescindi.

Observandum etiam S. Pontificem & ejus Legatum ex beneficio singulari Pontificis, posse non tantum in Ecclesia vacante, spreto Patrono, instituere Clericum, sed etiam nondum vacantem sibi reservare *cap. 28. hoc tit. & cap. dilectus de Officio Legati*. Quod quidem jus in Laicos Patronos propter plenitudinem potestatis S. Pontifex sibi retinuit: Legatis non competit. Moribus tamen nostris Laici Patroni Regum nostrorum & Magistratuum auctoritate muniuntur adversus nova hujusmodi jura: quibus inconsultis & ignorantibus Patronis Laicis, qualibet auctoritate, etiam Pontificia, non potest derogari juri Patronatus Laico. Quoniam autem Patronos Laicos variare posse diximus, & sæpius nominare: medio tempore ne quid detrimenti pateretur Ecclesia in spiritualibus, vel in temporalibus; qui sacra ministeria obirent præficiebantur ab Episcopis, & Oeconomi qui fructus perciperent & reditus omnes, eosque aut in utilitatem Ecclesiæ illius expenderent, aut futuris Personis fideliter reservarent *cap. 4. de Officio Judicis Ordinarii*. Personis ait, idest Plebanis, seu Rectoribus, qui in libris nostris, & in Scriptoribus Gallicanis & Anglicanis Personæ vocari solent; sicut & apud eosdem specialiter Advocatia & Advocatus pro Patrono, vel pro jure Pa-

Patronatus passim accipitur. Quod vero dictum est de Oeconomis constituendis, intellige quoties Patronatus ad Laicos pertinet; quamvis & ad Laicos & jus Patronatus, & jus custodiæ simul pertineat. Ecclesiastici autem, quibus jus Patronatus Ecclesiasticum simul & custodiæ competit, possunt constituere Oeconomos intra illos sex menses, quibus de præsentando Clerico idoneo facultas eis permittitur. In Ecclesiasticis enim personis & Collegiis non adeo metuitur dilapidatio, quoniam si reditibus abutantur, pœnis & censuris Ecclesiasticis, & subtractione redituum facilius rediguntur in ordinem, sicut recte ad *dictum capit.* 4. Interpretes observant.

Postremo quoniam culpa non vacat Episcopus, qui Clericum idoneum a Laico primo loco præsentatum instituere recusavit, non immerito hac pœna coercetur ab Innocentio III. in *cap.* 29. *hoc tit.* ut eidem compellatur providere in competenti Beneficio; quod & confirmari recte solet *cap.* 2. & 3. *de Prebendis supra*.

AD §. I. CAPITULI V. ET AD CAP. VIII. XVII. ET XX.

PErtinent hæc Capitula, quibus similia multa reperiuntur in Decretalibus, præcipue sub *tit. de donationibus & de decimis*, ad donationes Ecclesiarum a Laicis factas, sive ad concessiones Decimarum, possessionum Ecclesiasticarum, Oblationum & aliorum jurium Ecclesiasticorum, quæ fieri erant solitæ Clericis, Collegiis, vel Capitulis Clericorum & Canonicorum, vel Monasteriis. Explicatur vero in *his capitulis*, quid requiratur, ut recte & utiliter fiant. Propter similitudinem etiam conjunctim tractatur de donationibus juris Patronatus. Plurima autem Capitula pertinent ad Ecclesiam Anglicanam, sicut & *caput.* 4. & 7. *Extra de donationibus*, quoniam Ecclesiarum possessiones, Decimas, Oblationes, & omnes fere reditus Ecclesiasticos improbe & sacrilege Angliæ Proceres in suam potestatem redegerant. Sententia vero Capitulorum hæc est. Postquam sacrilegæ invasiones Conciliorum sæpius iteratis Canonibus prohibitæ fuerunt, pœnis gravissimis propositis; plurimi Laici pœnitentia & religione ducti restituebant possessiones, decimas & quicquid juris Ecclesiastici improbe rapuerant, quæsito colore donationis & cessionis, vel iis ipsis Ecclesiis, quibus abstulerant: quod æquius & convenientius erat; vel etiam Clericis, Capitulis, Collegiis, vel Monasteriis donabant: & quidem sæpissime in fundationibus Monasteriorum Ecclesias & reditus Ecclesiarum conferebant. Quoniam tamen in hujusmodi donationibus præsumebantur plurima contra Canones: nec etiam liberalitatis & pietatis causa peragebantur; sed Laici aliquando pecunia accepta, vel muneribus a Clericis, vel Monachis opima Beneficia venantibus, donationes titulo & nomine tenus faciebant: præterea absurdum erat Laicos, qui nullum jus in Ecclesias & Ecclesiastica jura sibi vindicare possunt, hanc sibi potestatem arrogare, ut eas in alios transferant: ideo hujusmodi donationes irritæ & pro non factis declarantur; nisi Diœcesani auctoritas & consensus, vel in facienda donatione intervenerit, vel postea subsecutus fuerit; aut etiam legitima præscriptio qua-

quadraginta scilicet annorum, ut hic recte Interpretes, post donationem fluxerit *cap.* 10. 11. & 20. *hoc tit.* vel quod rectius est Episcopi ipsi, qui in Ecclesias omnes suæ Diœcesis jus legitimum obtinent, ejusmodi Ecclesias concesserint & donaverint, adhibito tantum assensu Laicorum, qui illas usurpaverant, ut in *cap.* 7. *pastoralis supra, Extra de donationibus*.

Quod si Episcopus improbitatis vel avaritiæ causa consentire nollet, appellatione vel querela deposita apud S. Pontificem, eaque rite & legitime probata; cum consensu Pontificis donatio perficiebatur *cap.* 17. *hoc tit.* dummodo tamen causa cognita, ut diximus, constaret S. Pontifici Diœcesanum improbe recusavisse consensum: alioquin jure suo absque ulla culpa sua privari non debet.

Quæsitum vero fuit ab Interpretibus, & tractatum diutissime ad *cap.* 5. & 8. *hujus tit.* an sicut in donandis & concedendis Ecclesiis a Laicis Episcopi consensus desideratur; ita etiam si Patroni jus Patronatus concedant & donent, vel Ecclesiis ipsis, in quas jus Patronatus habent, vel etiam aliis Ecclesiis, Collegiis, Monasteriis, aut locis Religiosis, sine consensu Episcopi, hujusmodi donatio & concessio firma & rata haberi debeat. Et quidem Glossa Episcopi consensum desiderare videtur, eamque opinionem confirmare tentat *cap.* 8. 11. 17. & 20. *hoc tit.* & *capit. consultationibus* & *cap. pastoralis supra de donationibus*. Contra tamen & verius alii Interpretes, quorum etiam Glossa in *dictis capitulis* meminit, afferunt non opus esse consensu Diœcesani Episcopi quoties datur jus Patronatus. Et ut intelligantur quæ in contrarium Glossa attulit, constituenda primum differentia inter donationes Ecclesiarum, Decimarum, Oblationum, vel alicujus juris Ecclesiastici a Laicis factas, sicut diximus, & inter donationes juris Patronatus.

In donationibus juris Patronatus necessarium non esse Episcopi consensum hæc verba *capituli* 8. indicant apertissime, *licet Religioso loco jus Patronatus conferendi liberam habeat potestatem*. Liberam, idest sine auctoritate Episcopi, sine qua auctoritate donare Ecclesiæ decimas, vel aliud quid Ecclesiastici juris non potest. Et de hujusmodi donationibus intelligendum *cap.* 5. §. 1. 11. 17. Idemque dicendum est de *capitulis duobus*, quæ Glossa allegat ex *tit. de donationibus*. In quibus donationibus mirum non est, si necessario adhibendus sit Episcopi consensus: quia Laicus nullum omnino jus in Ecclesias, earumque reditus, possessiones, decimas & oblationes sibi vindicare potest. Ea enim omnia ad Episcopum pertinent, cujus merito consensus requiritur. Nam & donare potius per se videtur Ecclesias earumque bona, quam Laicus, qui potius restituere dicendus est in redemptionem animæ, quod sacrilege & improbe ipse vel ejus Antecessores usurpaverant. In *cap.* vero *pastoralis Extra de donationibus*, & *cap.* 20. *hoc tit.* non agitur de donationibus a Laicis factis, sed ab Episcopis, adhibito tamen Patronorum consensu, quorum juribus in illas Ecclesias derogare non licet. Ex his itaque constat optima ratione Patronos jus Patronatus, inconsultis Episcopis transferre posse donationis titulo in Ecclesias, Collegia & alia Religiosa loca.

Observandum tamen in *cap.* 10. & *ult. hoc tit.* dici a Patronis, sive Clericis,

ricis, sive Laicis Ecclesias concedi non quidem eo sensu, quo mox diximus, sed eo ut proprio arbitrio, inconsultis Episcopis, nec expectato eorum consensu & institutione sive collatione, Ecclesias concedant alicui Clerico: quæ absoluta concessio nullius est momenti: expectandus enim est consensus Episcopi, ad quem pertinet ordinatio & institutio omnium Ecclesiarum in sua Diœcesi, sicut ostendimus in *parte* 1. *capituli* 5. *hoc tit.*

Non diffiteor tamen non tantum Interpretes, sed etiam Auctores ipsos in hac quæstione non semper idem sensisse. Nam in *antiqua Decretali in cap.* 7. *Collectione* 1. *hoc tit.* in qua separatur recte donatio Ecclesiarum a donatione Juris Patronatus, Episcopi consensus etiam in donatione Juris Patronatus requiritur. Contra tamen Raymundus illam clausulam de Jure Patronatus omisit: & plane contrariam inseruit ejusdem Auctoris Alexandri III. in *cap.* 8. *hoc tit.* Denique omnem dubitationem Bonifacius VIII. ademit in *cap.* 1. *de Jure Patronatus in* VI. in quo ait non esse opus Episcopi consensu in donatione Juris Patronatus facta Ecclesiis vel Religiosis locis; ita tamen ut per hujusmodi donationes juris Patronatus, Episcopi, qui non consenserit, juribus non derogetur, sicut & in *cap.* 13. *hoc tit.* deciditur. Constat itaque irritas esse donationes Ecclesiarum, Decimarum, Oblationum, inconsulto Episcopo, factas; imo nec omnino intelligi factas fuisse: si tamen postea Episcopus hujusmodi donationes ratas habuerit, confirmantur ex post facto *cap.* 11. *&* 20. *hoc tit.* Idemque respondendum, si proponatur diversis temporibus easdem Ecclesias a Laicis donatas fuisse; ita ut Episcopus posteriori loco factæ tantum consenserit, vel eam ratam habuerit. Prævalebit enim, quæ posterior est ordine temporis *cap.* 8. *&* 20. *hoc tit.* quoniam Episcopus, qui jus omne habet in Ecclesias, confirmat donationem, quæ pro non facta habebatur. Laicus enim donavit quod ejus non fuit, & quod jure obtinere non potuit; adeoque ex abusu rerum nato abusu verborum, Laicus improprie donare & concedere Ecclesias, Decimas, & Jura Ecclesiastica dicitur. Non dissimili ratione si Laicus vel etiam Ecclesiasticus Patronus, sive Clericus sive Monachus non tantum vacantibus Ecclesiis præsentaverit Clericos, quod eis licet; sed præterea præsumpserit ipsos Presbyteros inducere in Ecclesias, easque pleno jure, ut loquuntur, conferre, irrita erit hujusmodi collatio & nulla; ita ut si alium postea præsentaverit Episcopo, qui ab eo admittatur & instituatur, ei præferetur cui prius non jure collata fuerat Ecclesia *cap.* 8. *& ult. hoc tit. Can.* 6. *&* 7. XVI. *Qu.* 2. *& Can.* 11. 37. *&* 38. XVI. *Qu.* 7. *& cap.* 1. *Extra de Capellis Monachorum.*

Præterea ex dicto *cap.* 8. *hoc titulo* notandum apertissime confirmari quod supra diximus, institutionem factam ab Episcopo vel alio Prælato absque præsentatione & consensu Patroni, eoque contempto, quamvis ipso jure vulgo existimetur valere, irritandam tamen esse: hoc est hujusmodi institutio sive collatio per sententiam Judicis irrita declarari debet, Patrono conquerente *Can. decernimus* XVI. *Qu.* 7. Quæ vero de donationibus Ecclesiarum, Decimarum & Oblationum a Laicis factis Ecclesiis, vel Monasteriis cum Episcopi consensu diximus; ita intelligendum esse addimus, ut non tam donationes quam restitutiones indebite usurpatarum Ecclesiarum & jurium Ecclesiasticorum reputentur, quæ eis sæpius

pius repetitis Conciliorum Canonibus injunctæ fuerunt; ita ut non restituentes, crimen sacrilegii & æternæ damnationis periculum incurrere statuatur. Quam in rem plures Canones observabimus *Can.* 1. 2. 3. 12. *usque ad* 20. *Can.* 23. 24. 39. 40. XVI. *Qu.* 7. quibus addendi *Canon* 4. Concilii Cabilonensis sub Stephano V. Papa, Concilii Tolosani sub Victore II. *Canon Item placuit*, & *Can. Inter hæc;* Concilii Romani sub Nicolao II. *Canon* 5. juncto *Canone* 3. XVI. *Qu.* 2. & aliud Concilium Rom. sub Alexandro II. & in *Apologetico* Gregorii VII. *cap.* 6. 7. & 8. & in Synodo Rom. sub eodem *Canon Decimas*, & *Canon Ut nullus:* quos in hanc rem valde notandos exscribemus. *Decimas, quas in usu pietatis concessas esse Canonica auctoritas demonstrat, a Laicis possideri auctoritate Apostolica prohibemus. Sive enim ab Episcopis, vel Regibus, vel quibuslibet personis eas acceperint, nisi Ecclesiæ reddiderint, sciant se sacrilegii crimen committere, & æternæ damnationis periculum incurrere.* Et in *Can. Ut nullus. Ut nullus Abbas decimas & primitias, & reliqua, quæ secundum statuta Canonum ad Episcopos pertinent, sine auctoritate Rom. Pontificis, seu Episcopi consensu, in cujus diœcesi habitat, detineant, auctoritate Apostolica firmamus.* Qui Canones sæpius propter necessitatem repetiti fuerunt. Et quidem in Concilio Lateran. sub Calisto II. *Can.* 4. 7. & 18. & in alio generali Lateran. sub Innoc. II. *Can.* 10. & in Concilio Remensi sub Eugenio III. *Can.* 8. & inter Alexandri III. *epistolas epist.* 28. scripta ad omnes Episcopos Angliæ: cui plane simile est *Capitulum* 21. *hoc tit.* & *cap.* 3. *supra de Institutionibus*, quæ ad Angliam pariter pertinent, eodemque tempore scripta fuerunt, sicut & alia pleraque *Capitula hujus Tituli;* eo saltem tempore, quo Thomas Cantuariensis adversus usurpatores Ecclesiarum Laicos & Clericos, & ipsum Regem acriter insurrexit. In dictæ itaque *epistolæ* 28. initio ait Alexander, post instantem turbationem, quæ inter Henricum Angliæ Regem & Thomam Cantuariensem Archiepiscopum emerserat, quandam pravam consuetudinem in illis partibus inolevisse, qua Laici Ecclesias & Ecclesiastica Beneficia usurpaverant per universum Regnum Angliæ; ita ut quibus vellent Clericis auctoritate propria etiam invitis Episcopis conferrent & in possessionem inducerent. Statuit vero Pontifex ut universi, qui Ecclesias, Præbendas, vel quæcumque alia Beneficia de manu Laicorum suscepissent, cum fructibus inde perceptis in manus Prælatorum resignent, & eis, ad quorum ordinationem jure Ecclesiastico pertinent, disponendas relinquant. Quod & plerisque Conciliis per ducentos fere annos cautum fuit. Et quidem in Concilio Lateranensi generali sub Alexandro III. *Can.* 14. ex quo sumptum *caput* 4. *supra hoc tit.* & in *Collectione* variarum Decretalium post dictum Concilium Lateran. *parte* 14. *cap.* 5. Cujus inscriptio Cantuariensi Archiepiscopo & ejus Suffraganeis dirigitur, Pontifex ita loquitur: *Cum viri Ecclesiastici per nos aut per alias personas Ecclesiasticas in Ecclesiis secundum statuta Canonum ordinantur; Laici, qui forte aliquando contra Ecclesiasticam ordinationem eas usurpare* (nempe occupaverant illas Ecclesias) *consueverunt in periculum suæ salutis, in tantam vesaniam & furorem prorumpunt, ut Ecclesiasticos viros canonice in ipsis Ecclesiis ordinatos, multis injuriis & verberibus afficerent, & interdum occidere non vererentur.* Quod & iterum severissime prohibetur

Can. 45. Concilii Generalis Lateranensis sub Innocentio III.

Superest ut subjiciamus & indicemus exempla aliquot insignia donationum, vel potius restitutionum hujusmodi Ecclesiarum, possessionum, redituumque, decimarum, primitiarum & oblationum, quæ a Laicis in redemptionem animæ, sensu pietatis instigante, factæ fuerunt vel ipsis Ecclesiis spoliatis, vel aliis Ecclesiis, Capitulis, Collegiis, vel Monasteriis, cum consensu tamen & auctoritate Episcoporum. Et quidem supra ad *cap.* 4 duo exempla retulimus ex *Promptuario antiquitatum Ecclesiæ Tricassinæ pag.* 308. in qua continetur donatio quædam, vel potius restitutio a quodam Nobili facta anno Domini 1114. jurium & redituum usurpatorum in Ecclesia sanctæ Mariæ & S. Lupi: quæ donatio eidem Ecclesiæ facta est. Et quidem hujusmodi donationes non videntur desideratse consensum Episcoporum. Extat alia ibidem donatio *pag.* 372. *& seqq.* cui subjicitur confirmatio Episcopi Trecensis cum Cleri consensu *pag.* 374. Similes plures observamus ex *Codice piarum Donationum* Auberti Miræi *cap.* 21. *& cap.* 31. in quo Arnulphus I. Flandriæ Comes prædia varia & reditus Ecclesiasticos cum consensu Regis & hortatu Transmari Noviomensis & Tornacensis Episcopi *anno* Domini 935. ad cujus diœcesim pertinebant, restituit Blandiniensi Monasterio. Et in *cap.* 34. dotatur Ecclesia Brugensis de consensu & voluntate Episcoporum Tornacensis & Morinensis, restitutione facta plurium Ecclesiarum & decimarum, quas offert in dotem Ecclesiæ recens ædificatæ, in qua hæc verba notanda: *Quasdam decimas*, ait, *se concedere de iis, quas sibi & suis Prædecessoribus in Comitatu Flandriæ de terris cultis Papæ Romani pro adjutorio expensarum suarum & suorum militum, pro expugnatione ac resistentia contra Wandalos*, ideft Normannos, *qui Flandriam & alias terras vicinas cum Ecclesiis in ipsis constructis vastabant, in feudum perpetuum concesserunt*. Adde & *cap.* 47. 50. 58. *&* 82. Similes aliquot ex veteribus Chartulariis Monasteriorum quorumdam Galliæ descripsit nuper Auctor *Tractatus Gallici de Allodio sub tertia stirpe Regum nostrorum pag.* 285. 286. *& seqq.* Eamque etiam ob causam bella suscepta a Regibus nostris adversus Regni Proceres ad restitutionem bonorum Ecclesiasticorum ex fide historiæ constat circa an. 1103.

AD CAP. VI. ET XV.

Utramque Capitulum potissimum spectat ad confirmationem duarum regularum Juris Canonici, 1°. Sanctuarium Domini jure hæreditario non deberi obtineri. 2°. Ecclesias auctoritate propria Patronorum sive Ecclesiasticorum, sive Laicorum, inconsultis Episcopis, pleno jure concedi & conferri non posse: irritam & nullam esse hujusmodi concessionem. Quam regulam in superioribus Capitulis pluribus explicuimus. Adversus utramque regulam multa oblique & in fraudem tam Laici, quam Clerici moliebantur. Et quidem Clerici non illi tantum, qui in minoribus erant constituti, sed etiam Presbyteri jura Patronatus vel in Ecclesiis quas obtinebant, vel in aliis comparare nitebantur quocunque titulo, sive lucrativo, sive oneroso; ut potissimo-

postmodum filios vel nepotes suos in hujusmodi Ecclesiis præsentarent. Filios, inquam, vel nepotes, sive legitimos, e. c. vel ante Sacerdotium, vel in minoribus Ordinibus procreatos; vel spurios, idest post Subdiaconatum, Diaconatum & Sacerdotium susceptos, contra prohibitionem Canonum. Hoc amplius in *cap. consuluit* 15. Clerici quidam auctoritate propria, idest inconsultis Episcopis, constructas & fundatas Ecclesias a parentibus detinere, & sibi vindicare hæreditario jure contendebant: vel etiam Laici fundatores filiis suis, vel nepotibus, aut quibuscumque aliis Laicis Ecclesias vel Beneficia, in quibus Jus Patronatus habebant, ignorantibus, aut non consentientibus Episcopis, concedebant, sicut in *cap.* 10. *&* 15. *hoc tit. in antiqua Decretali*. Non contenti nempe Patroni jure proprio nominationis, vel præsentationis, præsumebant pleno jure conferre Ecclesias: quod in *dicto Capitulo* 15. prohibet Pontifex.

Sed ut redeamus ad interpretationem *Cap.* 6. observandum in Anglia pravam illam consuetudinem diutissime obtinuisse contra Conciliorum generalium, SS. Pontificum & Angliæ Episcoporum repetitas sæpius prohibitiones, ut scilicet Clerici non tantum in minoribus Ordinibus constituti, sed etiam in sacris: ipsi quinimo Presbyteri, & aliquando Episcopi uxores in speciem, vel potius concubinas ducerent, & contubernia verius quam matrimonia, si non de jure, saltem de facto contraherent, liberisque procreatis ex turpibus & nefariis hujusmodi conjunctionibus, quibuscunque artibus, in Ecclesiis paternis successionem & locum acquirere nitebantur. Unde constitutum generaliter, ne unquam in Ecclesiis, quas parentes obtinuissent, vel in quibus ministrassent, nulla media persona interveniente, Presbyterorum filii, sive legitimi, sive post Sacerdotium geniti, admitterentur: imo ne quidem in Ecclesiis, in quibus eorum parentes Rectores fuerunt, Vicarii fieri poterant: idemque in Canonicatibus rescriptum. Quod si contra fieret, ab Episcopis appellatione etiam ad Sedem Apostolicam remota, ab hujusmodi Beneficiis & Ecclesiis removebantur *cap.* 2. 4. 5. 10. 11. *&* 13. *Extra de filiis Presbyterorum ordinandis vel non*. Intelligendum nisi dispensatum fuerit cum his, vel ab ipso Sum. Pontifice, vel ab Episcopis, quibus specialiter Pontifex indulserit *cap.* 9. 14. *penult. & ult. eodem tit.* Et quidem ad explicationem *Capituli 6. hoc tit.* quod scriptum est ab Alexandro III. Exoniensi Episcopo, suffraganeo Cantuariensi, valde pertinet quod ad alium Exoniensem Episcopum super eodem articulo scripsit Innocentius III. *lib.* 5. *Registri* his verbis: *Sane ad audientiam nostram pervenit, quod in Exoniensi Diœcesi plerumque contingit, ut decedentibus Ecclesiarum Vicariis & personis, eorum filii absque conscientia tua Ecclesias vacantes invadant, & ut eas licentius valeant detinere, ac tuam auctoritatem eludant, ad nos vocem appellationis emittunt, & sanctuarium Dei nituntur jure hereditario possidere. Volentes igitur obviare, sicut convenit, huic pesti; Fraternitati tuæ auctoritate præsentium indulgemus, ut filios Clericorum, quos in Ecclesiis diœcesis tuæ, nullo medio, inveneris substitutos, Ecclesiis & Ecclesiasticis Beneficiis spolies taliter occupatis, non obstante appellationis objecta, quæ interponitur in elusionem Ecclesiasticæ disciplinæ*. Et ne quacumque ratione vel jure consanguinitatis, aut hæreditario Ecclesiæ, Præbendæ, Præposituræ, & Capellaniæ, sive quælibet Dignitates, & alia Ecclesiastica Benefi-

 cia

cia & Officia vindicarentur; sæpius Canonibus prohibitum *Can.* 1. 2. *&* *sequentibus usque ad* 8. *Causa* VIII. *Qu.* 1. juncto *cap.* 1. *de Præbendis Extra*. Potissimum vero hujusmodi abusus metuendi erant in parentibus Ecclesiasticis, vel Laicis, qui in liberos naturali ratione sunt propensiores: ut prohibeantur quibuslibet modis successionem in Beneficiis liberis suis procurare.

Sequitur ut probemus pluribus, quod supra & initio attigimus, de filiis Presbyterorum, Diaconorum & Subdiaconorum, qui sacris Ordinibus sunt initiati, sive hujusmodi liberi ante, sive post sacros Ordines procreati fuerint: itemque de liberis Clericorum, qui in minoribus Ordinibus constituti sunt. Et quidem in Occidentali Ecclesia certissimum est continentiam injunctam illis, qui in sacris Ordinibus constituti sunt usque ad Subdiaconatum inclusive; adeo ut si quas antea suscepissent uxores, dimittere congerentur, multoque magis si post sacros Ordines illas duxissent. Quod si in minoribus Ordinibus constituti forent, ad retinendas uxores, & relinquenda, seu resignanda Beneficia compellabantur inviti jure summo *Can.* 2. 3. 4. 5. 6. *&* 7. *Dist.* XXXI. *&* XXXII. *per totum cap.* 1. 2. 3. 4. *&* 5. *de Clericis conjugatis*. Quæ Capitula omnia pertinent ad Angliam, sicut etiam fere omnia Capitula *Tituli de filiis Presbyterorum Ordinandis vel non*: qui duo tituli merito conjungendi sunt. Ex quibus colligimus, quamvis sæpius in Anglia Conciliis & Apostolicis Constitutionibus prohibita fuerint matrimonia, vel potius contubernia eorum, qui in sacris erant constituti: prævalente tamen corruptela, non obtemperatum.

Ex hoc primo errore facile alter sequebatur, ut nempe quibuslibet artibus parentes hujusmodi liberos illegitimos jure hæreditario in suis Ecclesiis instituere niterentur: quod severissime quidem prohibitum fuit, eamque in rem observanda sunt ex plerisque Conciliis Anglicanis, Londinense imprimis sub Anselmo Cantuariensi Archiepiscopo habitum anno Domini 1102. Cujus Canones studiose collegit Guillelmus Malmesburiensis *lib.* 1. *de gestis Pontificum Anglorum*: & confirmatur apertissime *epistolis* ipsius Anselmi 62. *&* 122. in quibus mentio fit illius Concilii & Canonum in eo editorum. De quo Concilio Londinensi sub Anselmo, quod pertinet ad hunc articulum ita Matthæus Paris loquitur ad annum 1102. sub Henrico I. *In hoc Concilio Sacerdotes concubinarios excommunicavit, nisi eas de cætero amoverent. Hoc autem bonum quibusdam visum est, & quibusdam periculosum; ne dum munditias viribus majores expeterent, in immunditias laberentur deteriores*. Per consequens in eo Concilio prohibitum ut filii Presbyterorum non essent hæredes Ecclesiarum patrum suorum. Idem Guillelmus Malmesburiensis loquitur ea de re. *Cæterum de Decretis Conciliorum ab Anselmo celebratorum nihil attinet dicere, cum omnia jam obsoleta sciantur deperiisse*. Et post pauca. *In nullo enim ei efficaciter obtemperatum. Sed omnibus pene prætenta excusatio, quæ vel prædicando docuit, vel interminando prohibuit*. Quamvis & ante Anselmum districtissime conjugia Clericorum in sacris Ordinibus positorum prohibita sæpius fuerit in Anglia, secundum jus commune universæ Ecclesiæ Occidentalis, ut erudite observavit Picardus in Anselmi *epist.* 62. *lib.* 3. Ideoque post Anselmum sæpius iterandæ fuerunt ab ejus successoribus hujusmodi prohibi-

hibitiones; quibus injungendis & observandis diligentissimam operam adhibuit D. Thomas Cantuariensis, & ejus successor Richardus, Cantuarienses Archiepiscopi, qui sub Alexandro III vixerunt. Potissimum vero in eam rem celebria sunt duo Concilia super reformatione Ecclesiæ Anglicanæ celebrata, Abrincense sub Alexandro III. anno 1172. paulo post mortem sancti Thomæ, in quo inter alia statuitur, *ut filii Sacerdotum non ponantur in Ecclesiis patrum suorum*. Et Londinense sub dicto Richardo anno 1175. ubi *Can.* 1. apertius constituitur, *ut si infra Subdiaconatum constituti* (Clerici) *matrimonia contraxerint, ab uxoribus suis nullatenus separentur, sed cum uxoribus viventes Ecclesiastica Beneficia nullatenus percipiant: qui autem in Subdiaconatu vel supra ad matrimonia convolaverint; mulieres etiam invitas & renitentes relinquant. Decrevimus etiam ejusdem epistolæ auctoritate, ne filii Sacerdotum in paternis Ecclesiis amodo personæ instituantur, nec eas qualibet occasione, media non intercedente persona, obtineant*. Epistola, cujus auctoritate Patres Concilii utuntur, vel est illa, quam Alexander III. scripsit Archiepiscopo Cantuariensi & ejus Suffraganeis, cujus inscriptio & pars 1. extat in *cap.* 5. *de cohabitatione Clericorum & mulierum*, & in *cap.* 1. *de Clericis conjugatis in Collectione* 1. eoque pertinet *cap.* 11. ejusdem Alexandri III. *titulo de filiis Presbyterorum ordinandis vel non*. Vel potuerunt etiam Patres dicti Concilii intelligere epistolam quandam ejusdem Alexandri scriptam Episcopo Vigorniensi, cujus pars extat in *cap.* 4. *de Clericis conjugatis in Collect.* 1. ex quo exscripta videntur verba Canonis dicti Concilii. Ad eandem rem pertinent pleræque Constitutiones ejusdem Alexandri & ejus successorum relatæ sub *dicto titulo de Clericorum cohabitatione & mulierum*, & *sub tit. de Clericis conjugatis & tit. de filiis Presbyterorum ordinandis vel non*. Nec omnino expers fuit horum malorum Gallia nostra; quæ tamen repressa fuerunt Regum nostrorum auctoritate & Episcoporum nostrorum sollicitudine, ut constat ex *epist.* Ivonis 200. & 218.

Utroque tamen casu Pontifices sæpissime propter multitudinem delinquentium cum Clericis inferiorum Ordinum dispensare fuerunt coacti, ut Ecclesiastica Beneficia etiam conjugati retinerent, quibus Beneficiis sine discrimine magno ac effusione sanguinis non poterant privari, sicut loquitur Alexander tertius in *cap.* 3. *de Clericis conjugatis in* 1. *Collect.* Et post Alexandrum III. Gregorius VIII. *eodem tit. cap.* 4. aliam rationem subjicit hujus, ut ait, dissimulationis vel dispensationis, *ne prædicti Clerici Beneficii Ecclesiastici auxilio destituti, ad turpia & sæcularia lucra sectanda redire cogerentur; cum multi concubinarii & adulteri de bonis Ecclesiæ sustententur: & in minoribus constitutos ordinibus & legitime conjugatos a Beneficio Ecclesiastico sacri Canones non repellant*. Jubet itaque Beneficium ademptum conjugato restitui ab Episcopo suo, *unde sustentari valeret extra fratrum consortium*. Quæ verba postrema desumpta sunt ex *Can.* 8. *quia tua fraternitas* XII. *Quæst.* 1. ex *epist.* Gregorii I. *ad interrogationes Augustini Anglorum Episcopi responsione* 2. quæ epistola inserta est etiam a Venerabili Beda in *Historia Ecclesiastica gentis Anglorum lib.* 1. *cap.* 17. ideoque non male a Glossa notatur in *Capitulo Joannes* in fine *eod. tit.* in hæc verba: *dummodo nullum percipiat*

piat Ecclesiasticum Beneficium: Clericum conjugatum, in minoribus constitutum, posse habere Beneficium ex dispensatione Papæ. Quod de simplicibus tamen Beneficiis intelligendum est; non autem de illis, quæ habent curam animarum annexam, nec etiam de Dignitatibus Ecclesiasticis *cap. ult. de Clericis conjugatis in* 1. *Collectione & capit. cum decorem Extra eodem tit.*

Non dissimili valde ratione SS. Pontifices cum filiis illegitimis Presbyterorum & aliorum in sacris positorum, ad Beneficia Ecclesiastica ut admitterentur, dispensare solebant: quia non suo, sed alieno vitio laborant. Quinimo si eorum merita plurimum suffragentur, in Beneficiis paternis succedere modis legitimis scilicet, conniventibus oculis Pontifices tolerabant *cap.* 2. *de filiis Presbyterorum in* 2. *Collectione*, *cap. penult. & ult. hoc tit.* Permissum etiam Episcopis generaliter, ut cum hujusmodi filiis Presbyterorum dispensare possint, ut ad minores Ordines & ad Ecclesiastica Beneficia simplicia promoveantur, non autem ut ad sacros Ordines, vel ad Beneficia habentia curam animarum, vel ad Personatus & Dignitates admittantur, ut Glossa notat ad *cap.* 1. *de filiis Presbyterorum in* VI. argumento *capituli ult. de Præbendis.* Nam ut eleganter ait Ivo Carnotensis in doctissima *Præfatione Decreti: Quidam Romani Pontifices decreverunt, ne filii Presbyterorum assumerentur ad Presbyteratum; non quod personarum acceptio apud Deum sit alicujus momenti; vel natura, quæ omnium par est genitrix, ab aliquo possit reprehendi: vel filii pro iniquitate parentum condemnari*, &c. Et postea*: Sed ad reprimendam quorumdam Presbyterorum incontinentiam, vel tutius muniendam aliorum continentiam. Sed quia ex his quasdam personas non tantum religiosas, sed etiam Ecclesiæ Dei necessarias esse cognoverunt, decretum temperaverunt: & ita genitos, quorum conversatio in Monasteriis, vel Religiosis Ecclesiis probata fuerit, non solum ab Presbyteratum, sed etiam ad summum Sacerdotium promoveri permiserint.* Quod deinde pluribus exemplis confirmat, quæ referuntur etiam *Can.* 1. 2. 11. 12. *&* 13. *Dist.* LXVI.

Superest ut duas quæstiones, ab Interpretibus ad hæc *duo Capitula* propositas, solvamus. Et quidem ad *Capitulum* 6. in quo Clerici Advocationibus dicuntur spoliari debere, idest jure Patronatus, quod ideo comparaverunt, ut liberos suos ad easdem Ecclesias præsentarent; quæritur quænam sit pœna venditoris, & utrum ad venditorem redeat jus Patronatus, irrita nempe & nulla hujusmodi venditione constituta, perinde ac si nihil actum foret, *cap.* 16. *hoc tit.* An vero Patronus amittat jus Patronatus, quod Ecclesiæ, in qua constitutum fuerat, consolidetur. Et quidem ea videtur præferenda sententia, venditorem Laicum non privari jure Patronatus, quia in dicto capitulo nulla pœna venditori Patrono imponitur, sed tantum emptori: & notissimum est pœnas & sanctiones Legum & Canonum extra suos terminos non esse producendas. Superest tamen quærendum, utrum emptori competat aliqua actio ad pretium repetendum, vel ex empto, vel condictio saltem ex æquitate. Et quidem non videbatur danda actio ex empto; quia diximus irritum fuisse & nullum contractum emptionis venditionis; naturali tamen ratione & æquitate constat pretium repeti posse ab emptore, condictione causa data, causa non secuta, vel sine causa, sicut in *Lege* 22. *&* 23. *ff.*

de contrahenda emptione & Lege 2. ff. de condictione sine causa. Iniquum enim est venditorem cum emptoris damno fieri locupletiorem. Poterit tamen dari actio ex empto, quam tandem receptum est posse concurrere cum condictione sine causa, quoties emptionis contractus irritus, vel finitus & resolutus proponitur, sicut in eleganti specie *Legis* 11. §. *is qui vina ff. de actionibus empti*, & argumento *Legis* 3. *ff. de condictione sine causa*, & *Lege* 5. *si tutor ff. de Tutelæ & rationibus distrahendis*.

Secunda quæstione tractatur ab Interpretibus ad *cap.* 6. & 15. an pater, qui jus Patronatus legitimis modis obtinet, suum filium præsentare possit. Glossa & Interpretes respondent posse, quamvis Patronus seipsum præsentare non possit, ne confundatur præsentati & præsentantis persona *capitulo per nostras hoc tit.* Nec enim Jus Canonicum in hoc articulo subtilitatem Juris Civilis inspicit, qua propter vinculum potestatis filius eadem persona cum patre intelligitur. In rei enim veritate alia est persona patris, alia persona filii. Quinimo & Jure Civili in publicis negotiis non attenditur illa ratio potestatis, sicut in plerisque moribus nostris valde imminuta fuit. Non obstat etiam *Capitulum* 15. *hoc tit.* in quo non de præsentatione, sed de concessione Ecclesiæ propria auctoritate facta a patre, inconsulto Episcopo, fit mentio, quod Canonibus nominatim prohibitum fuisse non tantum patribus, sed etiam quibuslibet probavimus.

AD CAP. VII. ET XIX.

SPecies elegans *hujus Capituli* 7. ex *integra Decretali*, & sententia meliorum Interpretum ita proponi potest. Abbatissa quædam locationis titulo (quam dationem *infirmam* appellat) villam cuidam Militi concesserat, in qua villa sita erat Ecclesia, in quam proprietario villæ jus Patronatus competebat. Mortua persona Ecclesiæ, idest Rectore, sive Plebano, Miles conductor villæ ad vacantem Ecclesiam Diœcesano Episcopo Salesberiensi præsentat Clericum, quem Episcopus legitime natum cognoscens, & honestis moribus præditum instituit, sicut ex *antiquo Codice* supplet Antonius Augustinus. Abbatissa, quæ sibi vindicabat Jus Patronatus, alium Clericum dicto Episcopo præsentavit, quem cum Episcopus noluisset recipere, ipse ad superiorem Metropolitanum Cantuariensem Archiepiscopum confugit, & de Episcopo querelam deposuit, qua permotus Archiepiscopus, causa non cognita, dicto Episcopo protinus injunxit, ut remoto Clerico a Milite conductore præsentato, secundo loco præsentatum ab Abbatissa induceret in possessionem. Cui præcepto obtemperavit quidem Episcopus, remoto primum præsentato & instituto; super ea re tamen scripsit ad Sum. Pontificem, relatione totius negotii ad eum missa, cui consultationi rescripsit Alexander III. ad Episcopum Herefordensem & Abbatem quemdam, quibus mandat, ut imprimis ante principalis negotii disquisitionem de Jure Patronatus, restituatur & reformetur possessio Clerico spoliato, qui a Milite primo præsentatus fuerat, & ab Episcopo Diœcesano institutus. Quam restitutionem colligimus ex *antiqua Decretali* hoc loco: *restitutione autem facta, causam audiatis*, idest causam principalem de Jure Patronatus, cui competat:

petat : cujus disceptandæ & judicandæ formulam ex Juris Canonici regulis depromptam proponit : ut si constiterit villam & universitatem villæ, idest universa ab Abbatissa generaliter locata, non excepto jure Patronatus ; tunc præsentatus a Milite & primo loco institutus præferatur secundo præsentato ab Abbatissa. Idemque judicandum ait, si ante motam controversiam ab Abbatissa, præsentatus a Milite institutus fuerit. Quod ita plenius explicandum secundum sententiam Innocentii IV. Ostiensis & Joannis Andreæ ad *hoc Capitulum*, ut quamvis Abbatissa nominatim Jus Patronatus excepisset, proindeque Miles verus Patronus non foret ; si tamen verus Patronus existimabatur, & præterea in pacifica & quieta possessione præsentandi antea fuisset ; ab eo præsentatus præferatur hac vice, nullo in posterum præjudicio generando Abbatissæ, si postea Patronatus jus ad se pertinere probaverit. A contrario si Abbatissa possessionem Militis interrupisset, quamvis antea in possessione præsentandi foret Miles, turbata ejus possessione removebitur ab eo præsentatus, si postea probaverit Abbatissa Jus Patronatus liquido ad se pertinere : quia in locatione contrahenda nominatim sibi jus Patronatus retinuerat & exceperat, sicut in celebri *capit. cum Bertoldus* 18. *de sententia & re judicata*, in cujus *integra Decretali*, qui pignori dederat curiam vel villam, dominus sibi Patronatus jus specialiter retinuerat & exceperat.

Additur in fine *hujus capituli : ita quod si Abbatissa obtineret adversus Militem, illi de temporalibus debeat respondere*. Ex quibus recte colligunt Interpretes Militem in possessione plena Juris Patronatus & præsentationis fuisse, quia Rei partes sustinebat. Potuit vero tantum obtinere Abbatissa adversus Militem, si probasset se nominatim in villæ locatione facienda, excepisse & retinuisse Jus Patronatus, & interrupisse possessionem præsentationis, quam Miles sibi vindicabat : ita tamen ut si obtineat Abbatissa, Militi de temporalibus respondeat ; idest si a persona, seu Rectore Ecclesiæ illius, jure fundationis, idest lege & conventione apposita in fundatione, certa pensio vel reditus debeatur Abbatissæ, conductori Militi præstari debeat.

Et quidem ex *hoc capitulo* multa colliguntur. Et primo eum, qui dejectus fuit ex possessione, non tantum per vim, sed etiam præcepto Archiepiscopi, ut in *hoc capit.* sive auctoritate & sententia Judicis ; prius restituendum esse, quam de principali causa cognoscatur. Quod ita intelligendum ; si altera parte absente, vel non audita, sententia illa probata fuerit : quod ex Jure Civili desumptum *Lege 6. Cod. unde vi & Lege 2. Cod. si per vim vel alio modo absentis turbata sit possessio*, in qua eleganter dicitur, *nec imperiale rescriptum, nec locutionem Cognitoris*, idest Judicis interlocutionem, *altera parte absente statum possessionis immutare posse*; qui omnino reformari debet, antequam principalis negotii cognitio suscipiatur. Eamque in rem elegans est *epistola* Symmachi *lib. 10. epist. 46.*

Secunda quæstio, quæ præcipue tractatur & deciditur in *hoc capitulo*, est conductioni villæ, curiæ, curtis, vel possessionis alicujus accedere jus Patronatus Ecclesiæ sitæ in dicta villa, quoties villæ annexum est jus Patronatus, & ad conductorem villæ cum universitate ejusdem villæ trans-

transire; idque exemplo venditionis receptum fuit: vendita enim universitate villæ, emptorem tacite sequitur jus Patronatus, *arg. cap.* 14. *hoc titulo;* quamvis seorsim vendi non possit *cap.* 16. *hoc tit.* quod repetitum est ex Jure Civili, quo licet religiosa loca separatim vendi non possint; si tamen modica sint, majoris partis emptioni accedunt, nisi nominatim recipiantur, idest reserventur a venditore *Lege* 22. 24. & 73. *ff. de contrahenda emptione*, & *Lege* 53. §. 1. *ff. de action. empti*, *juncta Lege* 10. *ff. de religiosis*, in quibus hæc verba notanda, *si nihil venditor nominatim exceperit*, vel *non nominatim tibi sepulcrum excepisti*, vel *exceperit locum sepulcri*, *ad hoc ut ipse posterique ejus illo inferrentur*. Quæ valde illustrant ea, quæ infra dicemus de exceptione, sive retentione, seu reservatione juris Patronatus. D. Ambrosius *lib.* 1. *cap.* 9. *de Abrahamo: Sæpe cum alienationibus possessionum venales fiunt quæ in iisdem locis sepulturæ sunt*. Idemque dicendum magis si hæreditatis, successionis, aut alio acquirendi modo per universitatem universa simul bona alicujus acquirantur; vel etiam titulo particulari, donatione, legato, vel fideicommisso, dummodo fundo vel villæ jus Patronatus sit annexum: imo etsi pignori detur, ut in celebri *capit. cum Bertoldus de sententia & re judicata*, vel si locetur & in *firmam* detur, ut in nostro capitulo dicitur: nisi tamen his duobus postremis casibus, nominatim receptum & retentum fuerit jus Patronatus a domino proprietatis, qui locavit, sicut in dicto *capit. cum Bertoldus*, & *hoc nostro*, juxta ea, quæ docuimus ex Jure Civili. Multoque magis id admittendum in Emphyteuticario, quia plus habet juris quam conductor. Habet enim jus in ipsa re, eique utilis actio in rem Jure Civili conceditur *tit. si ager vectigalis vel emphyteuticarius petatur*. Idem etiam multo magis dicendum in dotali prædio, cui est annexum jus Patronatus. Maritus enim Jure Civili dotis est dominus, quamvis non simpliciter, sed dotis causa *Instit. quibus licet alienare vel non*, & deciditur *cap.* 11. *hoc tit. in* 1. *Collect.* ex quo sumptum est *cap.* 9. *hoc tit.* Idem etiam in Doario, sive dotalio, in quo plenissimum jus utendi fruendi competit mulieri, & per consequens in quolibet fructuario habet locum: multoque magis in feudo, in quo vassallus plus habet juris quam fructuarius. Nam si non veteri jure, saltem novo feudorum ad hæredes vassalli feuda transeunt; usufructus morte fructuarii finitur.

Quod de donatione *ad firmam* attingitur *hoc cap.* Glossa ad hæc verba *ad firmam*, ait desiderari in contractu *ad firmam*, ut utile dominium transeat. Fateor equidem cum recentioribus Interpretibus nullum esse utile dominium in iure, nequidem in donatione *ad firmam*, quam sane videntur Constitutiones Pontificum confundere cum emphyteusi, & separare a locatione. Et sicut in emphyteusi & in feudo veteres Interpretes utile dominium transferri admiserunt, errore quidem primum, sed jure postea certo; ita & proclive fuit in donationibus *ad firmam* utile illud dominium extendere, per consequentias primi erroris. Nam Jure Civili certissimum est in emphyteusi jus in re quidem constitui, sed incognitum esse utile illud dominium. Locatio vero sive ad tempus, sive perpetua (quamvis perpetua proxime ad emphyteusim accedat) jus tamen in re non parit. Datio itaque *ad firmam*, de qua sæpius in his libris *cap.*

8. *de decimis in* 1. *Collectione*, *capit. a nobis de decimis Extra*, *&* *capit.* 2. *Extra de locato & conducto*, *juncto cap. ult. ne Prælati vices suas*, *&* *cap. ult. de restitutione spoliatorum*, significat certum & proprium genus contractus, quod excedit terminos locationis & conductionis. Desideratur enim ad *contractum firmæ*, ut vel ad plures annos, vel ut loquuntur, ad vitam unius vel plurium personarum constituatur, ut in *veteri quadam charta* anni 1002. in qua *manufirma* & *datio in censum* confunduntur. Verba notanda sunt; (Ecclesia duobus data fuerat ad firmam) *quisquis autem horum supervixerit alterum*, *firmiter teneat; & ut chartula per longa tempora majorem deinceps obtineat vigorem*, *manibus propriis subter eam firmavimus*. Sicut & rescripta Imperatorum divina manu subscribebantur. Unde & manufirmationis hujusmodi constitutiones, & privilegia a Regibus subscripta *manufirmæ*, & *manufirmationes* appellantur. Et hoc est quod in *dicto cap. ult. ne Prælati*, dicitur: *fide data firmavimus:* quibus verbis præterea sacramentum, sive juramentum significatur, & subscriptio manu partium facta. Itaque solebant hæc omnia in hujusmodi contractu firmæ interponi, ad plures annos, vel ad vitam unius aut plurium, certa mercede, sive pecunia constituta, vel certa fructuum mensura & modo, & partium juramento ac subscriptionibus intervenientibus constitui: unde merito firmæ nomen huic contractui tributum.

Postremo ad verba ultima *capituli* 7. notandum temporalia, quæ dicuntur pertinere Patronis, esse intelligenda de certis reditibus quotannis præstandis Patrono, de quibus nominatim tamen in ipsa fundatione convenisset. Nam post fundationem perfectam non poterat Patronus hujusmodi jura extraordinaria imponere Ecclesiæ, quam ipse fundaverat, ut doctissime Glossa observavit ad *capit. cum Bertoldus Extra de sententia & re judicata*. Qua de re plenius dicemus ad *capit. præterea hoc titulo*.

Caput 8. 10. & 11. explicavimus in *capitulo* 5.

AD CAP. IX.

IN explicatione *capituli* 7. diximus institutum qui præsentatus fuit, non tantum a vero Patrono, sed etiam ab eo qui non est verus Patronus, sed pro Patrono habetur, & est constitutus in possessione ultimæ præsentationis pacificæ, non modo non posse removeri a superveniente vero Patrono, sed etiam ei præferri, qui posterius a vero Patrono præsentatus & institutus fuerit; quamvis postea jus Patronatus evictum fuerit a vero Patrono *dicto cap.* 7. & 19. *hoc tit.* & *d. capit. cum Bertoldus de sententia & re judicata*. Nostri autem *capituli* 9. ea non est sententia, ut instituti semel in Ecclesia patronata per novos Patronos mutari non possint: qua de re nullum verbum in *hoc capitulo;* quod pertinet ad Ordinationes Ecclesiarum ipsarum earumque statum perpetuum, non autem ad temporalem mutationem personarum & Clericorum, qui ad præsentationem Patronorum semel ab Episcopo, vel alio Prælato rite fuerint instituti. Quod & nominatim exprimitur in *hoc capitulo*, hac regula proposita, *ordinationes*, *mutationes & vicissitudines Ecclesiarum ab* *Ad-*

Advocatis, ideſt Patronis, *vel aliis præſumi non debere*. Ad eam regulam exempla peti poſſunt ex *cap.* 3. 11. *&* 13. *hoc tit. & capit. inter delegatos ſupra de donationibus*, *Can. Lege Diſſ.* x. *Et in Concilio Oxonienſi* ſub Stephano Archiepiſcopo Cantuarienſi *Can. quia juxta*, *tom.* 3. Conciliorum *parte* 2. pag. 701. & Concilio Londinenſi ſub Gregorio IX. *eodem tomo parte* 2. pag. 710. his verbis. *Exigit ars noſtra catholica, ut unicus & in una Eccleſia ſit magiſter perfectus, ordine, habitu, vita, ſcientia, & doctrina; & quod pura ſit & ſimplex Eccleſiæ ordinatio. Sed objectio Diaboli multos facit in hoc dogmate deviare, dum interdum, eo ſuggerente, non tantum uni datur una Eccleſia, ſed pluribus prætextu plurium Patronorum, ut ſint plura capita in eodem corpore quaſi monſtrum.* Qui Canon valde illuſtrat *caput* 3. *hoc tit.* Quod tamen diximus Ordinationem & publicum ſtatum Eccleſiarum non poſſe mutari ab Advocatis vel aliis quibuſcunque, ita accipiendum eſt, niſi mutatio & ordinatio fiat ab Epiſcopo aut alio ſuperiori, cauſa cognita, & publica utilitate ſuadente; e. c. interveniente Epiſcopi conſenſu Laici jus Patronatus Capitulis, Collegiis & Monaſteriis donare poſſunt, & in donatione facienda antiquam immutare ordinationem, nempe ut in hujuſmodi Eccleſiis pars redituum ad Monaſterium vel Capitulum pertineat; pars vero ad Vicarium perpetuum, qui Monachorum conſilio & nominatione ab Epiſcopo debet conſtitui. Quæ portio Vicario debita ſolet appellari portio congrua, ſive ſufficiens & congrua ſuſtentatio, quam multis artibus & Monachi & Capitula imminuere tentaverunt ſemper; adverſus quos frequentes querelæ & increpationes Pontificum, ut conſtat ex *cap.* 3. 10. *&* 12. *de Præbendis;* etiam veſtigia quædam ſuperſunt in *cap.* 11. *hoc tit. in* 1. *Collectione*.

Quod vero diximus, utilitate publica ſuadente & cauſa cognita, ordinationem & antiquum ſtatum Eccleſiarum poſſe innovari: non tantum in minoribus Beneficiis, ſed etiam in majoribus, e. c. in Epiſcopatibus & Abbatiis eſt intelligendum, præcedente accuratiſſima cauſæ cognitione, & legitimis tantum modis, e. c. per unionem, translationem, incardinationem, ſive commendationem, & novam inſtitutionem vel ſedium Epiſcopalium, vel novarum Parœciarum, ut conſtat ex *Can. & quippe Cauſa* III. *Q. 6. Can.* 44. *Cauſa* VII. *Quæſt.* 1. *Can.* 48. 49. *&* 50. XVI. *Quæſt.* 1. *Can.* 41. XVI. *Quæſt.* 7. *& Can. ult.* XXV. *Quæſt.* 2. *Can.* 5. *&* 6. XXI. *Quæſt.* 1. *& cap.* 3. 5. *& ult. Extra de Eccleſiis ædificandis*. Unicum tantum illuſtre exemplum addemus ex *Codice piarum donationum* Auberti Miræi *cap. 66.* in quo Urbanus II. reddit Atrebatenſibus Epiſcopatum proprium, qui per S. Remigium Cameracenſi unitus fuerat propter urbis Atrebatenſis vaſtationem, ut conſtat ex Hincmaro *epiſt. 6. editionis Moguntinæ*. Rationem in fine Inſtrumenti reſtitutionis Sedis Epiſcopalis Atrebatenſibus hanc reddit. *Solet enim fieri, ut Eccleſiæ perſecutionis tempore ſuis ordinibus, ſuis populis, ſubſidiis etiam temporalibus deſtitutæ, aliis temporaliter committantur Eccleſiis: Poſtquam vero iis, quibus imminutæ fuerant, Domino donante, abundare cœperunt, priſtinam recipiant dignitatem.*

AD CAP. XII. XXII. XXVII.

EXposuimus sententiam trium istorum Capitulorum initio explicationis *Capituli* 1. *&* 3. *supra hoc tit.* quorum hæc est brevis sententia, Cum ab initio Patronis ad præsentandum nullum certum tempus præstitutum fuisset, posterioribus Conciliis tandem definitum fuisse, ne Ecclesiæ diutius remanerent viduatæ Pastoribus. Quamvis autem, sicut docuimus, fuerint variæ controversiæ, etiam post illa Concilia super spatio temporis; tandem placuit vetus distinctio quorumdam Interpretum Bonifacio VIII. qui definivit ut quatuor menses Patronis Laicis, & sex Patronis Ecclesiasticis ad præsentandum competant *cap. unico de Jure Patronat. in* VI. qui a die cognitæ vacationis Ecclesiæ incipiunt currere, & continui sunt, idest currunt de momento ad momentum. Quod si intra prædicta tempora cessaverint, ad Episcopum pertinet libera institutio & collatio; quamvis ejusmodi Episcopi institutio, quandocumque postea contigerit Ecclesiam vacare, non præjudicet in futurum vero Patrono. Imo hoc amplius licet institutus ab Episcopo propter cessationem Patroni intra dictum spatium, plenissimum jus habeat in Ecclesia; si tamen hoc desideraverit Patronus, cui forte controversia mota fuerat super jure Patronatus, post hujusmodi institutionem poterit institutum iterum præsentare Episcopo: quæ præsentatio nihil quidem amplius conferet instituto, proderit tamen plurimum Patrono. Primum enim ea ratione constabit Patronum esse in juris Patronatus possessione, quod maximi momenti esse docuimus ad *cap.* 7. Nam qui est in possessione ultimæ præsentationis, etiamsi non sit verus Patronus; si tamen secunda vice præsentet, & Episcopus admittat ejus præsentationem, pro hac vice præfertur vero Patrono *dicto cap.* 7. *&* 19. *hoc tit. & cap. cum Bertoldus de sententia & re judicata.* Confert etiam ad id, ne qui vicit Patronus, iterum vexetur ab eo, qui prius controversiam moverat super jure Patronatus. Et præterea ut jura Patronatus ordinaria, vel extraordinaria, quæ vel ad commodum vel ad honorem pertinere diximus; itemque moderatos reditus, quos posse in fundatione promitti fundatori diximus, ab ipso Presbytero, qui inconsulto & cessante Patrono, ab Episcopo fuit institutus, reditus percipere valeat.

AD CAP. XIII. XIV. XVI. ET XXIII.

INscriptio *Capituli* 13. *in veteri Collectione* sic concipitur; *Hospitalariis & Templariis.* Hospitalarii vero dicti sunt fratres Hospitalarii S. Joannis Hierosolymitani; qui quidem Hospitalarii e Regno Hierosolymitano Rhodum translati fuerunt, & Rhodo capta Melitam. De Templariorum vero origine & progressu ita Matthæus Paris loquitur in *Henrico I. ad annum Christi* 1117. *Viri quidam nobiles de Equestri ordine, religiosi ac Deum timentes, in manus Patriarchæ Hierosolymitani Christi se servitio mancipantes, more Canonicorum Regularium in castitate & obedientia, propriæque voluntati renuntiantes perpetuo vivere sunt professi.* Ideo Templarii dicti, *quod Rex Balduinus in palatio suo, quod secus templum Domini, eis habitaculum concessit:* Et fratres Militiæ templi vocati: *quorum pri-*

prima professio erat, ut vias & itinera ad salutem peregrinorum contra latronum insidias pro peregrinis conservarent. De utrisque vero subjungit Matthæus Paris, quod ad *hujus Capituli* interpretationem & multa alia similia pertinet: *Cum diu in honesto starent proposito, nunc adeo professionis suæ humilitate neglecta, domino Patriarchæ, a quo ordinis institutionem & prima Beneficia susceperant, se subtraxerunt, obedientiam & decimas Dei Ecclesiis subtrahentes, facti sunt cunctis valde molesti*. Postea Hospitalarii & Templarii gravissimas inimicitias susceperunt, adeo ut aliquando ad arma venerint. Idemque Matthæus Paris testatur in *Henrico III. ad annum* 1259. usque ad internecionem fere Templarios ab Hospitalariis cæsos fuisse. Quæ omnia pertinent ad sententiam *dicti Capituli* 13. quod cum *antiqua* debet conjungi sicut & *cap.* 3. 4. 5. & *præcipue* 7. 10. & 11. *extra de privilegiis & excessibus privilegiatorum*: ex quibus constat Sum. Pontifices assiduis Episcoporum & Principum conquestionibus excitatos multa constituisse adversus Templarios & Hospitalarios; imo & adversus omnes Monachos reliquos, qui sub prætextu exemptionum & privilegiorum, a Pontificibus sæpius per gratiam & obreptionem impetratorum, plurima præsumebant adversus Episcopos, Presbyteros, Laicos, & Canones non tantum in Ecclesiis Parœcialibus, quas pleno jure obtinebant, sed etiam in quibus tantum jus Patronatus quomodocunque acquisierant, vel titulo universali, vel particulari; e. c. per occasionem feudorum & villarum, quas acquisierant titulo emptionis, donationis, legati: quibus scilicet feudis & villis per consequentias jus Patronatus accedebat; sicut pluribus explicuimus supra ad *capit.* 7. *hoc tit.*

In hujusmodi itaque Ecclesiis Episcopalia jura & Parochialia & reliqua, de quibus in *Capitulo conquerente supra de Officio Judicis Ordinarii*, vel minuebant, vel denegabant omnino, eo colore quia cum ipsi exempti forent, ad dictas Ecclesias, in quibus jus Patronatus adepti fuerant, eadem privilegia conabantur extendere; adeo ut in dictis Ecclesiis Presbyteros suo nutu & arbitrio proprio instituerent & destituerent, Episcopis inconsultis, contra juris ordinem. Quæ omnia districtissime prohibentur, & alia pleraque, quæ quotidie non tantum a Templariis & Hospitalariis, sed etiam a reliquis Religiosis exemptis usurpabantur. Hujusmodi enim privilegia exemptionis certis personis, Monasteriis, sive Collegiis exemptis concessa strictissime concluduntur, nec ad Ecclesias vel Capellas eis concessas, in fraudem Episcoporum vel aliorum produci debent; nisi nominatim constet hujusmodi jura Episcopalia, sive Parœcialia ab Episcopis, interveniente consensu Capituli, fuisse specialiter concessa, *dictis Capitulis supra citatis cap.* 11. 16. 17. 19. & 21. *Extra de privilegiis & excessibus privilegiatorum & cap.* 6. & 7. *Extra de Religiosis domibus, ut Episcopo sint subjectæ*.

Ex quibus colligitur mutatione personarum & Patronorum publicum statum Ecclesiarum non idcirco immutari, sicut pluribus explicuimus ad *Capitulum* 9. Nimirum in Ecclesiis vel Patronatibus Ecclesiarum quomodocunque acquisitis, idest quolibet titulo a Religiosis, vel a quibuscunque personis Ecclesiasticis Capitulis, vel Collegiis, etiamsi sint exempti, Episcopalia nihilominus jura omnia & Parœcialia in hujusmodi Ecclesias integra conservantur, e. c. institutio & destitutio Clericorum, disciplinæ inspe-

inspectio & emendatio, visitatio, correctio & omnimoda jurisdictio in Ecclesias & personas, quæ in eis ministrant, plena denique potestas, sed in spiritualibus. In temporalibus vero, aut Patronis, aut iis, quibus concessæ fuerunt Ecclesiæ, respondere tenentur *cap. 1. 2. & ult. de Capellis Monachorum in 1. Collectione juncto can. 2. xvi. Qu. 7. & Can. 6. & 7. xvi. Qu. 2.* Excipe nisi pleno jure dictæ Ecclesiæ concessæ fuerint Capitulis, Collegiis, vel Monasteriis, idest tam in temporalibus quam in spiritualibus: quod accidit quoties in concessione Ecclesiarum, vel juris Patronatus non tantum intervenerunt Episcopi, sed etiam nominatim & solemniter Episcopalia & Parœcialia jura remiserunt; ita tamen ut accesserit Capituli consensus: alioquin irritæ erunt concessiones hujusmodi absque Capituli consensu; nisi tamen de Episcopi Romani licentia Episcopus hujusmodi concessionem fecerit. Quod novissimo jure tandem receptum fuit, contra omnium Conciliorum Canones, & antiquum & perpetuum Ecclesiæ ordinem *cap. 4. 5. 8. & penult. de iis quæ fiunt a Prælatis sine consensu Capituli, & dicto Capitulo conquerente de Officio Judicis Ordinarii, cap. auditis de præscriptionibus capit. 13. de sententia & re judicata.* In eam rem notanda *capitulum 3. §. in Ecclesiis & capit. 16. 17. & 21. Extra de Privilegiis.*

Ad plenam explicationem Capitum, quæ conjunximus, observandi sunt modi, quibus jus Patronatus acquiri solet, quos ad hæc verba hujus *Capituli 13. feudorum emptorum, aliterve acquisitorum* Glossa observat: & quatuor notat, successionem in universa bona Patroni, venditionem castri vel villæ cui inhæret jus Patronatus, permutationem, donationem juris Patronatus: adde & præscriptionem, de quibus ex parte dicere antea occupavimus ad §. 1. *capituli 5. & ad cap. 7. hoc tit.* quibus pauca addemus.

Quamvis dixerimus ex Decretalibus, quæ de juris Patronatus donationibus meminerunt, nullam mentionem fieri juris Patronatus Laico donati, sed tantum juris Patronatus donati vel Ecclesiis, & Monasteriis, vel Clericis ut in *cap. 14. hoc tit.* quia tamen vix potest ulla certa ratio differentiæ assignari in hoc articulo Laicos inter & Clericos, quibus donatur; tum etiam potissimum quia juris Patronatus habendi Laici sunt capaces; facile concesserim communi Interpretum sententiæ ad *Capitula*, quæ notavimus; non tantum Ecclesiis, Monasteriis, Religiosis, & Clericis, sed etiam sæcularibus pure donari posse. Pure, inquam, idest gratuito, absque pretio vel mercede, nullo dato vel retento, sed solius liberalitatis exercendæ gratia, sicut a Jurisconsultis perfecta donatio explicatur. Nec illis casibus expectare consensum Episcopi diœcesani, vel Sum. Pontificis necessarium est; cum nominatim hæc necessitas nullo jure imponatur, nec etiam nominatim donatio juris Patronatus ullo loco prohibita reperiatur, sed sola venditio, vel contractus accedens ad venditionem. Sufficit ne quid lucri captetur ex jure Patronatus, quod licet non sit spirituale, spiritualibus tamen adnexum est, vel ut D. Thomas loquitur, ad spiritualia ordinatum. Unde & quidam ex nostris Interpretibus veluti Selva in *libris de Beneficiis*, temporalibus juribus jus Patronatus addiderunt. Prohibitas tamen fuisse districtissime juris Patronatus venditiones ex iis, quæ supra notavimus ad *dicta capitula*, colligitur: eamque in rem notandum insigne Rescriptum Innocentii IV. quod extat in *Additamentis ad Matthæum Paridem*

dem editionis novissimæ pag. 159. & 160. quod Rescriptum scriptum est Joanni cuidam de Ordine Minorum, Nuntio Sedis Apostolicæ per Angliam. *Alienationes*, ait Pontifex, *venditiones, seu emptiones de Patronatibus vel Advocatiis Ecclesiarum, quæ cum spiritualibus sint annexæ, vendi vel emi taliter nequeunt, a quibuscunque præsumptas, vel in posterum præsumendas, irritas esse decernimus: & quicquid ex ipsis, vel ob eas circa Ecclesiarum Parœcialium statum inveneris temere immutatum, in statum debitum de plano & absque judicii strepitu revocare procures*.

Quia vero in *capit.* 13. additur, *vel alio modo jus Patronatus acquisiveritis*, quærit Glossa de modis acquirendi jus Patronatus. Et quidem tractavimus supra de modis acquirendi jus Patronatus per universitatem juris, idest successionem ad *capit.* 7. supra, & de modo acquirendi per accessionem, quando nempe castro, vel villæ, vel feudo jus Patronatus accedit. Hoc enim casu quocunque modo & titulo res principalis acquisita fuerit, sive titulo emptionis, permutationis, donationis aut legati, transit cum re principali jus Patronatus; quamvis specialiter & separatim jus Patronatus vendi non possit, ut diximus. Permutari vero separatim non admiserim facile: quod enim Glossa tentat, obtinuit tantum circa illa tempora, quibus Laici contra Canones & Jura Ecclesias & Monasteria occupaverant: quod postea sublatum esse docuimus ad §. 1. *capit.* 5. *supra*. Permutationem itaque tantum juris Patronatus cum alio jure Patronatus inter Laicos posse admitti verisimile est, accedente Superioris Ecclesiastici consensu, ne fraus & simonia sub hujusmodi contractu lateat.

Quod ad præscriptionem juris Patronatus pertinet, dubium non est, quin inter Ecclesias & Collegia hujusmodi præscriptio possit obtinere, titulo aliquo præcedente & bona fide, quæ semper exigitur Jure Canonico in præscriptionibus *cap. vigilanti Extra de Præscriptionibus*. Tempus autem quadraginta annorum requiritur. Cum vero, ut diximus, & Laici possidendi juris Patronatus sint capaces, si titulo nitantur & bona fide, quin præscribere possint jura Patronatus, nihil obstare videtur. Possessionem vero suam tam Ecclesiæ quam Clerici & Laici probare possunt, si juribus, quæ Patronis debentur, usi fuerint assidue; e. c. si ad Ecclesiam vacantem præsentaverint ordinandos Clericos, quod jus Patronatus præcipuum est; si honoribus & prærogativis Patronorum ordinariis usi fuerint, de quibus dicemus ad *Capitulum nobis hoc tit.* vel reliquis juribus Patronis debitis, per tempus legitimum, idest 40. annorum, quo tandem constitutionibus Pontificum definitum est ad præscriptionem Ecclesiasticam.

Caput 15. & 17. explicavimus ad §. 1. *capit.* 5. quibus illustrandis locum insignem Ivonis Carnotensis Episcopi addemus in *epist.* 186. pag. 319. *De emptionibus vero rerum Ecclesiasticarum, quas Monachi a Laicis faciunt, hoc tuæ Fraternitati respondemus, quia si res Ecclesiasticas de Laicorum servitute, dato pretio, liberarent, & juri Ecclesiastico & Episcopali dispositioni restituerent, non solum non improbaremus, sed vehementer laudaremus, quia non videretur esse emptio, sed a cunctis pie sentientibus laudanda redemptio* &c. *Verum quia rarus est, aut nullus, qui hæc emat, nisi suis aut suorum usibus; non est hæc appellanda pia redemptio, sed inter ementes & vendentes cupida & periculosa coemptio*.

AD

AD CAP. XVIII.

GLossa & Interpretes non conveniunt in proponenda vera specie *hujus capituli*. Et quidem donationem juris Patronatus Episcopo factam non proprio nomine, sed Ecclesiarum, quæ sibi sunt commissæ, locum volunt habere in Ecclesiis tantum, quæ in alterius Episcopi diœcesi sunt constitutæ. Quam interpretationem confirmant *Canone si quis Episcoporum* XVI. *Causa Qu.* 5. Et hoc amplius addunt eo casu esse liberum singulari privilegio Episcopis quaslibet personas arbitrio suo præsentare, adeo ut in eas non liceat inquirere alteri Episcopo, ad quem institutio pertinet: quod tamen in *dicto Canone* non dicitur. Fit enim tantum mentio Episcopi, cui jus Patronatus competit jure proprio, e. c. ex fundatione, aut dotatione, non autem de Jure-Patronatus ei donato. Præterea nulla fit mentio illius privilegii, non debere inquiri in personam, quam præsentat. Adversaretur enim juri communi & publico: & maxime interest Episcopi diœcesani idoneas tantum personas instituere. Nec etiam ulla mentio in *hoc Capitulo*, utrum jus Patronatus pertinuerit ad Ecclesias alterius Diœcesis.

Alia vero species quærenda videtur, hæc nempe ex *cap. 6. de Institutionibus Extra*, ut quamvis in propria diœcesi Episcopi Ecclesiæ sitæ sint, in quibus jus Patronatus quod donatum est habet locum; si tamen ad alium inferiorem Prælatum, e. c. Archidiaconum, institutionis jus pertineat, teneri Episcopum hujusmodi inferiori Prælato instituendum Presbyterum vel Clericum præsentare. Quod si institutio ad Episcopum pertineat, quia in ejus personam concurrere non possunt jura institutionis vel præsentationis, nec ipse sibi præsentare, sicut nec Patronus seipsum præsentare potest; separatæ enim debent esse personæ *cap. ult. de Institutionibus*: hoc casu præsentatio cessabit & extinguetur. Si vero communiter donatio facta fuerit Episcopo & Ecclesiæ, non poterit præsentare Episcopus, nisi adhibito consensu Capituli vel Collegii, ad quod jus illud communiter pervenit Patronatus. Quod & habet locum multo magis si Ecclesiis ipsis principaliter donatum fuerit, Episcopo eorum nomine donationem accipiente, ut in *hoc capit.* & aperte confirmatur in *cap.* 4. *supra de his quæ fiunt a Prælatis sine consensu Capituli*.

Quod si Episcopo & Ecclesiæ simul jus Patronatus concessum fuerit, non dubito quin quamvis Episcopus ipse sibi præsentare non possit in sua diœcesi, per Ecclesiam tamen adjunctam in donatione sustineri possit præsentatio, dummodo consenserit in nominatione Episcopus. Sæpissime enim quod per nos obtinere non possumus, per alios & propter adjunctam personam consequi possumus; præcipue quoties agitur de jure individuo, quale est jus præsentandi, argumento *Legis* 7. *ff. Qui potior in pignore*.

Explicavimus *caput* 19. in *cap.* 7. & *caput* 20. in *cap.* 4. & 7. *supra.*

AD

AD CAP. XXI.

Antequam ſpeciem hujus Capituli explicemus, quæ quidem difficilis eſt, duo ſunt obſervanda, quæ & ſupra explicavimus. Primum Laicos nullo fere jure non tantum jus Patronatus, ſed etiam ipſas Ecclefias & Beneficia pleno jure ſibi vindicaviſſe, vendidiſſe, permutaviſſe, donaviſſe, etiam inconſultis Epiſcopis; & pro arbitrio ſuo Presbyteros inſtituiſſe & deſtituiſſe. Quæ præſumptio per univerſam Europam invaluerat, ſicut oſtendimus in *cap. 4. hoc tit.* Et quidem tardius ea corruptela in aliis regnis tolli potuit; in Gallia celerius pietate Regum noſtrorum radicitus evulſa: diutiſſime vero remanſit in Anglia, ad quam pertinet *hoc capit. & cap. ſequens in* 1. *Collectione*, ſicut & alia plurima *hujus tit. & in* 1. *Collectione*.

Obſervandum ſecundo jus Patronatus, ſive Clericis ſive Laicis competat, quamvis non ſit mere ſpirituale, ſpiritualibus tamen annexum definiri *cap. 16. hoc tit.* Unde ſequitur præter nominationem Patronorum, inſtitutionem Epiſcoporum requiri; & in conceſſionibus juris Patronatus & donationibus, ſive Clericis ſive Laicis fierent, conſenſum Epiſcoporum requiſitum fuiſſe; & ſimoniæ crimen productum fuiſſe ad venditionem juris Patronatus, vel ejus per quemlibet alium contractum translationem ſive in Eccleſias ſive in Laicos, aliquo dato vel retento. Quinimo moribus quorumdam populorum receptum, ut abſque fundo cui inhæret, jus Patronatus non poſſit vendi, ac ne quidem donari; quamvis admiſerimus gratis poſſe donari jus Patronatus ſecundum ſententiam veterum Interpretum, quam merito reprobaverunt populorum conſuetudines, ne tacite & furtim obreperet ſimonia, vel quaſi ſimonia prætextu donationis, data pecunia. Diximus quaſi ſimoniam, quia jus Patronatus non eſt ſpirituale ſui natura, ſed ſpiritualibus annexum. Ex quo ſequitur vendi non poſſe, & cauſas Patronatus, ut dicitur in *capit. 3. de Judiciis*, ita junctas eſſe & connexas cauſis Eccleſiaſticis, ut non niſi Eccleſiaſtico judicio valeant definiri, & apud Eccleſiaſticum Judicem ſolummodo terminari, ſicut habetur in *capitulo 5. de Judiciis in* 1. *collectione*. Quæ quidem Capitula auctorem habent Alexandrum III. & ſcripta ſunt Regi Anglorum: quia graviſſimæ controverſiæ eo tempore cœperunt de occupationibus, donationibus, conceſſionibus Eccleſiarum, inſtitutionibus & inveſtituris earum; quæ eo tempore excitatæ fuerunt Regem Angliæ & regni Proceres inter & Epiſcopos, quorum præcipuus & acerrimus defenſor extitit Thomas Becket Cantuarienſis Archiepiſcopus ad conſervandas Eccleſiarum, quas vocabant, libertates & jura, quæ a Laicis violari & paſſim infringi ægerrime ferebant, ſicut probabimus infra. Epiſcoporum vero tuitionem & defenſionem Alexander III. ſtrenue ſuſcepit, pluribus ſuper ea re conſtitutionibus editis. Inter præcipuas autem referendum hoc *capitulum*, quod inſcribitur Archiepiſcopis & Epiſcopis per Angliam conſtitutis, & conjungendum *cap. 3. de Inſtitutionibus* ejuſdem Alexandri III. quod ſcriptum eſt Archiepiſcopo Cantuarienſi & ejus Suffraganeis, ejuſdemque Alexandri tertii

epistola 28. *ad omnes Episcopos Angliæ tomo* 3. Conciliorum *parte* 2. *p.* 517. cujus partem supra inseruimus in explicatione §. 1. *capit.* 5.

Ex iis omnibus Capitulis & plenissima historiæ fide narratio facti ita constitui potest. In Anglia plerique Clerici, qui Beneficia venabantur & captabant; vel a Laicis jus Patronatus, vel saltem a Patronis Beneficia & Ecclesias pleno jure sibi concedi ambiebant, etiam inconsultis Episcopis, vel eorum Officialibus & Vicariis, ad quos institutionis jus pertinet. Nihilominus tamen quia forte, ut solet fieri, difficiliores se præbebant Episcopi, a Laicis hujusmodi Beneficiorum possessionem facile obtinebant, occasione laicæ recognitionis & potentiæ sæcularis, in sæculari foro, sicut loquitur *Antiqua*. Investituræ enim hujusmodi & recognitiones Laicorum, inconsultis Episcopis, passim temporibus Alexandri III. in Anglia admittebantur. Quod cum Canonibus & jurisdictioni Ecclesiasticæ repugnaret maxime, tum quia institutio ad Laicos non pertinet, tum etiam quia controversiæ super jure Patronatus ortæ ad sæculares Judices jure Decretalium non pertinent, sicut infra dicemus; districtissime jubet Pontifex eos, qui a Laicis ea ratione Beneficia obtinuerint, vel jus Patronatus acquisierint, inconsultis Episcopis, ab officio & Beneficio alienos reddi, idest eos vel jure Patronatus, quod non canonice obtinuerint, vel Beneficiis & Ecclesiis, quas obtinuerant, privari; nisi resignare mallent in manibus Episcopi, vel ab eo consensum vel confirmationem obtinere. Additur in *Antiqua*, *vel nisi præscriptione muniti fuissent*: quæ verba Raymundus detraxit. Quod si & Patroni & Clerici in contumacia perseverarent, anathematis pœna damnantur, idest excommunicatione majori, sicut additur in *Antiqua*.

In prima vero parte hujus Capituli merito Interpretibus obscura videntur ea verba, *occasione laicæ recognitionis*, *non requisita Episcopi audientia*, *jus Patronatus & Beneficia a Laicis*, *inconsultis Episcopis*, *sibi præsumunt vindicare*. Ubi explicandum occurrit, quid esset illa recognitio. Et quidem primæ Collectionis vetus Interpres Alanus ex Anglia oriundus, primus attigit veram explicationem. *Recognitio vulgari Anglorum sermone est confessio terminata in Jure, vel coram testibus concessionis vel donationis facta prius de re quacumque:* quorum verborum partem Glossa refert. Recte ad Jus Anglicanum respexit Alanus, quod & apertius declaratur in *capit.* 11. *hoc tit. in collectione* 1. scripto Vintoniensi Episcopo, in quo proponitur recognitio donationis juris Patronatus Ecclesiæ, antea factæ cuidam Monasterio, in Curia & coram Episcopo Vigorniensi. Nec tantum fiebant recognitiones super proprietate & jure ipso, sed etiam super possessione, quam Saisinæ & Desaisinæ vocabulo appellant; quæ recognitiones & recordationes appellari solebant, & in Jure peragebantur. Interponebantur autem vel simpliciter, adhuc nulla lite mota, ut rei gestæ sine scripto, publica auctoritate paratam haberent probationem, quæ tantæ auctoritatis erat, ut adversus eam nulla amplius admitteretur alia probatio: vel etiam lite mota, si alter ex litigantibus inficiaretur. In hujusmodi autem recognitionibus, sive recordationibus, quæ in Jure, ut diximus, & causa cognita fiebant (*aux Assises,*) non omnes, sed certi & lege probati testes ad-

admittebantur tantum, integræ famæ, & omni exceptione majores: & præterea qui negotio & rei gestæ præsentes interfuissent, non alii quilibet: quos & ideo vocabant testes de visu & auditu, sicut in veteri Consuetudine Neustriæ apertissime explicatur *titulo du Loix qui est fait par record*. Et præterea numerus testium Lege definitus erat major vel minor, secundum qualitatem negotii de quo agebatur; duodecim, si de proprietate; octo, si de possessione, ut apertius dicemus, & juramento testium præcedente; unde & Juratores appellabantur. Idemque jus obtinebat in quæstionibus juris Patronatus, ut constat ex *tit. de jure Patron.* in quo & de proprietate & de possessione juris Patronatus tractatur; nempe quis in possessione sit præsentandi; quo quidem casu recognitiones super jure Patronatus olim duodecim Nobiles testes (*Chevaliers*) requirebant, sive Milites, ut vocabant. Postea ad Episcoporum expostulationes indultum fuit, ut si quæstio verteretur inter Laicum & Ecclesiasticum Patronum, vel inter duos Ecclesiasticos Patronos, quatuor Nobiles, sive Milites, & quatuor Presbyteri testes exhiberentur coram Regio Judice, præsente & simul considente Episcopo Diœcesano: quod concessum nominatim a Rege Philippo.

Apud Judices autem Laicos causas juris Patronatus, & recognitiones & donationes juris Patronatus Ecclesiarum fieri ægre ferebant Episcopi. Facile enim sæculares Judices admittebant hujusmodi donationes, concessiones & recognitiones, etiam non adhibito Episcoporum consensu, ad quos tamen, non autem ad Judices laicos, eam jurisdictionem & recognitionem juris Patronatus pertinere Pontificum Decretalibus sæpissime ostendimus, quamvis aliud usu receptum foret, ut diximus. Hujusmodi autem recognitionum sive recordationum frequens mentio apud Matthæum Paris ad annum 1163. in *Henrico II. In præsentia Regis Henrici apud Clarendonam, præsidente Joanne de Oxonia, de mandato ipsius Regis, præsentibus etiam Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus & Baronibus*, &c. *facta est recognitio sive recordatio cujusdam partis consuetudinum & libertatum antecessorum nostrorum*. In articulis vero singulis fit sæpius mentio recognitionum, quæ testibus auditis in judiciis & celebrioribus conventibus, quos vocabant Assisas, fieri solebant sive de proprietate ageretur, sive de possessione, quam Saisinam vocant. Post Henricum II. ad annum 1190. sub *Richardo I.* ejus successore. *Item nulla fit recognitio in foro sæculari, si charta vel alio modo eleemosynatam esse possessionem viri Ecclesiastici probare poterunt, sed ad Ecclesiasticos Judices remittuntur*. Quæ concessio vix obtinuit. Et in *Charta Joannis* ad annum 1215. *Postremæ recognitiones de nova desaisina, & de morte antecessoris, & de ultima præsentatione non capiantur, nisi in civitatibus suis*. Et iterum: *Assisæ de ultima præsentatione Ecclesiarum semper capiantur coram Justitiariis de Bancour*. Sicut autem plurimæ Constitutiones Pontificum editæ fuerunt adversus laicos Judices & Patronos Ecclesiarum in Anglia; ita etiam adversus Episcopos querelas instituebant Patroni laici: imo & etiam adversus Legatos & Nuntios Pontificios, non tantum apud Regem Angliæ, vel apud ipsum Pontifi-

 cem,

cem, nec tantum sub Alexandro III. auctore *Capitulorum*, quæ explicavimus, sed etiam ejus successoribus & perpetuo. Continuator Matthæi Paris ad annum 1247. Innocentii IV. mandatum refert ad ejus Nuntium in Anglia Joannem de Ordine Minorum. *Quidam executores super Clericorum provisionibus, dudum in eodem Regno a Sede Apostolica deputati, cum aliqua Beneficia Ecclesiastica, de quibus eisdem Clericis provideri poterit, vacare contigerit, in alienis negotiis, suæ fidei fidenter commissis, privata commoda infideliter prosequuntur; dum Abbates & Priores aliosque Ecclesiarum Patronos, ad quorum præsentationem nosiuntur eadem Beneficia pertinere, excommunicant & suspendunt, ipsos que taliter impeditos, ad ordinationem Ecclesiarum suarum procedere non permittunt, donec sibi ipsis, vel aliis consanguineis suis, vel amicis; non autem illis, quibus provideri mandavimus, a Patronis eisdem, minis & dolis interdum inductis, eadem Beneficia, seu provisiones annuæ assignentur.* Quos abusus sæpissime prohibet Innocentius IV. Continuator Matthæi ad *annum* 1260. *sub Henrico III. Dominabantur his diebus Romani & eorum Legati in Anglia tam Laicis quam Ecclesiasticis, super advocationibus Ecclesiarum multa gravamina inferentes, providentes suis Beneficia ampla vacantia, pro suæ arbitrio voluntatis; Episcopos vel Abbates aliosque Religiosos contradicentes excommunicationis sententia innodantes.* Tandem hoc sibi sumpserunt, ut libere Patronis Ecclesiasticis præjudicarent, speciali clausula de derogatione juris Patronatus. Quam derogationem neglexerunt perpetuo Laici Patroni: nec unquam in Anglia vel in Gallia derogationes Pontificum directe, sive indirecte adversus jura Patronorum Laicorum locum habuerunt.

In fine vero hujus Capituli damnatur altera usurpationis jurisdictionis Ecclesiasticæ fraudulosa ratio, quæ a Laicis frequentissime admittebatur in Anglia. Et quidem videtur incepisse occasione juris Patronatus: quare statim subjicitur in fine hujus Capituli, in quo de jure Patronatus agitur: institutos scilicet Clericos in Ecclesiis, in quibus jus Patronatus obtinebant, pro arbitrio Patroni solebant expellere; vel etiam Ecclesias possessionibus spoliabant potentiores, ut saltem in causa possessionis, sive restitutionis, *en la Reintegrande*, conventi a Clericis spoliatis litigarent coram Iudicibus sæcularibus; tum propter regulam vulgarem utriusque Juris, qua Actor sequitur forum Rei; tum vero potissimum quia causa possessionis vertitur; de qua etiam in rebus spiritualibus & Ecclesiasticis ex veteri Consuetudine Angliæ cognitio pertinebat ad Regios Judices in Anglia, sicut agnovit Alexander III. in *cap.* 7. *Causam quæ infra qui filii sint legitimi*.

In crimen sacrilegii incidere dicuntur invasores & spoliatores rerum & bonorum, seu possessionum Ecclesiasticarum, & de hujusmodi crimine, de vi bonorum raptorum aut invasionis & occupatæ possessionis apud Ecclesiasticos Judices conveniri debere spoliatores; qui & excommunicationi subduntur *Capitulo cum sit generale*, præsertim *in antiqua*, & *capite* 16. *conquestus de foro competenti*. In *dicto* tamen *capit. cum sit generale* agnoscit quidem Lucius III. Alexandri III. successor convenientius esse, ut apud Judices sæculares raptores prius conveniantur; nihilominus tamen propter Judicum sæcularium contemptum, vel negligentiam

tiam; *quia* ut loquitur, *in exhibenda justitia personis Ecclesiasticis, sæpe in judicio sunt remissi*, in favorem Ecclesiæ introductum est, ut statim agatur apud Judices Ecclesiasticos. Quod quidem jus novum ab Alexandro III. primum in casu singulari *nostri capituli* receptum est, ad puniendam audaciam & dolum spoliatoris, qui judicii mutandi causa, idest ut a Judicibus Ecclesiasticis ad Laicos cognitionem transferret, ideo spoliaverat Ecclesiam, argumento *Tituli de alienatione judicii mutandi causa facta*. Postea prætextu contemptus aut negligentiæ sæcularium Magistratuum, quem præterea semper præsumi volunt, ad Judices Ecclesiasticos omnes omnino causas spoliationem transtulerunt *dicto cap. cum sit generale*. Quod iterum jus confirmatum fuit a Gregorio IX. in *Capitulo conquestus de foro competenti*. Contrarius tamen usus perpetuo in Anglia permansit, ut nempe quocumque colore & prætextu super possessione & spoliatione vel juris Patronatus vel bonorum & possessionum Ecclesiasticarum controversia moveretur apud Regios Judices, non autem ad inferiores Judices judicium pertineret. Nec prætextu criminis sacrilegii, de quo supra, auferri sibi passi sunt hujusmodi cognitiones de possessione rerum Ecclesiasticarum. Quare iterum inter articulos, quos Episcopi Angliæ pro suis libertatibus conservandis obtulerunt Henrico III. anno 1257. secundum Matthæum Paris inter *Additamenta*, articuli super ea re plures habentur, nempe 5. 6. 7. 26. 29. 34. 35. & 40. ex quibus tres postremi apertissime explicant Decretales, quas supra explicuimus, contrario usu rejectas fuisse: & 40. articuli verba hæc notanda. „ Item si de possessionibus datis Ecclesiis vel „ Monasteriis in puram & liberam eleemosynam, vel etiam in feudum, Mo„ nasterium vel Ecclesia spolietur, committitur sacrilegium; etsi super hoc „ spoliatus conqueratur, vel Judex Ecclesiasticus officio suo contra spoliatores „ & sacrilegos velit procedere, vel super aliis injuriis proxime annotatis, „ per prohibitionem regiam impediuntur spoliatis vel oppressis justitiam ex„ hibere. Item inter articulos, quos per provisionem dicti Episcopi tunc sanciverunt observandos. *Quia igitur sæpe contingit &c.* pag. 205. & 208. Nitebantur autem Reges Angliæ non tantum jure communi, quo cognitio de possessione plurimum habet facti & temporalis videtur esse, & quia sæpissime partes contingit ad arma & rixas procedere, cujus vis coercendæ auctoritas & potestas ad solos Reges eorumque Judices pertinet. Nitebantur præterea antiquo privilegio Nicolai II. concesso Edovardo Regi 1066. his verbis. *Vobis vero & posteris vestris Regibus committimus advocationem & tuitionem loci ejusdem, idest Monasterii Westmonasteriensis, & omnium totius Angliæ Ecclesiarum, ut vice nostra cum consilio Episcoporum & Abbatum constituatis ubique, quæ justa sunt.*

Quod vero ad causas juris Patronatus spectat, antiquo etiam usu Angliæ pertinuit ea cognitio ad Judices Regios, sicut constat ex *recognitione libertatum Angliæ*, quæ sub Henrico II. solemniter in ejus præsentia & in Parlamento habita est Clarendonæ *anno* Domini 1164. occasione dissensionum & discordiarum sæpe emergentium inter Clerum & Judiciarios Regis & Magnates regni, Matthæus Paris in *Henrico II.* cui quidem libertatum recognitioni interfuit, & subscripsit etiam auctoritate Regis territus Thomas Cantuariensis. Et quidem in *articulo 1. de Advocatione & præsentatione Ecclesiarum. Si controversia emerserit inter* Lai-

Laicos, *vel inter Laicos & Clericos*, *vel inter Clericos*; *in Curia Domini Regis tractetur & terminetur*. Quem articulum, & alios quosdam in dicto Clarendonensi Conventu editos, damnavit postea Alexander III. tanquam contra libertatem Ecclesiasticam & Decretales Pontificum, ut constat ex *actis* relatis a Baronio ad *annum* Christi 1164. numero 37. Ranulphus de Glanvilla eodem tempore sub Henrico II. totius Angliæ magnus Justitiarius *tractatu de Legibus & Consuetudinibus Angliæ lib.* 1. *de placitis*, *quæ pertinent ad Curiam Regis cap.* 3. *In curia Domini Regis habent ista tractari & terminari*, *placitum de advocationibus Ecclesiarum*, &c. Et *toto libro* 4. de Advocationibus Ecclesiarum tractatur; maxime vero in *cap.* 12. *& seqq.* In quo *cap.* 12. *Notandum etiam*, *quandocunque contingit*, *quod Clericus aliquis movet alicui Clerico controversiam super Ecclesia aliqua in Curia Christianitatis*, *idest Episcopalis*, *vel Officialitatis*; *si per diversos Advocatos advocent se Clerici illi*, *ad defensionem alterius Advocatorum defendetur placitum illud in Curia Christianitatis*; *donec disrationetur*, *idest judicetur & terminetur*, *in Curia Domini Regis*, *ad quem Advocatum pertineat Advocatio ejusdem Ecclesiæ*, *& per hoc breve*. *Rex Judicibus illis Ecclesiasticis salutem*. *Indicavit nobis R. quod cum J. Clericus suus teneat illam Ecclesiam in illa villa per suam præsentationem*, *quæ de sua est Advocatione*, *ut dicitur*; *M. Clericus eandem petens ex advocatione M. Militis*, *ipsum J. coram vobis in Curia Christianitatis inde trahit in placitum*. *Si vero præfatus M. Ecclesiam illam disrationaret ex Advocatione prædicti M. palam est quod jam dictus R. jacturam incurreret de Advocatione sua*. *Et quoniam lites de Advocationibus Ecclesiarum ad Coronam & dignitatem meam pertinent*; *vobis prohibeo*, *ne in causam illam procedatis*, *donec disrationatum fuerit in Curia mea*, *ad quem illorum Advocatio illius Ecclesiæ pertineat*. Sequitur & in *cap.* 14. aliud Mandatum Regis super eadem re directum Vicecomiti in villa, in qua sita erat Ecclesia, quo jubebatur prohibere non tantum Judicibus Ecclesiasticis, sed etiam ipsis partibus litigantibus sive Clericis sive Laicis, ne super hujusmodi causis coram Judice Ecclesiastico litigarent. Et iterum idem Ranulphus *lib.* 13. *cap.* 17. 18. 19. 20. 21. 22. ex quibus constat omnes de Jure Patronatus controversias, sive super possessione & saisina, sive de ultima præsentatione, vel de ipso jure Patronatus, non obstantibus dictis constitutionibus Pontificum, ad Judices Laicos pertinuisse. Quod jus ex Gallia, & præcipue ex Neustria in Angliam a Guillelmo primo translatum fuit In Angliam, & transit una cum victore Principe, quem & jura & Leges Galliæ intulisse in Angliam testatur Eadmerus Monachus *lib.* 1. *historiæ Novorum sui temporis*; præcipue cum jus Anglicanum conveniat fere in omnibus cum veteribus Consuetudinibus Neustriæ, maxime circa jus Patronatus, ut constat ex *tit. de jure Patron. & ex Charta veteri*, quæ inserta est *tomo* 2. *Libertatum Galliæ cap.* 35. *num.* 7. *in principio*, juncto *libello*, sive petitorio Episcoporum Neustriæ, quod in veteri Consuetudine in fine *tituli de Jure Patronatus* extat, ad quod referibit Philippus Augustus post receptam, fugatis Anglis, universam Normanniam, scilicet anno Domini 1204. Anno enim 1205. Philippus Augustus ab Episcopis & Baronibus Neustriæ aditus, & utrorumque relationibus ad se perlatis, dictam chartam super jure

Pa-

Patronatus videtur promulgasse; quamvis nominatim annus non fuerit adscriptus in *dicto Rescripto* Philippi, nec in relatione Episcoporum, sed in Baronum tantum. Unde in *dicto Rescripto* Philippi pro *Guillelmus Archiepiscopus Rothomagensis*, legendum *Gualterus*, ex fide historiæ. Quo quidem rescripto præter jus antiquum, quo soli sæculares Judices judicabant de advocationibus Ecclesiarum, & testes duodecim ex sæcularibus admittere solebant generaliter; sive inter Laicos, sive inter Clericos tantum, sive inter Laicos & Clericos disceptaretur: indulsit tamen Episcopis Neustriæ Philippus, ut si inter duos Clericos, de jure Patronatus oriretur quæstio, Episcopus vel delegatus ab Episcopo una cum Baillivo Regio judicaret, & ut quatuor Milites & quatuor Presbyteri viciniores testes adhiberentur. Plurima enim benigne Episcopis & Clero Neustriæ concessit, & restituit. Guillelmus Brito *lib.* 8. *Philippidos*.

Rex malens bonus esse malis, assuescat amando
Ut sibi paulatim populos, ne se peregrinis
Consuetudinibus arctari forte querantur;
Judicia & Leges non abrogat: imo tenenda
Omnia confirmat generaliter, hactenus illis
Observata, quibus non contradicit aperte
Jus, aut libertas non deperit Ecclesiarum.

Angli tamen jus antiquum retinuerant, adeo ut Ostiensis *tit. de foro compet. num.* 11. ad *capitulum quanto de Judiciis* notet, quod quicquid dicat hæc litera, in curia ejusdem Regis contrarium de facto judicatur. Quod nec prætermisit Auctor anonymus eruditi *libri de antiquitate Britannica Ecclesia in vita* Thomæ Cantuariensis, quem immerito tamen & falso traducit. In Gallia vero nostra idem jus perpetuo obtinuit, unde & in Angliam translatum. Et in Pragmatica S. Ludovici adversus novas Pontificum Constitutiones & praxim Curiæ, cautum his verbis. *Ut Ecclesiarum regni nostri Prælati, Patroni & Beneficiorum Collatores ordinarii jus suum plenarie habeant, & unicuique sua jurisdictio servetur.* Et iterum sub Philippo Pulchro ea de re certatum; & a parte Regis acerrime propugnatum, quod in partibus plerisque regni Franciæ ad ipsum dominum Regem, & ejus curiam cognitio pertinere dicatur ex consuetudine antiqua, tantis inconcusse servata temporibus, ut de contrario memoria non existat *tom.* 2. Libertatum Galliæ *capite* 7. *numero* 9. & ibi notata, & *numero* 22. & iterum *cap.* 24. *numero* 7. in fine & *cap.* 35. *numero* 7.

Quod si Christianorum Imperatorum Constitutiones inspiciamus, ab illis potissimum jus Patronatus fundatum & constitutum docuimus initio *hujus tituli:* imo & Episcoporum negligentiam circa exequenda jura fundationum Imperatores, & eorum Judices suppleviſſe constabit. Quod & antiquis Canonibus proditum in *Can.* 31. XVI. *Quæst.* 7. ex Concilio Toletano, ibi: *Si autem Metropolitanus talia gerat, Regis hæc auribus intimare non differant.* Et in Synodo Romana sub Leone IV. apud Luitprandum de *vitis Pontificum Can.* 24. *Si in sæcularium hominum jure constituta sunt Ecclesiæ, si admoniti ab Episcopis Presbyteros infra trium mensium spatium ibidem neglexerint constituere, absque neglectu Principis urgeat Episcopus, ut ejus sententia emendetur*, idest ut Principis sententia

& a

curatio & facultas nominandi & præsentandi nomine Patroni, nondum vacante Ecclesia facta, omnino nulla est & irrita *cap. ult. de concessione Ecclesiæ*. Ad id autem quod dicitur elapso tempore Canonibus indulto Patronis ad præsentandum, ad Ordinarium liberam institutionem & collationem omnino pertinere, additur in *cap.* 12. supra, institutum ab Ordinario iterum a Patrono (dicis causa) esse præsentandum. Quod eo pertinet, ut postea vacante Beneficio, in possessione præsentandi Patronus qui vicerit, in possessione juris Patronatus constitutum se docere possit. Nec enim ex institutione libera Episcopi, vel propter negligentiam, vel propter litem exortam, ullum præjudicium in posterum Patronis generatur *cap.* 2. *de supplenda negligentia Prælatorum in fine*. Præterea ad hoc prodest nova illa præsentatio, ut si quid ab antiquo Patrono jure præstari convenerit, compellatur præstare, sicut probavimus ad *cap.* 22. supra. Ex quibus constat desumptum, quod in *veteri Consuetudine* Neustriæ latius in fine *tituli de Jure Patron.* adnotatur eruditissime. *Sciendum est, quod si aliqua Ecclesia per sex menses vacaverit, post habitam notitiam de decessu Rectoris illius, & communiter publicatam, Ordinarius loci eandem dare poterit cui voluerit, nec ejus collationem Patronus illius poterit impedire, sive ex contentione mota de jure Patronatus, sive ex negligentia Patroni vacaverit. Lite tamen terminata, qui jus Patronatus obtinuerit, fidelitatem de Rectore percipiet instituto*. Quæ fere omnia in novam Consuetudinem translata fuerunt: cujus juris postremi hanc rationem vulgo reddunt; quia sicut feudum vassallus tenet a domino, ita & Beneficium Rector ex liberalitate Patroni, qui fundavit Ecclesiam, percipere intelligitur.

AD CAP. XXIII.

HOc nostrum capitulum sicut notatur in *antiqua Collectione*, prima pars est *capituli ad abolendam* 11. *de hæreticis in eadem Collect.* 1. cujus etiam particula refertur in *capit.* 9. *infra de hæreticis*: & utrumque fere integrum continetur in *dicta Collect.* 1. Raymundus enim multa sustulit & detraxit. Desumptum vero fuit utrumque Capitulum ex insigni & generali *Constitutione* Lucii III. quam in *antiqua* ait, Imperatoris Friderici præsentia & vigore suffultam, & de communi consilio fratrum, idest Cardinalium, aliorumque Patriarcharum, Archiepiscoporum, multorumque Principum profitetur edidisse in ipsa *dicta Constitutione generali*; in qua primum novas hæreses, quæ plurimæ illo tempore subortæ fuerunt, præsertim in Aquitania, anathemati subjicit, cujusmodi erant Cathari, & Albigenses, ut constat ex *cap.* 6. 7. & 10. *in* 1. *Collectione tit. de hæreticis*. Post damnationem hæreticorum adjunxit Sanctiones, quæ continentur in hoc *capitulo* adversus præsumptiones & usurpationes sacrilegas eorum, qui prætextu Advocationis, Patronatus, Vicedominatus, Guardiæ, sive custodiæ, aut alio quocumque nomine, exactionibus Ecclesias & eorum homines solebant prægravare: quibus præcipit, ut præter antiquos & moderatos reditus, in ipsa fundatione constitutos, & ab Episcopis probatos, nihil exigere possint. Quod & ante Lucium III. sæpius prohibitum fuisse ostendemus. Deinde quia hu-

potuisse frequentissimæ Constitutiones, posterioribus temporibus repetitæ apertissime declarant *cap.* 13. *&* 26. *hoc tit. in* 1. *Collectione cap.* 3. 4. 15. *hoc nostro tit. cap.* 2. *de supplenda negligentia Prælatorum cap.* 8. 9. *&* 15. *Extra de censibus*. In quibus adversus hujusmodi usurpationes, rapinas & varias exactiones Patronorum, sive Laicorum, sive Ecclesiasticorum, & præcipue Monachorum, utiliter multa constituuntur. Et in *cap.* 7. *supra de statu Monachorum* in fine, *cap.* 11. *de pœnis*: quæ duo Capitula petita sunt ex Concilio generali Lateranensi sub Innoc. III. & in quibus statuitur, ut non tantum Patroni, sed Advocati aut Feudatarii, seu Vicedomini, aut alii Beneficiarii alicujus Ecclesiæ, id-est qui feudum, sive Beneficium, vel aliam similem administrationem quocunque titulo aut nomine obtinent in Ecclesia vel Monasterio; non præsumant dictas Ecclesias vel Monasteria in rebus aut personis offendere, sed eas tueri & defendere teneantur, juxta munus sibi injunctum. Quinimo Gregorius X. in Concilio generali Lateran. Constitutione generali, quæ extat *cap.* 13. *de Electionibus in* VI. sancivit, ut nemo quantæcunque dignitatis honore præfulgeat, Regalia, Custodiam, sive Guardiam, Advocationis sive defensionis titulum in Ecclesiis, Monasteriis, seu quibuslibet aliis piis locis de novo usurpare studens, bona Ecclesiarum, Monasteriorum, aut locorum ipsorum vacantium occupare præsumat. Quod vero pertinet ad reliquos, qui ab ipsarum Ecclesiarum cæterorumque locorum fundatione, vel ex antiqua consuetudine hujusmodi jura sibi vindicant, ab illorum abusu præcipiuntur abstinere, eisque injungitur, ne bona, quorum se asserunt habere custodiam, dilabi permittant, sed in bono statu conservent. Præter antiquos igitur & moderatos reditus, vel in fundatione ipsa consensu Episcopi constitutos, vel ex antiqua consuetudine receptos, quidquam ab Ecclesiis, vel Monasteriis exigere prohibentur, sicut supra ostendimus ad *capit.* 7. *hoc tit.* Quod & ad *hoc capitulum* Glossa pluribus confirmavit.

Superest ut aliquid dicamus de variis Titulis, de quibus *hoc capitulo*. Et quidem primum de jure Advocationis, quod merito separat *hoc capitulum* ab ipso Patronatu: quamvis sæpe in *hoc titulo* Advocati & Advocationis nomen pro Patrono & jure Patronatus accipiatur. In fine *Paratitli* explicavimus, quinam primum, & quales primis temporibus Ecclesiarum Advocati constituerentur Jure Canonico veteri & constitutionibus Imperatorum; qui nempe ad tuendas & defendendas Episcopatuum & Monasteriorum causas in foro coram publicis Judicibus assumebantur de numero Causidicorum. Procedente autem tempore, hujusmodi Advocatis exercendæ jurisdictionis potestas & facultas permissa est, & data ab Episcopis & Abbatibus in villas & oppida, quæ liberalitate Regum & Magnatum eis concessa fuerant, jure optimo maximo (*Droits de Justice & Seigneurie*) eisque Advocatis certa constituta salaria de reditibus Ecclesiæ, & pars mulctarum, quæ temere litigantibus solent infligi, eis tributa, sicut ex locis infra citatis manifeste constabit. Adrebaldus Monachus Floriacensis *lib.* 1. *de Miraculis S. Benedicti cap.* 25. *lib.* 3. *cap.* 13. *& lib.* 4. *cap.* 6. Concilium Moguntinum sub Leone III. & Carolo Magno *Can.* 5. *tomi* 3. Conciliorum Galliæ *parte* 2. pag. 202. Concilium Rom. *Can.* 19. *&* 20. Legum Longobardorum

 lib.

lib. 2. *tit.* 47. *de Advocatis & Vicedominis Lege* 3. 4. 5. 6. 7. 8. & 9. In qua *L.* 9. ratio hæc refertur Constitutionis hujusmodi Advocatorum, *quia Episcopi & universi Sacerdotes ad solam laudem Dei & bonorum operum actionem constituuntur*, nec debent negotiis sæcularibus implicari. Et quidem notandum Legem 3. ex supra citatis, exscriptam esse ex dicto Concilio Moguntino sub Leone III. & Carolo Magno. Et iterum *lib.* 3. dictarum Legum *titulo*, *Qualiter judicium inter Episcopum & privatum fieri debeat*, *Lege unica*. *Statuimus*, *ut ubicunque Episcopi substantiam habuerint*, *Advocatum habeant in ipso Comitatu*, *qui absque tarditate justitiam faciat & suscipiat*. Adeoque invaluit, & augeri cœpit hujusmodi Advocatorum auctoritas & potestas, ut eorum arbitrio & nutu fere omnia negotia Ecclesiastica transigerentur: imo & in eorum manibus renuntiationes, sive resignationes fiebant. Quod prohibetur tanquam Canonibus contrarium in *Can. Gonsaldus* XVII. *Quæst.* 2. & *Can. Salvator* 1. *Qu.* 3.

Solebant autem hujusmodi Advocati constitui, vel ab ipsis Fundatoribus in Charta fundationis, vel ab ipsis Ecclesiis & Monasteriis eligi, & advocari ad tuitionem & defensionem earum, certis reditibus & juribus eis assignatis in bonis Ecclesiarum, vel etiam aliquando Beneficiis & feudis eis concessis. Advocatorum autem constituendorum variæ formæ fuerunt, conditiones & jura, nempe pro arbitrio & voluntate Fundatorum, sicut constat ex variis fundationum *Chartis*. Reges enim & Principes ipsos solebant Fundatores, tanquam majores Advocatos, constituere, quibus adjungebant Subadvocatos, qui eo munere in actu fungerentur, idque vel ad tempus, vel ad vitam, vel in perpetuum, interveniente tamen Episcoporum vel Abbatum consensu, & confirmatione præterea Imperatorum & Regum accedente. Quæ omnia colliguntur ex *Codice piarum donationum* Miræi *cap.* 32. 33. 34. 62. 72. 76. 83. 95. 173. 176. Et quidem in *cap.* 95. enumerantur varia jura illicite præsumpta & usurpata ab Advocatis his verbis: *Exactiones*, *tallias*, *quas quidem precarias vel petitiones nominant*, *vel accubitus vastatorios* (Droit de giste, sive jus procurationis in Jure Canonico; in nostro *capit.* Albergarias, sive Alibergarias) *regia censura contradicit Advocatis*. Idem Miræus in *Codice diplomatum Belgicorum cap.* 17. 32. 34. 35. Nauclerus *generatione* 27. *in fine* refert *Chartam* Caroli Magni, qua Ulmensis Monasterii Advocati officium, merces, salaria & proventus intra certum modum rediguntur & præscribuntur. Nimia vero postea potentia elati, multa in ipsas Ecclesias earumque homines & bona præsumpserunt, ita ut in ordinem cogi non tantum Conciliis & Sum. Pontificum Constitutionibus, sed etiam Imperatorum & Regum auctoritate & auxilio necesse fuerit, sicut indicatur in *locis citatis*, & ex *Chronico Cameracensi lib.* 3. *cap.* 57. & 62. & in *Chronico Hirsaugiensi* Trithemii in Chartis donationis & restitutionis illius Monasterii, Imperialibus codicillis confirmatis, in quibus specialiter enumerantur legitima jura, quæ præstantur Advocatis Monasteriorum, & illicita prohibentur dicti *Chronici pag.* 8. 86. 123. & 127.

Cœperunt autem procedente tempore hujusmodi Advocati propter varias injurias & vexationes in odium publicum incurrere, quod supra pluribus

ribus exemplis confirmavimus: quibus addimus Eugenii III. in Concilio Remensi *Canonem 6. tom. 3.* Conciliorum Galliæ *parte ultima* pag. 656. anno 1146. his verbis. *Auctoritate Apostolica Prohibemus, ut nullus Advocatus præter jus & Beneficium antiquitus constitutum sibi, aliquid accipere vel usurpare præsumat. Subadvocatus vero & exactores eorum modis omnibus ab Ecclesiarum infestantibus removeri præcipimus.* In eandem sententiam scribit Innocentius III. *lib. 14. Registri epist. 123. & 124. 126. 127. & lib. 15. epist. 81. & lib. 16. epist. 22.* & 159. in quibus vexationibus, procurationibus annuis, injuriis & damnis Monasterii Virziliacensis, ab Herveo Comite Nivernensi illatis tractatur: propter quæ a Sum. Pontifice excommunicatus fuerat, & sæpius a Philippo Augusto increpitus, tandemque in *dicta epist.* 159. refertur concordia inita inter Abbatem & Conventum & dictum Comitem & Comitissam Nevernensem, eique Advocationis nomine certa summa præfinitur, duabus pensionibus quotannis solvenda, *si ipse ejusque successores ad supradictum Monasterium accederent ad protectionem ejusdem secundum quod de jure tenentur, dantes operam efficacem.* Ad cujus compositionis, sive transactionis majorem cautelam & observantiam Pontifex addit, *Faciant hoc per carissimum in Christo filium nostrum illustrem Regem Francorum auctoritate Regia confirmari.* Sicut enim supra diximus, necessaria est confirmatio. Non dissimilis extat Gregorii III. epistola ad Archiepiscopum Coloniensem & ejus Suffraganeos *tom. 3.* Conciliorum Galliæ *parte ultima* pag. 699. his verbis. *Cum plerique Advocati Ecclesiarum Advocationis obsequium convertentes in dominationis abusum, Ecclesias ipsas opprimant & affligant; Fraternitati vestræ mandamus, quatenus Ecclesias vestrarum Diœcesium, humano amore ac mundano timore postpositis, ab Advocatorum vexationibus defendere studeatis &c. Ad hæc si quas Advocatias vacare contigerit, expresse jubeatis Ecclesiis, ad quas spectant, ne illas conferre præsumant, sed suis curent usibus applicare. Illud districtius inhibentes, ne una Ecclesia plures Advocatos assumat; cum ministerium Advocatorum hujusmodi, quod ad Ecclesiarum tranquillitatem noscitur fuisse provisum, ad vexationem ipsarum per eorum usurpationes constet esse conversum.* Et simili ratione prohibita venditione, pignoratione & donatione Advocatiarum extraneis: receptum tamen est, ut advocationes donari & pignori obligari liceret ipsis Ecclesiis, a quibus & ad quas exortæ fuerant & pertinebant Advocationes hujusmodi, *Constitutione* ejusdem Gregorii III. & quidem etiam cum hac conditione, ut durante causa pignoris, fructus & reditus Advocationum in suos usus converterent, nec in sortem imputarent. Facilius enim redduntur res propriæ naturæ. Præterea compensantur hujusmodi fructus cum servitio, quo pro Advocatiis tenentur Advocati, & a quo interim pignore durante, sunt immunes *cap. unico de pignoribus in 5. Collectione*, & argumento *Capituli 1. Extra de feudis.* Quæ omnia valde illustrant plerosque Canones & alios Scriptores.

Non valde distant ab Advocatis Vicedomini. Quare sæpius in Canonibus & Constitutionibus supra citatis, & passim apud alios Scriptores conjunguntur. Olim vero Vicedomini appellabantur illi, quibus Episcopi, vel Abbates, vel majores Prælati bonorum & possessionum Ecclesiasticarum administrationem, curam & tuitionem committebant, qui &

Oeco-

Oeconomi, Procuratores, Præpositi, sive Dispensatores & Majores-domus solent appellari. Dicti Vicedomini, quia vices Episcoporum & Abbatum in temporalibus gerunt, sicut tutor in jure Vicedominus appellabatur in *Lege* 157. *ff. de Regulis juris*. Qui olim Vicedomini non ex Laicis, sed ex Clericis probatis secundum Canones eligi debeant *tota dist.* LXXXIX. Procedente tamen tempore compulsi fuerunt, potentiores & Magnates Laicos Advocatos sibi eligere tam propter publica, quam privata bella & invasiones ac prædas potentiorum. Quibus Advocatis & Vicedominis certos reditus & feuda pro mercede & honorario concedebant, aliquando ad tempus, vel ad vitam, vel in perpetuum, etiam eorum posteris. Qui Vicedomini, sicut & Advocati, graves tandem & molesti esse cœperunt ipsis Episcopis, Ecclesiis & Monasteriis. Occasione enim & prætextu administrationis bonorum Ecclesiarum abutebantur jure suo, & feudorum aliquot, quorum administrationem tantum habebant, proprietatem usurpabant: cujus dignationis plurima in Gallia vestigia supersunt, & vulgo vocantur, *Vidames*.

Quod ad jus Custodiæ, sive Guardiæ pertinet, de quo in *hoc Capitulo* ita describi potest, jus quod vacantibus Ecclesiis, mortuo Episcopo, vel Abbate, aut Prælato majori, ex antiquissima consuetudine competit Imperatoribus, Regibus, & summis Principibus utendi, fruendi reditibus & fructibus omnium bonorum & possessionum Ecclesiasticorum vacationis tempore. Quod jus nominatim in Concilio Lugdunensi generali fuit confirmatum *capit.* 13. *de Electione in* VI. in quo hic modus præfinitur, ut tantum fructus & reditus vacationis tempore provenientes suos faciant, & a reliquis usurpationibus abstineant, nec cætera bona, quorum sibi afferunt custodiam, dilabi permittant, sed in bono statu conservent. Quod jus concessum fuit ratione protectionis & tuitionis, quam Ecclesiis impendunt: Quod in veteribus Legibus & Capitularibus & apud antiquos Scriptores rerum nostrarum *Mundeburde* solet appellari. Vulgo vocamus *Jus Regalium*, quod esse antiquissimum, & cum Imperio Gallicano natum probavimus ad *titulum de Electionibus*, & ab ipsis Sum. Pontificibus, ab Innocentio III. & a Gregorio X. duabus specialibus constitutionibus confirmatum; imo ex Gallia translatum in Angliam a Guillelmo I. Cujus juris certas probationes ibidem attulimus ex *cap. 6. de Jure Patronatus in* I. *Collectione*; cui addimus *cap.* 3. *de Institutionibus*, & ibi Molinæum. Quod jus frustra aliquando impugnare magno suo incommodo Bonifacius VIII. tentavit sub Philippo Pulchro, cui & Galliæ fuit infensissimus. Competit tamen jus illud Custodiæ, dummodo recte & boni viri arbitrio rebus & possessionibus Custodes utantur, fruantur: quod *d. capitulo* 13. *de Electionibus in* VI. præscribitur; ita ut bonis & proprietati damnum & vastatio non inferatur: quod in hoc *nostro Capitulo* repetitur, idest abusus omnis vetatur. Quam in rem insignis est vetus constitutio Latina Philippi Pulchri an. 1301. in qua enumerantur abusus, & præscribitur expressissime modus utendi, fruendi.

Est & aliud jus Custodiæ, quod Episcopis, vel ex concessione eorum & longa consuetudine aliquando in quibusdam provinciis Archidiaconis competit, quod est hujusmodi, ut in Beneficiis, quorum institutio ad eos pertinet, jus habeant vacationis tempore fructus & reditus omnes

per

percipiendi, & in suos usus convertendi, deductis necessariis impensis, quæ vel Ministris, qui sacra interim peragunt, vacationis tempore solent præstari; vel quæ ad refectionem, tuitionem & conservationem ædificiorum, & possessionum Ecclesiasticarum cultum desiderantur: cum tamen jure communi & veteri Canonum fructus vacantium Ecclesiarum & reditus Beneficiorum vel in alimenta eorum, qui ministrant vacationis tempore; vel in usum & utilitatem ipsius Ecclesiæ cedant, de cujus possessionibus percipiuntur. Quod si aliqui præterea supersint, futuro successori conservandi sunt ab Oeconomo viduatæ Ecclesiæ *Can.* 25. Chalcedonensi, qui refertur a Gratiano in *Can. Quoniam quidam Dist.* LXXV. ad cujus explicationem & confirmationem pertinent *Can.* 43. 46. 47. & 48. *Causa* XII. *Qu.* 2.

Illicitas postremo exactiones, quas Patroni & Vicedomini exigebant ab hominibus Ecclesiarum, tanquam a propriis rusticis, & novis & variis nominibus exprimebant, enumerat hoc Capitulum Fodrum, Albergarias, Regium. Regii nomine Glossa tributum significari ait, quod Regi penditur. Hoc loco generaliter tributum significatur; capitationem Latini vocant, idest tributum pro capite. Fodrum proprie pabulum jumentorum, & alimenta pecorum significat. Proprio nomine recentiorum Imperatorum constitutionibus & aliis scriptoribus vocantur Capita; unde *titulus libri* 1. *Cod. tit.* 52. *de Annonis & Capitatione*. Annonas separat, quæ sumptus sunt hominum, & ex horreis publicis a Republica Magistratibus suppeditabantur.

Fodrum itaque, sive capitum recentioribus Latinis, significat quod vulgo dicimus *fourage*. In *Constitutione* Conradi *lib.* 5. *feudorum cap.* 1. *editionis* Cujacii. *Fodrum autem de Castellis, quod nostri Antecessores habuerunt, habere volumus. Illud vero, quod non habuerunt, nullo modo exigimus*. Significatur itaque hoc loco fodri nomine, vel præbitio pabulorum in specie, vel adæratio, sive certa taxatio pecuniæ & summæ pro fodro & pabulo præstanda. Hincmarus in *Capitulis suis* anni 877. sub Carolo Calvo, *Neque ducatis superfluos homines, per quos illos gravetis in cibo & potu, & fodro ad caballos. Capitularia* Caroli Calvi pag. 140. in quo loco idem statuitur, quod in hoc Capitulo, ne in exigendis fodris & annonis præter antiquum & receptum morem quidquam exigatur. Quamvis aliquando fodri nomine latissime sumpto annonæ militares sumantur, auctor *vitæ* Ludovici Pii, *Inhibuit a plebeis ulterius annonas militares, quas vulgo fodrum vocant, dari & fodrari*. In *Capitularibus* Caroli Magni appellantur *fodrarii*, qui hujusmodi annonas exigebant. Vide doctissimum Sirmondum in *Notis ad Capitula* Caroli Calvi pag. 26.

Albergariæ vero vocantur non longe dissimili sensu hospitii & annonarum præbitiones, quæ iter facientibus conceduntur. Heribergariam etiam, Heribergum & Heribergare promiscue usurpantur a dictione Germanica, quam usus Gallicam fecit. Apud vetustiores scriptores nostros paramentum vocari solet, & paratas facere pro eodem in *Capitulis* Caroli Calvi pag. 196. & in *Notis* pag. 48. Paratæ dictæ a parando, sive præparando. Hincmarus ad Laudunenses Presbyteros, ne Mansionaticos suis amicis, aut suis hominibus a Presbyteris parari faciat. In Jure & apud bonos auctores Metata, mansiones & hospitia (*Logement:*) recen-

recentioribus jus gistæ & accubitus, metata & epidemetica vocantur *lib.* 12. *Cod. tit.* 41. quorum occasione & prætextu vetantur Præsides provinciarum & Magistratus ultra licitum modum provinciales onerare *Lege ult. dicto tit.* 41. *de metatis*. Procurationes postea in Jure Canonico sæpius appellari cœperunt, de quibus in *tit. de censibus exactionibus & procurationibus*, quas Advocatis non pro arbitrio & sæpius, sed certis tantum & statis temporibus, & secundum antiquum modum exigere licet. Et quidem tantum eo tempore, quo defensionis & tuitionis causa, vel juris dicendi villas & possessiones Ecclesiasticas circumeunt, sicut supra ostendimus & probavimus ex *Rescriptis* Innocentii III. Potissimum vero inspiciendum, si modus procurationis & expensarum in fundatione fuerit expressus, argumento *capituli* 16. *infra de censibus*. Idemque statutum circa Episcopos, Archidiaconos, Abbates & alios, qui visitationis jure Ecclesias invisunt: imo & Delegatis S. Pontificis, quibus & comitatus & expensarum certus numerus & modus Canonibus sæpissime definitus fuit *Can.* 6. 7. & 8. & *seqq. Causa* x. *Quæst.* 3. & *cap.* 6. 16. 17. 21. & 23. *infra de censibus*, *exactionibus & procurationibus*.

Caput 24. exposuimus supra in prima parte *cap.* 5.

AD CAP. XXV. ET XXX.

RElpondet Clemens III. ad duas quæstiones sibi propositas, quæ apertissime proponuntur in *antiqua Decretali*, idest in *cap.* 2. *hoc tit. in Collectione* 2. Prima est an sola Ecclesiæ constructione aliquis afficiatur Patronus. II. quæstio, utrum ad electionem Plebani seu Rectoris in Ecclesia Conventuali vel Collegiata cum Clericis Patronus admitti & interesse debeat, vel an debeat excludi; quamvis ex longa consuetudine allegaverit se electioni interesse debere.

Quod ad primam respondet, si cum Episcopi diœcesani consensu ædificata fuerit Ecclesia, ex eo solo jus Patronatus acquiri; quamvis nominatim fundator jus præsentationis sibi non exceperit, idest reservaverit. Competit enim jure communi præsentatio omnibus fundatoribus, quod supra probavimus sæpius, maxime in fine explicationis *capituli* 1. 2. & 3. & confirmatur *cap. ad audientiam de Ecclesiis ædificandis & reparandis*.

Ad secundam vero quæstionem respondet, tractandæ electioni Plebani vel Prælati, qui eligendus est ab omnibus, qui sunt ejusdem Conventus, Corporis, vel Collegii, sive sint Clerici, sive sint Monachi, Patronum se interponere non debere, sed tantum peractam & publicatam electionem illi esse offerendam, ut assensum præbeat; quem si deneget, rata nihilominus maneat electio *cap.* 1. 3. 18. 51. & 56. *supra de electione*. Subjicitur tamen hæc exceptio: *nisi aliter de sua jurisdictione obtineat*, Patronus scilicet. Quæ verba turbant Interpretes, eaque varie interpretantur. Rejectis reliquis, ea sola videtur vera: nisi ab initio in ipsa fundatione, interveniente consensu Episcopi, ita firmatum & constitutum fuerit jus Patronatus, ut Patrono vel electioni faciendæ liceret interesse, & jus suffragii habere una cum Clericis; vel etiam, quod majus

majus est, ut ei competeret jus præsentationis & nominationis Prælati in Ecclesia Conventuali vel Collegiata. Quod & jure veteri obtinuisse probat *Canon Abbatem* XVIII. *Quæst.* 2. & ibi vetus Interpres in hæc verba, *possessionis dominus poposcerat*, & *Can.* 33. *&* 34. XVI. *Quæst.* 7. Molinæus in *Notis ad hoc capit. Jurisdictio in hoc cap. late sumitur pro dignitate, majoritate, auctoritate & potestate, sive præeminentia, quæ Patronis competit.*

Ex intervallo vero & postquam fundatæ semel fuerunt Ecclesiæ, hujusmodi jura non possunt obtineri; nec si suffragetur longa possessio, sicut ex *hac Decretali in antiqua* constat. Opus esset præterea S. Pontificis privilegio, nec Episcopi consensus sufficeret. Qua de re plenius scripsimus ad *titulum de Electionibus in cap.* 5. *&* 51. Itemque quod in *hoc cap.* de honore processionis dicitur, idest de Jure publico procedendi & sedendi loco honoratiori, in *Paratitulo* exposuimus; sicut & de alimentis inopi Patrono præstandis & ejus posteris secundum veteres Canones. Intelligit vero *Canonem quicumque* XVI. *Quæst.* 7. ad quem *Can.* ea de re diximus. Quæ quidem jura omnia Patronatus, sola præsentatione excepta, sicut diximus, competunt etiam Fundatoribus Ecclesiarum Collegiatarum, seu Conventualium, sive nominatim ea jura sibi exceperint in ipsa fundatione, sive non. Satis enim jure communi subintelliguntur. Quoniam autem sæpius Collegiatarum & Conventualium Ecclesiarum mentionem fecimus, in quibus præsunt Rectores, sive Plebani, aliquid de his dicendum.

Conventualis sive Collegiata Ecclesia vocatur, quæ constat ex pluribus Clericis, sive Monachis, quibus publica auctoritate Superiorum, tam Ecclesiasticorum quam sæcularium jus concessum est in unum conveniendi, & Collegium sive Conventum constituendi; nempe ut commune jus fraternitatis habeant, commune jus suffragii, Capituli, arcæ communis, Syndici, jus condendorum statutorum, jus mulctæ, & communis sigilli, sicut vulgo notant ad *capit.* 11. *de Constitutionibus*, *ad capitulum nostrum &* 30. *infra*, *& ad capit. Dilecta de excessibus Prælatorum & capit. Cum Ecclesia Sutrina* 3. *de Causa possessionis & proprietatis*. Quibus etiam competit de corpore & gremio Ecclesiæ suæ Prælatum eligere; sive is sit Plebanus, si Ecclesia parœcialis fuerit, sicut in nostro *capit. nobis & in cap.* 1. *de electionibus* (cui in *dicto capit. nobis* opponitur capella, in qua Rector solus constituitur); sive etiam Ecclesia Collegiata non sit parœcialis, sed communibus suffragiis Præpositus, vel Decanus eligatur. Sunt & quædam parœciales Ecclesiæ, in quibus plures quidem Clerici habitant, sed non habent jus Collegii: quibus unus Rector præest, sive illi Clerici habitent in eadem Ecclesia cum Rectore, sive per minores Titulos & Capellas: qui omnes debent obedientiam, reverentiam & honorem omnem Rectori Matricis Ecclesiæ, qui idcirco Cardinalis Presbyter, idest principalis, & aliquando Archipresbyter appellatur *cap. ult. de Officio Archipresbyteri cap.* 11. *de Majoritate & obedientia* (cui jungendæ sunt insignes duæ *epistolæ* Eugenii III. quæ habentur *tomo* 3. Conciliorum Galliæ *parte ultima*) *capit.* 30. *hoc tit. & cap. ad audientiam Extra de Ecclesiis ædificandis vel reparandis*, & in *Responsis* Zachariæ Papæ ad Pipinum Majorem-domus *cap.* 1. *&* 15. anno Domini 745. His ita præmissis.

In *cap.* 30. deciditur ad Rectorem parœcialium Ecclesiarum, in quibus habitant plures Clerici, absque jure Collegii tamen, præsentationem Ordinandorum Clericorum in dictis Ecclesiis pertinere, non etiam ad Patronum, qui fundavit Ecclesiam. Ad Patronum enim tantum pertinet jus Rectoris ipsius præsentandi. Si tamen contigerit Patronum consensisse hujusmodi Clericorum præsentationi; vacante postmodum Ecclesia parœciali per obitum Rectoris, tenebitur Patronus ex ipsis tantum Clericis, qui resident in Ecclesia, Rectorem præsentandum eligere, non autem ex aliis. Quod si contra non consenserit Patronus, liberum erit aliunde petitum Clericum præsentare, ut Rector ordinetur.

Explicavimus *cap.* 26. in *cap.* 13. Adde tantum *cap. ult. supra de Institut.* & *cap.* 2. *de excessibus Prælatorum.*

Caput 27. explicavimus in *cap.* 1. 2. & 3. supra & *capitulo* 22.

AD CAP. XXVIII.

QUæ pertinent ad *hoc cap.* explicavimus fere omnia in fine *Paratituli*, & ad *capit.* 5. *partem* 1. & *ad cap.* 21. Scriptum vero est ab Innoc. III. ad Archidiaconum & Cancellarium Altissiodorensem. Agebatur etiam de Ecclesia parœciali vacante in Archidiaconatu Carnotensi: cujus speciem Glossa pluribus refert & Cardinalis Ostiensis *ad hoc capitulum.*

Ex hoc vero capitulo confirmantur plures regulæ, quas explicavimus. Hæc vero prima inculcatur potissimum Legatum a latere, imo nec S. Pontificem juri Patronatus Laico derogare non posse: juri vero Patronatus Ecclesiastico Legatum a latere posse derogare; multoque magis S. Pontificem: quod post multas controversias tandem obtinuit.

Patronatus Ecclesiasticus intelligitur non ratione personæ, sed ita si jus Patronatus competat Clerico ratione Ecclesiæ, vel Beneficii sui: alioquin si ratione patrimonii, vel dotationis, vel donationis, aut emptionis per universitatem factæ, intelligetur esse jus Patronatus Laicum, & eodem jure censebitur. Si tamen jus Patronatus quomodocunque pervenerit ad Capitulum, Collegium, sive Monasterium; hujusmodi jus Patronatus naturam mutabit, & ex Laico fiet Ecclesiasticum ex speciali constitutione Bonifacii VIII. in *cap. unico de Jure Patron.*

Patronus Ecclesiasticus intra tempus concessum non potest variare: Patronus vero Laicus variare potest, & bis aut ter præsentare diversas personas: & ille potior erit, quem Episcopus elegerit, vel instituerit, licet posteriori loco fuerit præsentatus. Quæ regula confirmatur *cap.* 24. & 29. *hoc tit.* & explicavimus pluribus in *parte* 1. *cap.* 5. Si tamen Ordinarius malitiose primum præsentatum & sine causa repulerit, tenebitur ei competens Beneficium assignare *cap.* 29.

Præterea notandum, quia fit mentio reservationum, quas vocant Mandata de providendo, & litteras expectativas ad vacatura Beneficia, eas frequentatas fuisse non tantum a S. Pontifice, sed etiam ab ejus Legatis. Sed primum quidem Concilio Basileensi & Pragmatica nostra, deinde Concordatis ex parte; ac postremum generaliter Concilio Tridentino subla-

sublatæ fuerunt *sessione* 24. *de Reformatione cap.* 18.

Quod si instes non majorem fuisse rationem derogandi juri Patronatus Ecclesiastico quam Laico, respondebimus utrumque esse æquissimum. Eaque de re acriter certatum, & diu adversus usurpationes & jura nova: & eam in rem notatu dignissima Pragmatica D. Ludovici anno 1268. *art.* 1. „ Ut Ecclesiarum regni nostri Prælati & Beneficiorum „ Collatores Ordinarii jus suum plenarie habeant, & unicuique sua ju„ risdictio servetur. Super ea re graves & sæpius repetitas circa eadem „ tempora Cleri & Magnatum Angliæ querelas Matthæus Paris exponit, & ejus Continuator, cujus locus insignis in Henrico III. sub Gregorio IX. Pontifice. *Ipsis quoque temporibus Comites & Barones & alii Magnates Angliæ, ad quos ab antiquo jus Patronatus Ecclesiarum spectare dignoscitur, dolentes privari se sua libertate, & per cupiditatem Romanæ Ecclesiæ, jure conferendi Ecclesias enormiter privari, & alienigenas præcepto Papali illis ditari: quorum personas & conditiones penitus ignorabant; licet sero, Domino Papæ scripserunt*. Inserit deinde literas Magnatum Angliæ ad Gregorium IX. & ipsius Gregorii IX. Rescripta, quibus dictus Pontifex revocat Collationem cujusdam Ecclesiæ a se factam, inconsulto Patrono Laico, qui ob eam rem Romam profectus fuerat: & in posterum præcipit Pontifex, ne alicui de cætero liceat prædicti Regni Ecclesias, in quibus Laici sunt Patroni, præter eorum assensum, Apostolicæ Sedis auctoritate obtinere. Ademptum vero paulatim idem jus Ecclesiasticis Patronis, sicut idem Matthæus Paris conqueritur. Ejusdem Gregorii IX. Cardinalis Ostiensis similia quædam Rescripta se legisse ad *hoc capit.* annotat. Post Gregorium tamen IX. iterum derogatum fuit a Pontificibus eorumque Legatis juri Patronatus Ecclesiastico & Laico, sub eodem Henrico III. Rege & Pontifice Alexandro IV. Continuator Matthæi ad annum 1259. *Dominabantur etiam his diebus Romani & eorum Legati in Anglia tam Laicis quam Ecclesiasticis super Advocationibus Ecclesiarum*. Unde postea gravissimæ seditiones & bella exorta annis sequentibus, de quibus idem Continuator, maxime ad annum Domini 1267. In Gallia vero jus Patronatus Laicum semper integrum & illibatum mansit adversus Pontificum & Legatorum Collationes inconsulto patrono factas. Ecclesiastici vero Patroni per tempora D. Ludovici & dictam Constitutionem, licet sero, paulatim tamen plenitudini potestatis Pontificiæ cedere coacti fuerunt.

Caput 29. explicavimus ad *cap.* 5. *partem* 1. *Caput* vero 30. in *cap.* 25. *Caput ultimum in Capituli* 5. *parte* 1. & in *Capitulo* 18.



NOTÆ

AD

ALEXANDRI CHASSANÆI

PARISINI,

IN GREGORII IX.

DECRETALIUM V. LIBROS

PARATITLA.

LIB. I.

Ad Tit. II. *De Constitutionibus*.



Onstitutionis autem nomine, &c. Quod quidem peculiare est Juri Canonico: aliter enim obtinet in Jure Civili, in quo ejusmodi statuta, Decreta appellantur; interdum etiam Leges Municipales.

Ad Tit. III. *de Rescriptis*.

Hoc quoque jure in Beneficiis a Papa conferendis, &c. Triplices illæ literæ locum habebant, cum Gratiis expectativis locus erat, & ad Episcopos conferendis Beneficiis gravatos dirigebantur. Sed ipsis per Concilium Basileense, & in Gallia per Pragmaticam Sanctionem primum, deinde etiam per Concordata sublatis, ejusmodi etiam literarum usus exolevit.

Ad Tit. IV. *de Consuetudine*.

Post locum Demosthenis, adde Joannem Chrysost. in *Homil. 56. in Genesim Tom. 2. edit. Paris.* ubi videas, quæ Consuetudines, etsi veteres, abjiciendæ, quæ retinendæ.

AD

Ad Tit VI. *de Electione*.

Καλλίστοις υπολήψεως eximiæ famæ. Et cum ad superiorem, sæpe etiam per appellationem ad Summum Pontificem cognitio spectet de saniori parte Capituli, aut de irritanda electione; tacite etiam ad eum his casibus spectat electio.

Illud tamen prohibitum fuit Conc. Sardicensi, &c. Imo nec Sardicensi, nec ullo alio Concilio consensus populi est prohibitus. Sed Sardicense vetat tantum fraudes fieri, & turbam τὸ πλῆθος concitari, *ut seditionem concitent in Ecclesia & Episcopum postulent*. Imo ille Canon, qui est secundus Sardic. Synodi, loquitur tantum de translatione Episcopi de minori ad majorem Ecclesiam, quæ *primo Canone* vetita est, & *secundo hocce Canone* prohibitum est, populum alterius Ecclesiæ, ad quam scilicet transire velit Episcopus, seditionem concitare, ut ipsum postulent Episcopum: nempe ejusmodi postulatione, quæ totius plebis videbantur, hasce translationes Episcopi priores Ecclesias deserentes excusabant.

Et *Martinus Papa Can. non licet*, &c. Imo Bracarensis Canonum Collector.

Ad Tit. VIII. *de Auctoritate & usu Pallii*.

Pallio utuntur Metropolitani, &c. Solos Archiepiscopos pallio uti falsum, nisi de Lege ordinaria.

Barbaræ vero nationes, &c. Falsum.

Conceditur autem a Sum. Pontifice, vel etiam a Primatibus, sive &c. Falsum. Verum de Patriarchis majoribus.

Ad Tit. IX. *De Renunciatione*.

Non potest idem Beneficium resignari, &c. Contrarium verius est. Vide supra *tractatum ad eundem tit. parte 1. pag. 252*.

Ad Tit. X. *De Suppl. neglig. Prælatorum*.

Idem obtinet in Patronis Ecclesiasticis, &c. His ex locis videas jure Decretalium Judices Ecclesiasticos posse supplere negligentiam Laicorum, & jus quod Laici a suis Judicibus non obtinent, reddere: non vero a contrario Laicos posse ad sæculare tribunal confugere, si ab Ecclesiasticis Judicibus justitia eis denegetur. Sed hoc jus novum est, & veteribus Canonibus repugnans, ut patet ex Gratiano, & locis hic citatis, ex quibus videas reciprocum esse debere his casibus ad utrumque tribunal perfugium. Vide etiam *cap. 12. de Foro compet.*

Quamvis titulus hic inscriptus sit, &c. Adde *cap. 17. de judic. & Nov. Justin. 83. & Can. si quis cum Clerico XI. q. 1.* Glossam in *Can. filiis XVI. q. 7.*

Ad

Ad Tit. XI. *De temporibus Ordinationum & qualitate Ordinandorum.*

Micrologus *cap.* 24. *&* 29. inter auctores *De divinis Officiis.*
Non licet etiam Episcopis duos e majoribus. Ita legendum; non, *ex minoribus.*
Apostolorum Can. 35. *& Can.* 1. LXXI. *Dist.* non XVII.
Non potest etiam Monachus, &c. Nempe Monachi quasi servi addicti sunt Monasterio; ideoque non possunt ordinari sine consensu Abbatis, quemadmodum nec servi sine consensu dominorum, *tota Dist.* LIV. & ideo Monachi, quasi servi & servitutem professi, excluduntur a successionibus aliisque juribus civilibus. Huc referri possent de servitutibus voluntariis plura exempla, quæ apud Gregorium Turonensem leguntur, de iis, qui grassante fame se in divitum servitutem dabant, ea tantum conditione ut alerentur.

Ad Tit. XIII. *De Ordinatis ab eo qui renunciavit Episcopatui.*

Potest quis oneri Pontificali, &c. Illud autem ab initio non ita se habebat: nec poterat onus Episcopale ab honore sejungi; quominus qui Ecclesiæ suæ administrationem relinqueret, etiam & dignitatem deponeret.

Ad Tit XIV. *De ætate & qualit. & Ord. Præficiendorum.*

De ætate Episcoporum. Vide *L.* 47. *Cod. de Episc. & Cler.* & Joan. Chrysostom. *lib.* 3. *&* 4. *Sacerd. c.* 2. De ætate Abbatum ibidem.

Ad Tit. XV. *De sacra Unctione.*

Petrus Aurelius in *Orthodoxo cap.* 7. & Arcudius Corcyrensis *lib.* 2. *p.* 66. *lit. D.* Item Ἀρχιερατικὸν, sive *liber Pontificalis Ecclesiæ Græcæ* Auctore Haberto *p.* 682. *&* 683. maxime *p.* 701. *&* 702.

Ad Tit. XVIII. *De Servis non ordin.*

An servus Presbyter ordinatus invito aut ignorante domino, deponi & domino reddi debeat, vide *cap.* 2. *hujusce tituli*; quod hoc statuit, si calliditate & fraude ad gradus Ecclesiasticos perveniat. Sed Glossa ibidem plurimas adfert distinctiones.

Ad Tit. XXII. *De Clericis Peregrinis.*

De variis Literarum Ecclesiasticarum speciebus, vide Gratianum 1x. *q.* 2. & Octavianum Ferrarium *de Litteris Ecclesiasticis*. De Ordinatis autem ab Episcopo non suo vide *epist.* Hieronym. 10. *&* 12. ubi de Pauliniani & ipsius Hieronymi Ordinatione.

Ad

Ad Tit. XXIII. *De Officio Archidiaconi.*

Adverte illa Officia Archidiaconi, Archipresbyteri, & Chorepiscopi olim ætatis prærogativa delata fuisse, non vero gradu aliquo distincta ab aliis; ita ut qui grandior ætate inter Diaconos cæteris præesset, eorumque gereret curam: nec ulla alia nisi ætatis prærogativa inter ejusdem ordinis Clericos tunc vigebat. Distincti tantum erant Episcopi a Presbyteris, a Diaconis Presbyteri.

Vices Episcoporum agebant Chorepiscopi. Nam ita legendum; cætera delenda. Chorepiscopis non successere Archidiaconi. Siquidem ut distincta eorum officia, ita & simul in Ecclesia diu viguere. Sed dicendum potius Chorepiscopis sublatis, in eorum vices successisse eos, quos vocamus Decanos rurales: similem nempe ac prope parem curam exercent.

Officium Archidiaconorum describit Isidorus Hispalensis in *eleganti epist. ad Leudefredum Cordubensem*: Cum pridem insolescerent nimia potestate, ab Episcopis in ordinem redacti fuerunt, & maxima potestatis pars detracta fuit, institutis Officialibus & Vicariis, & modica tantum eis relicta parte. Postremo Archidiaconatus cœperunt esse tituli perpetui, non autem administrationes temporales sicut antea; & non tantum Diaconis, sed etiam Presbyteris collatæ illæ dignitates. Quod si late pateant Diœceses, plures in eodem Episcopatu certis regionibus distincti sunt Archidiaconatus. In iis vero singuli non plenam habent jurisdictionem, sed modicam tantum, & potius visitationem quam jurisdictionem. De illis enim omnibus debent referre ad Episcopum, antequam sententiam proferant.

Quod porro attinet ad Officium Archidiaconi & Archipresbyteri, nota habendam esse rationem Consuetudinis regionum & Episcopatuum, in quibus suo munere funguntur. Male enim ex Decretalibus hisce duceremus argumenta ad omnes ubique Archidiaconos & Archipresbyteros. Pluribus enim in locis Personatum tantum gerunt, idest honorem sine administratione: & omnino varie se habet ejusmodi functio pro locorum varietate. Si originem spectes & nominis Officium, Archidiaconus, cujus dignitas Sacerdotalem non desiderat characterem, supra Diaconos tantum ut eorum primus, jurisdictionem exercebat. Exercet tamen erga Presbyteros & Parochos Ecclesiarum, sed quatenus Episcopi in hac parte vices gerit, aut potius jurisdictionem habet sibi demandatam: & est quasi pars corporis ipsius Episcopi, veluti Officialis qui judiciis præest. Invaluit tamen pluribus in locis, v. g. in Carnotensi Diœcesi, ut separatam ab Episcopali jurisdictionem Archidiaconus habeat, suumque peculiarem Officialem & Promotorem, a quo ad Episcopum appellatur.

Ad Tit. XXIV. *De Officio Archipresbyteri.*

Hic jus antiquum male confunditur cum recenti.

Ad

Ad Tit. XXV. *De Officio Primicerii.*

Primiceriatus personatus est, &c. Dignitas est honor, cum administratione, sive jurisdictione aliqua: Personatus est honor sine administratione.

Ad Tit. XXVIII. *De Offic. Vicarii.*

In *hoc tit.* non agitur de Vicariis & Officialibus Episcoporum, sed potissimum de Vicariis perpetuis, qui constituuntur ut subeant vices Monachorum & Capitulorum, quibus Ecclesiæ parochiales concessæ fuerunt vel in eorum fundationibus, vel postea. Ex Conciliis enim Lateranensibus sub Alexandro III. & Innocentio imposita necessitas fuit iis, quibus Ecclesiæ parochiales concessæ fuerant vel ab Episcopis, vel a Laicis qui eas indebite primum occupaverant, præsentandi Clericos idoneos Episcopis, qui in Vicarios perpetuos instituerentur, assignata parte redituum & proventuum arbitrio Episcopi. Isti autem Vicariatus perpetui sunt, & Sacerdotibus competunt, qui effectu ipso sunt Rectores & Plebani, quamvis vulgo qui eos præsentant, vocentur *Curez primitifs.* Vide *cap.* 10. 12. 30. *&* 31. *de Præb. extra*. De Officialibus & Vicariis Episcoporum, vide Anastasium Germonium *lib.* 1. *Animadvers. c.* 7. & ad *tit. de Off. Vicar.* cum Glossa in VI. Petrum Blesensem *ep.* 25. ubi de Officialibus fuse.

De forma vero Vicariatus, & Vicarii Episcopalis Officio, Rebuffus in *Praxi*.

Ad Tit. XXIX. *de Officio & Potest. Judicis Delegati.*

Vel a Summo Pontifice datus est, totius, &c. Id Juri Civili repugnat. *Si nondum Delegatus jurisdictione uti cœperint*. Aliud in Legatis Apostolicis: neque enim morte expirat constituentis, *cap.* 2. *de Off. Leg. in* VI.

Ad Tit. XXX. *De Off. Legati.*

Ivoni epist. 109. Adde *epist.* 274. & *pag.* 26. 104. 105. & 108. Epistolarum ejus *editionis in* 8. Vide Juretum in *Notis*, & *tom.* 1. Libertat. Eccles. Gall. *p.* 714. *& seqq.* ut & Sirmondum ad *Capitula* Caroli Calvi *p.* 6. 27. *&* 28. Legati Pontificis alii sunt ratione Sedis, qui & Legati Nati dicuntur, ratione nempe Ecclesiæ suæ, qualia jura sibi Remensis & Senonensis vindicant, & in Anglia Cantuariensis: alii qui ad certum genus negotiorum, vel Nuntiorum ut dicimus, vel Oratorum nomine mittuntur ex ordine Episcoporum, qui Apocrisiarii sive Responsales vocari solent: tertii qui vulgo a latere Legati appellantur.

Ad Tit. XXXI. *De Off. Judicis Ordin.*

Vide Filesacum *de Sacrâ Episcop. auctoritate.* Quinam in Jure Civili Ordinarii Judices appellentur, explicat Cujacius *ad tit. de Judiciis.*

Ex παρατομητης, *ex Delegatione.*

Ex τ᾽ ου δικαστηριου, &c. *ex Jure Magistratus, sive proprio.*

L. un. C. ne liceat in una eademque causa, &c. Contra Cujacius *Paratit. Cod. de Episc. audientia.*

Ad Tit. XXXIII. *De Majoritate & Obedientia.*

In *hoc tit.* agitur de ordine in Ecclesia inter Dignitates varias constituto, & quomodo Dignitates inferiores superioribus debeant obtemperare. Nomine majoritatis superiorum significatur auctoritas & potestas; obedientiæ vero inferiorum subjectio & obsequium: quæ obedientia aliquando per professionem scriptam, aliquando vero per manus & sacramentum exhibetur; de qua forma graves contentiones inter Abbates & Episcopos: de quibus Sirmundus ad *Gosridum Vindocinens. pag. 26. & 40.* Obedientiæ vero manualis fit mentio in *cap. 12. Extravag. de restit. spoliat.* & apud Ivonem Carnot. in *epistolis.* De ordine sedendi inter comprovinciales Episcopos, vide Sirmundum *p.* 50. in *Notis* ad Gofridum Vindocinensem.

Ad Tit. XXXIV. *De Tregua & pace.*

In *hoc. tit.* agitur non de tregua & pace inter summos Principes, sed de bellis privatis, quæ inter privatos ad res repetendas, vel injurias propulsandas oriebantur; quæ Reges & Principes cum omnino repellere non possent, saltem publicas treguas sanciverunt, quibus cessaretur, & certas personas exemerunt ab hujusmodi bellis. De tregua & pace, vide Ivonem *epist.* 90. & ibi Juretum; & de Marca in *Historia Bearnensi*, & eundem *de Concordia Regni & Sacerd. itemque lib. de Primatu Lugdunensi*, & *Epistolas* Innocentii III. a Bosqueto editas, ut & *Can.* 25. XIV. *Quæst.* 3.

Constitutum autem est, &c. Hactenus vix quidquam ad rem in *hoc tit.*

Ad Tit. XLIII. *De Arbitris.*

Extremum illud notandum est, &c. Ratio hæc est, quod origo omnis jurisdictionis Ecclesiasticæ ab arbitrio cœperit. Unde in Rescriptis, quando dantur Judices, additur, *ut vel judicio vel arbitrio litem terminent.*

LIB. II.

Ad Tit. *De Judiciis*.

Agitur *hoc tit.* de causis sive negociis tam civilibus quam criminalibus, quæ pertinent ad cognitionem Judicum Ecclesiasticorum, vel publicorum, idest Laicorum, de quibus gravissimæ controversiæ sæpe intercesserunt: ita tamen ut in *Decretalibus* omnia tribuantur Judicibus Ecclesiasticis; adimantur Laicis. Gratianus quoque in eadem est sententia: Canones tamen quos refert, si recte intelligantur, & ad suas origines revocentur, aliud innuunt. Vide Gratianum *Causa* 11. *Q.* 6. *&* 8. *&* *Causa* 111. *Qu.* 6. *&* 9. *Causa* xv. *Qu.* 7.

In *hoc* vero *tit. de Judiciis* agitur de criminibus Clericorum *cap.* 4. 8. *&* 10. Ad quæ capita vide Interpretes, maxime Cujacium & Molinæum in *Notis Juris Canonici*.

Adde Photium *tit.* 9. *Nomocan.* & *Can.* 5. Concilii Antiocheni, & ad eum Balsamonem, & *Nov.* Valentin. de *Episcop. judicio* in *Cod. Theod.* & Cujacium *Parat. Cod. de Episc. audientia*.

Ad Tit. III. *De Libelli oblatione*.

Ante Justinianum in Jus vocatio fiebat privata auctoritate: sub Justiniano (ex *Novellis* ejusdem & *recentioribus Constitutionibus*) adnotatio Judicis ad libellum requirebatur, quam hic vocat Libelli oblationem: atque hæc continebat & petitionem Actoris, & jussum Judicis respondentis ad libellum; quam & vocant sæpe Commonitoriam sententiam, & commonitionem Judicis, ὑπομνησιν.

Ad Tit. IV. *De Mutuis petitionibus*.

Vide omnino Cujacium ad *Responsa* Marcelli in *L.* 38. *ff. Mandati*.

Ad Tit. V. *De Litis contestatione*.

Vide Cujac. ad L. 1. 2. *&* 4. *Cod. de Judiciis*.

Ad Tit. VI. *Ut lite non contestata*, &c.

Cujacius omnino ad *cap.* 61. *infra de appellat. & ad cap. causam infra de dolo & contum. & ad L. pen. Cod. de Testam.*

Ad Tit. VII. *De Juram. calumniæ*.

Quibus omnino jurare non permittitur. Non est indistincte verum.

Ad

Ad Tit. IX. *De Feriis.*

Augustinus *Lib. 6. de Civ. Dei. cap.* 1. & Chrysost. in 1. *ad Corinth. Homil.* 28. *initio p.* 31. *tom.* 5. *edit. Paris.*

Ad Tit. XXII. *De Restitutione spoliatorum.*

Adde *cap.* 2. 7. *& ult. supra de Ordine cognitionum*, & omnino Cujacium ad *tit.* 4. *lib.* 8. *Cod.* ubi explicat differentiam inter interdictum unde vi, & possessionis redintegrandæ. Item & adde Juretum ad *Epist.* Ivonis 172.

Sirmundus ad *Epist.* Gofridi *p.* 44. 45. *&* 59.

Sic in L. 22. *Cod. Theodos.* &c. Hoc generale est in omnibus interdictis.

Nulla spontaneæ renunciationis, si de &c. Imo juvat & prodest, si ante spoliationem ejuraverit Beneficium, *cap.* 12. *hoc tit.*

Ad Tit. XIV. *De Dolo & contumacia.*

Contumax proprie in Jure dicitur, qui postquam apud Magistratum litem contestatus est, litem deserit, nec coram Judice dato litigat: quo casu ad Prætorem vel Magistratum qui dederat Judicem, recurrendum erat, a quo tria edicta vel denunciationes impetrabantur, intervallo inter singulas denunciationes novem dierum intermisso, quod trinundinum vocabatur. Atque his publicatis Prætor ad eundem Judicem quem dederat remittebat, ut secundum præsentis allegationes & probationes sententiam pronunciaret: nam & absens aliquando vincebat. Jure vero Canonico, sive ante sive post litem contestatam, missio fiebat in possessionem ut plurimum. Nam Jure Civili missio tantum procedebat ante litem contestatam, quoties reus secum litem contestari non patiebatur.

Ad Tit. XVI. *Ut lite pendente*, &c.

Vetat εν μεσῳ &c. *In medium proferri divina judicia*, rescripta Principum, sacros affatus.

Ad Tit. XXIV. *De Jurejurando.*

An jure liceat, vel non: vide Voss. *Histor. Pelag. Lib.* 5. *Thesi.* 1. *p.* 500. 501. *&* 503. Chrysost. *Homil.* 17. *in Matth. & in Psalm.* 109. August. *Homil.* 28. *to.* 1. *p.* 146. *&* 147. *edit. Paris.*

Ad Tit. XXVIII. *De Appellationibus*, &c.

Vide Cujacium *Parat. Cod. si ex falsis instrum. en cas de revision:* quo casu non est opus appellatione, sed restituitur Judicium, restitutio causæ & litis sive Judicii, redintegratio causæ, instauratio Judicii,

cii παλινδικια, *revision*, conceditur, & retractatio Judicii; ad differentiam restitutionis rei, quæ ex beneficio edicti Prætoris conceditur in superiori casu ipso jure.

Ita illud in Gallia semper; &c. nempe in levioribus causis.

De appellationibus ad Summum Pontificem vide *Can.* 3. 4. & 7. Concilii Sardic. & Baronium, & S. Athanasium passim, & Concilium Carthaginense in *Collectione* Dionysii Exigui *Can.* 138. Capellam *de appellat.*, & le Cardin. du Perron en *sa Republique au Roy de la Grand-Bretagne*, & supra *dissert. de Orig: & auctor. Juris Can. pag.* 19. *in prima parte*.

Ad Tit. XXX. *De Confirmatione utili vel inutili*.

Duæ sunt species confirmationum: altera generalis, altera specialis. Generalis nihil addit juris, sed confirmat, prout res se habet in veritate, quæ confirmatur.

Quæ vero specialis est, fit causa cognita, & ex certa scientia: quod in hoc titulo præcipue notandum, eaque actui inutili per se vires suppeditat. Vide Cujacium in *Posthumis ad hunc tit.*

L I B. III.

Ad Tit. II. *De Cohabitatione Clericorum*.

CHrysostomus *Tom.* 3. *Edit. Paris. p.* 913. *de verbis* Hieremiæ: *Domine non est in homine via ejus*. *Discours des Theologiens de Bordeaux contre du Plessis*, dont Fronton le Duc est auteur. Conc. Turonense *Can.* 10. & 11. Cujacius ad *Nov.* 6.

Ad Tit. IV. *De Clericis non residentibus*.

Vide Bartholomæum Caranza *de Residentia*. Adde *Tom.* 3. Concil. Gall. *pag.* 671. & *cap.* 28. *extra de Appellat.* Anton. Augustinum 2. *partis de Reb. lib.* 15. *tit.* 5. Concil. Chalced. *Can.* 6.

Ad Tit. V. *De Præbendis & Dignitatib.*

Quid sit Dignitas, quid Personatus, Cujacius ad *cap. ult. extra ut lite pend. nihil innov.* & ad *cap.* 4. & 23. *de Restit. spol.* & in *hoc Paratit. Præbendæ vocabulum*. &c. falsum.

Ad Tit. VI. *De Clerico vel ægrotante vel debilitato*.

De Coadjutorib. agitur *hoc tit.* Gratianus *Causa* VII. *Q.* I.

Ad Tit. VII. *De Institutionibus*.

Neve de Beneficiis Ecclesiasticis Laici jus &c. de Oblatis & Laicis, qui-

quibus adsignatur aliquid ex bonis alicujus Ecclesiæ, vide *cap.* 2. *hoc tit. Jure Civili constitutum est*. V. Bosquetum in *Epist.* Innocentii III.

Ad Tit. IX. *Ne Sede vacante aliquid innovetur.*

Adde quæ notat Glossa *ad cap.* 1. *de Schismat. in* VI. in verbo *Sede vacante*; & Anton. Augustinus *Lib. 6. tit.* 63. *de Capitulis & Collegiis.*

Ad Tit. X. *De his quæ fiunt a Prælatis sine consensu Capituli.*

Vide Tractatum Leschasserii adversus Episcopum Sylvanectensem, qui habetur in Appendice Constitutionum Fontanonis *de Exemptione Capitulorum*, & *Tom.* 2. Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ *pag.* 1046. & 1047. Vide *cap. ult. de supplenda neglig. Prel. in* VI. & *cap. un. ne Sede vacante*, & ibi Gloss. Ant. August. *Epit. lib. 6. cap.* 63. & *lib.* 15. *cap.* 26. & Cujac. ad. *cap.* 13. *de Foro compet.* Huc pertinent quæ vulgo de Presbyterio legimus in antiquis Canonibus.

Ad Tit. XIII. *De Rebus Ecclesiæ alien. vel non.*

Vide Duarenum *de Sacrosanctis Ecclesiæ ministeriis*, Anton. Augustinum *lib.* 15. *p.* 65. & *lib.* 10. *tit.* 10. & 11.

Ad Tit. XVIII. *De locato & conducto.*

In magna fisci penuria. Inde feudorum origo.

Ad Tit. XXVI. *De Testamentis.*

Quemadmodum vero olim. L. 34. *Cod. de Episc. & Cler.*

Ad Tit. XXVIII. *De Sepulturis.*

Augustinus *lib. de Cura pro mortuis gerenda cap.* 1. 2. & *seq.* Chrysost. contra sumptus inanes funerum *Homil.* 85. *in Joannem.*

Ad Tit. XXIX. *De Parochiis & alienis Parochianis.*

Filesacus *de Origine Parœciarum*. Epiphanius *Tom.* 1. *p.* 719. & *Tom.* 2. *p.* 276. Hincmarus Rem. *Tom.* 1. *p.* 592. Joan. Gerson *Tom.* 1. *passim*.

Ad Tit. XXX. *De Decimis, primitiis, oblationibus.*

Vide Concilium Troslejanum *cap.* 6. *Tom.* 3. *Concil. Galliæ pag.* 548. Scaligerum *de Decimis*, Cironium in *Parat. Decretal.* Marcam *de Concord. Regni & Sacerd.*

AD

Ad Tit. XXXI. *De Regularibus & transeuntibus ad Religionem.*

Annorum undecim ætas. Vide Menardum Monachum in *Concordia Regularum.*

Ad Tit. XXXII. *De Conversione conjugatorum.*

Converti & conversari idem significat ac Monachum fieri, Augustinus *epist.* 70. *ad Bonifacium Comitem.*

Ad Tit. XXXV. *De Statu Monachorum & Canonicorum Regularium.*

Horum Præpositi, &c. Ηγούμενοι separantur ab Abbatibus, ηγούμενοι sunt quos Latini in Monasteriis Præpositos vocant, & hodie Priores claustrales, qui disciplinæ tantum præsunt. Abbates vero universo Monasterio imperant. Monachorum autem veterum vitam eleganter describit Chrysost. *Homil.* 8. *in Matthæum.*

Alii seorsum agunt & soli sunt, &c. Olim vocati fuere Inclusi sive Reclusi & Anachoretæ, de quibus sæpe Gregor. Turonensis, & Sirmundus ad *Epistolas* Petri Cellensis: non autem aliter eis permittebatur ut se includerent, nisi ab Episcopo nominatim impetrassent, nec aliter indulgebatur, nisi vitæ eorum probitas per plures annos perspecta fuisset.

Canonici Regulares differunt a Monachis, quia regulæ inserviunt laxiori: præterea non renuntiaverunt omni administrationi Ecclesiasticæ, imo ad perfectius eam procurandam sese addixerunt regulæ, & ad eos proprie pertinent quæ D. Augustinus scribit *de Vita communi Clericorum.* Unde dicit Possidonius in ejus *vita*, Augustinum induxisse Monasterium in Ecclesiam, quod ante Augustinum Ambrosius & Eusebius Versellensis fecerant; postea diversis temporibus revocare Episcopi sanctiores conati sunt: unde in Conciliis Galliæ sub Carolo Magno præscripta regula vivendi Canonicorum distinctim & separatim a Regula Monachorum *tom.* 2. Conciliorum Galliæ in Concilio Aquisgranensi: posterioribus vero temporibus Norbertus, Ivo Carnotensis reducere conati sunt.

Ad Tit. XXXVIII. *De Jure patronatus.*

Temporibus Justiniani, falsum.

Agonotheta: cujus rei vestigium est. Cujacius *observ.* 23. 7. De Jure Processionis vide Florentem *Dissert. in cap. Auditis de præscriptionib. c.*4.

In dedicatione ipsius Ecclesiæ, falsum. Imo sive ante, sive post dedicationem.

Ad Tit. XXXIX. *De Censib. exactionibus, & procurationibus.*

Qui nova vectigalia instituere prohibentur, &c. Vide omnino Can. *Quæsitum.* 1. *q*. 3. Hincmar. Rem. *p.* 592. *edit. Par.* & *p.* 11. Goffridi Vind. *lib.* 3.

Cathedraticum, sive Synodaticum, droit qui se paye au Synode.

Pro

Procurationes; droit de visite.
Pulveratica; vide Sidonium Apollin. in *epist.* & Cassiodorum, *d. cap.* 16. *sup. de Off. Jud. Ordin. Can.* 6. 7. *&* 8. *usque ad finem Caus.* x. Q. 3.
Evectiones. De quibus vide Savaronem ad *epist.* 20. Sidonii *lib.* 5.

Ad Tit. XL. *De Consecratione Ecclesiæ, vel altaris.*

Adde quæ de *τοιμοτηγιο* Balsamo ad *Can.* 31. *Apostolorum*, & ad *Can.* 8. *Chalced.* Habertus in Αρχιερατικω, *p.* 642. 643. *& seqq.* Paulinus Nolanus *ep.* 12. Leo Allatius *de Narthece & de Templis.*

Ad Tit. XLI. *De Celebrat. Missarum & Sacram. Euchar.* &c.

Chrysostomus *Homil.* 10. *in Matth.* & *Notæ* Frontonis Ducæi in *Tom.* 1. *Chrysost. p.* 20. *&* 54. ubi de Synaxi.

Ad Tit. XLII. *De Baptismo & ejus effectu.*

Vide Josephum Vicecomitem, Augustinum *lib. de Fide & operibus & adversus Julian. opus imperf.* Vide Notas Menardi *pag.* 90. *in fine*, & Brissonium ad *L. Dominico de spectaculis Cod. Theodos.*

Ad Tit. XLIV. *De Custodia Eucharistiæ, Chrismatis, & aliorum Sacramentorum.*

De custodia Eucharistiæ vide *Notas ad Paulinum p.* 783. 789. Αρχιερατικον Haberti *pag.* 266. *& seq.* & Aurelium in *Orthodoxo p.* 562. *&* 563.

Ad Tit. XLV. *De reliquiis & venerat. Sanctorum.*

Vide *Les Theologiens de Bordeaux*, Theodoret. 4. *pag.* 593. *&* 505. *&* 606. *Serm.* 8. *de Martyrib.* Hieronym. *adversus Vigilant.* Frontonis Ducæi *Notas in Crysost. p.* 83. & omnino ejusdem Notas in *epist. Paulini* 12. & *Archieraticon* Haberti *p.* 76. Adde Crysost. *Orat. in Laudem Juventini & Maximi*, ubi de Reliquiarum translatione.
Primus impugnavit reliquias Eunomius apud Græcos, qui error pullulavit ex hæresi Arii.

Ad Tit. XLVI. *De observatione jejuniorum.*

De diversitate jejunii Quatuor temporum vide Sirmundum ad *Geffridum Vindocin. p.* 56.

Ad Tit. XLVII. *De Purificatione post partum.*

Leo Allatius *de Nathece veteris Ecclesiæ*, referens locum Balsamonis.

Ad

Ad Tit. XLVIII. *De Ecclesiis ædificandis, vel reparandis.*

Ad *hunc Tit.* adde Pontificale Haberti *pag.* 642. 643. *& seqq. & p.* 670. & Meursium in *Lexico Mixobarbaro* in *dictione* σαμποτηγιον, & Balsamonem ad *Can.* 7. Syn. VII. vide omnino Euseb. *lib.* 10. *Hist. Eccles. cap.* 2. 3. *&* 4. *& lib.* 2. *de vita Constantini cap.* 4. *&* 45. *& lib.* 3. *cap.* 29. 30. *&* 31. *lib.* 4. *cap.* 58. 59. *&* 60. & Joannem de Launoy *Dissertat. de duobus Dionysiis.* De Ecclesiarum Encæniis & dedicatione vide Athanasium *Tom.* 1. *Apolog.* 1. *de fuga sua.*

Ecclesiæ majores dictæ Basilicæ a similitudine Basilicarum seu locorum, in quibus jus reddi solitum. Hinc βῆμα tribunal, locus sub abside, in quo altare: atque ibidem Antistes concionem habebat ad populum, Prudentius *Hymno* XI. *in. B. Hippolytum Martyrem.*

Stat sed juxta aliud, quod tanta frequentia templum
Tunc adeat cultu nobile regifico,
Parietibus celsum sublimibus, atque superba
Majestate potens muneribusque opulens:
Ordo columnarum geminus, laquearia tecti
Sustinet, auratis suppositus trabibus:
Adduntur graciles tecto breviore recessus,
Qui laterum seriem jugiter exsinuent.
At medios aperit tractus via latior alti
Culminis; exurgens editiore apice,
Fronte sub adversa gradibus sublime tribunal
Tollitur, Antistes prædicat unde Deum.
Plena laborantes ægre domus accipit undas,
Arctaque confectis æstuat in foribus,
Maternum pandens gremium, quo condat alumnos
Ac foveat fœtus accumulata suos.

Gregorius Nazianz. *Orat.* 32. in præsentia 150. Episcoporum habita, testatur auditores ad se concionantem accessisse tanta frequentia, ut ipsi quoque cancelli præ hominum multitudine violarentur. Χαιρετε των εμων λογων ερασται, και δρομεις, και συνδρομοι, και γραφιδες φανεραι, και λανθανουσαι, και η βιαζομενη κιγκλις αυτη τοις περι των λογων ωθιζομενοις *p.* 528.

Ad Tit. XLIX. *De Immunitate Ecclesiarum, cœmeterii, & rerum ad eas pertinentium.*

Vide Augustinum *lib.* 1. *de Civit. Dei cap.* 4. 7. 12. *&* 13. Pontificale Ecclesiæ Græcæ *p.* 673. Ambrosʃ. *lib.* 1. *de Abrahamo cap.* 9.

Ad Tit. L. *Ne Clerici vel Monachi negotiis sæcularib. se immisceant.*

Bernard. *epist.* 67.

Qui rationes suas &c. Ne hujusmodi Clericis Ecclesia subveniat. Vide *Epist.* Monasterii Westmonasteriensis.

Utrique vero & Clerici. Adde omnino simile *Rescriptum* Innocentii IV. in *Addit. ad Matth. Paris. p.* 690. *& seq.*

LIB.

LIB. IV.

Ad Tit. I. *De Sponsalib. & Matrimoniis.*

ITa *Harmenopulus rectissime*. Tempore Leonis Philosophi & Caroli Calvi.

Quæ a principio contrahentes fugerit, cogi possunt. Falsum.

Ad Tit. II. *De Desponsatione impuberum.*

Sponsalia tamen fieri possunt inter eos qui non sunt minores. Observandum ex *Lege* 2. *Cod. de Sponsalib.* consuevisse a die sponsaliorum intra biennium nuptias perfici : unde sponsalia contrahi non possunt a minore decem annis, alias non quidem injustæ, sed præmaturæ dicuntur.

Ad Tit. III. *De clandestina desponsatione.*

Adde *Causam* xxx. *Quæst.* 5. *per totum.*
Ut bona, idest edicta : banna.

Ad Tit. VIII. *de eo qui duxit in matrim. quam polluit per adult.*

Vide *Responsa* Hincmari in *Tractatu de divortio Lotarii & Thetbergæ p.* 160. 669. 672. 674. & 675. & Nicol. 1. *ep.* 52. *Tom.* 3. Concil. Gall. *p.* 328. *initio.*

Non probavere etiam &c. *ut constat ex Can.* 1. &c. Basilius *Can.* 39. & ibi Balsamo.

Eos vero qui secus &c. V. Lechasserium *in Tractatu Gallico de Digamia.*

Ad Tit. IX. *Ce conjugio servorum.*

Sidonius *lib.* 5. *epist.* 19.

Ad Tit. XIV. *De consanguinitate & affinitate.*

Augustinus *de Civitate Dei lib.* 15. *cap.* 16. & Gregorius *epist. ad Consulta Augustini, de Gradibus.*

Denique jure isto, &c. Aliud antiquo Jure Canonico, quod plane Jus Civile sequebatur in numeratione graduum tam apud Græcos quam apud Latinos.

Ad Tit. XV. *De frigidis & maleficiatis, & impotentia coeundi.*

Leschasserius *de Dissolutione matrimonii*, & Hotmannus *in suis Opusculis*. Adde *Nov.* Leonis 98. Gratianum *Can.* XXXIII. *Q.* 1. *per totum* August. *lib.* 2. *de Adulterinis conjugiis ad Pollentium cap.* 19. Chrysost. *To.* 6. *p.* 273. Hincmarum *Tom.* 1. *in Opusc. de Divortio Lotarii p.* 595. *ad interrogationem* 5.

Ad Tit. XVI. *De Matrimonio contracto contra interd. Ecclesiæ.*

Ivo Carnot. *ep.* 155.

Ad Tit. XIX. *de Divortiis.*

Leunclavius in *Jure Orientali pag.* 414. *&* 419. Cujacius ad *Papiniani Quæstiones p.* 266. *&* 267. Chrysost. *Hom.* 17. *&* 62. *in Matth.* Asterius in *Homiliis de Repudio*, Chrysost. *lib. de Virginit. c.* 40. *&* 41. *p.* 354. 355. *Tom.* 4. Beza *de Repudiis*, Arcudius *de Sacramento Matrim. lib.* 7. *cap.* 8. *& seqq.*

Ad Tit. XXI. *De secundis nuptiis.*

Vide Chrysost. *de Virginit. cap.* 36. *pag.* 248. 350. *& seqq. Tom.* 4. Theodoretum in *Paulum p.* 156. *&* 482.

LIB. V.

Ad Tit. I. *De accusationib. inquisitionibus, & denuntiationibus.*

1. INscribebat accusator, idest libello profitebatur se deferre Mævium reum talis criminis &c. designatis loco & personis, & se periculo pœnæ similis obligabat.

2. Post inscriptionem requirebatur qui delatus fuerat, & sub custodia fiebat, quæ pro qualitate & conditione personarum erat multiplex.

3. Quod si fugeret qui delatus erat, fiebat requirendus, & bona ejus adnotabantur.

4. Si vero reperiretur, coram Magistratu vel Judice, qui quæstioni præerat, sistebatur, & accusator præsens pro tribunali reum præsentem accusabat: contra reo liberum erat seipsum defendere.

5. Quo peracto reus fieri dicebatur, in reatu esse, & receptus inter reos.

Idest inquisitionis. Vide *Directorium inquisitorum Francisci Pegnæ.*

Ad Tit. III. *De Simonia, & nè quid pro spiritualibus exigatur vel promittatur.*

Simonia ars Midæ dicta Proclo Cyziceno *Orat.* 21. *pag.* 575. Greg. Magn. *lib.* 2. *Regist. ep.* 46. *ad Eulogium.* Vide *Notas ad ep.* 133. Ivonis *p.* 678. *Can. erga Simoniacos* 1. *q.* 1. & quæ contra Simoniacos sub Gregorio VII. habita fuerunt Concilia, & Petrum Damiani *lib.* 8. *ep.* 11, & quæ *Tom.* 3. Concil. Binii in VII. Syn. *p.* 716.

Ad

Ad Tit. IV. *Ne Prælati vices suas vel Ecclesias sub annuo censu concedant.*

Galland en *son Traité du Franc-Alleu*. Sirmundus ad *Goffridum pag.* 52.

AD Tit. VII. *De Hæreticis.*

S. August. *de Civ. Dei lib.* 21. *cap.* 24. & 25. & *epist.* Theodori Studitæ in *Biblioth. Patr. Tom.* 2. *p.* 740.

Ad Tit. IX. *De Apostatis & reiterantib. Baptisma.*

Vide *Can.* 1. & 2. *Distinct.* LXVIII. *Tit.* 5. *lib.* 1. *Cod. Ne sanctum Baptisma iteretur.*
Curiæ uniuscujusque. Curiæ tradere, in veteribus Canonibus & Legibus est in ordinem Decurionum tradere, & Curiis civitatum sive minoribus Senatibus, ut in suis usibus & ministeriis publicis præstandis adstringerentur, quamdiu viverent.

Ad Tit. XI. *De Infantibus & languidis expositis.*

Vide Marculphi *Formulas & Notas.*

Ad Tit. XII. *De homicidio voluntario & casuali.*

Basilius *Can.* 43. *Epist. ad Amphilochium.*

Ad Tit. XVI. *De Sagittariis & Balistariis.*

Balistarum usus Christianis prohibitus.

Ad Tit. XIX. *De usuris.*

Adde *Dist.* XLVII. *Can.* 2. & *Caus.* XIV. *Qu.* 1. 2. 3. & 4. Basilium in *Psalm. Domine quis habitabit.* Greg. Nyssenum, Ambrosium *de Tobia.* Plutarch. περὶ δανειζόντων.

Ad. Tit. XXIII. *De delictis puerorum.*

L. 14. *ff. ad Silanianum* §. *penult. Instit. de obligat. quæ ex delicto nascuntur.* Tres sunt gradus usque ad pubertatem. Infans usque ad 7. annum completum. Infanti proximus qui implevit annum 10. Proximus pubertati masculus, qui 13. annum agit.

Ad Tit. XXIV. *De Clerico venatore.*

Sirmundus ad *Ennodium p.* 33. *in fine & seqq.*

Ad Tit. XXIX. *De Clerico per saltum promoto.*

Saltibus superiorem locum captare *L.* 8. *Nemo Cod. de Advoc. divers. judic.*

Ad Tit. XXXIII. *De Privilegiis & excessibus privilegiatorum.*

Bernardus *ep.* 7. *ad Adam Monach.* Petrus Blesens. *epist.* 68. *ad Alexand. III.* idem Bern. *ep.* 42. *ad Archiepisc. Senon. sub. fin. & lib.* 3. *de Considerat. ad Eugen. cap.* 4. Fr. Florens *Dissert. ad cap. Auditis cap.* 2. *De exemptionibus.* Gratianus omnino XXV. *Quæst.* 2. *per totum*, in *fine* maxime, & Cujacius in hæc verba Legis veteris, *Privilegia ne cui irroganto*, *lib.* 15. *Observat. c.* 8.

Sed de his præcipue quæ Monachis, &c. Vide Goffridum *pag.* 42. & 43.

Regula vero hæc notanda in privilegiis, nunquam in alterius injuriam concedi. Cujacius ad *Responsa Papin. p.* 200. Quomodo autem sint interpretanda, adde *L.* 43. *ff. de vulg. & pup.* & ad *eam* Cujac. ad *Pauli Resp. p.* 1154.

Ad Tit. XXXIV. *De purgatione canonica.*

Cujacius ad *Tit. de cohabitat. Cleric. & mulierum in fine* omnino, & Sirmundus ad *Capit.* Caroli Calvi *p.* 74. Adde *Notas* Jureti ad Ivonis *epist. p.* 725.

Postea illud &c. Adde Hincmarum in *Capitulis in fine Tom.* 3. *Concil. cap.* 23. 24. *& seqq.* & Concilium Trosleianum *cap.* 9.

Et exceptiones ejus affirmarent: ita tamen ut de opinione & credulitate sua tantum interrogarentur, verum se credere quod reus asserit; non etiam de veritate, & certa quadam animi conscientia. Vide Cujacium ad *Tit. de Testib. cap.* 29.

Ad Tit. XXXV. *De purgatione vulgari.*

Id etiam colligitur, &c. Cujacius ad *cap.* 33. *extra de Testib.* Savaro *Tractatu de Duellis*. Vide *epist.* Savaronis *ad Abbatem de Bosco* initio *Bibliothecæ Floriacensis*.

Ivonis Carnotens. epistolis. Adde *ep.* 205. *&* 247. & in *Notis p.* 635. 657. 658. Gratianum *Caus.* 11. *Q.* 5. *Can.* 22. Sirmundus ad *Goffridum p.* 61. 62. *& seq.* & ad *Capit.* Caroli Calvi *p.* 73. & Agobardi *Tractatum p.* 287.

Ad

Ad Tit. XXXVII. *De pœnis*.

Chryfoft. *lib.* 2. *de Sacerdotio cap.* 2. 3. & 4. de moderatione adhibenda circa pœnas canonicas, *Homil.* 27. *in* 1. *ad Corinth. cap.* 11. *p.* 294. & *seq. edit. Parif.* & *Præfationem* Theodori five Joannis Scholaftici in *Canones*, Leonis Magni *ep.* 92.

Ad Tit. XXXVIII. *De Pœnitentiis & remiffionibus*.

Vide Florentem *prima parte fol.* 100. & 101. *ad tit. de Confuetudine.* Adde *Libellum de anno Jubilæo* Cyrilli Franchi editum fub Greg. XIII. *cap.* 11. 12. 13. 14.


Ad Tit. XXXIX. *De Sententia excommunicationis*, *fufpenfionis*, & *interdicti*.

Adde Chryfoft. *Tom.* 3. *edit. Parif.* in *Sermone de Ofia p.* 873. 874. 890. & *lib.* 2. *de Sacerdot. cap.* 2. 3. 4. & *feq.* Idem *Homilia* 17. *in Matth. p.* 222. & omnino *Orat.* 2. *in Babylam*, ubi de exclufo Imperatore quodam ab aditu templi *p.* 655. *Tom.* 1. & Fronto Ducæus in *Notis p.* 60. Nicephorus *lib.* 6. *cap.* 33. & *lib.* 10. *cap.* 28. ait hunc Imperatorem fuiffe Numerianum; *Chronicon* vero Alexandri ait fuiffe Philippum. Vide Filefacum in *Notis ad Vincentium Lirinenfem pag.* 197. D. Auguft. *lib. de Fide & operibus*, ubi de Difciplina Ecclefiæ circa excommunicationem, Habertus *Tract. de Cenfuris p.* 730. 731. 732. & *feq.* Philo *de Excommunicatione*. Vide Auguft. *Tom.* 1. *de vera religione c.* 6. Vigor *en fon Traité pour le Concile de Basle*.

De interdictis & eorum origine. Vide omnino Ivonis *epift. p.* 596. 611. 737. & 819. & *Notis* Bofqueti ad Innocentii *Regiftrum pag.* 123. & 124.

Minor excommunicatio recens eft, nec locum habet in Gallia.

AD



AD TITULUM
DE SOLUTIONIBUS ET LIBERATIONIBUS
Dig. & Cod.

TRACTATUS.

PRÆFATIO.



D intellectum hujus tractatus qui latissime patet, tria præmittemus. Primo seriem & ordinem cum præcedentibus & sequentibus libris & titulis. Secundo vocum solutionis & liberationis varias significationes; ut sublata homonymia, divisio. Tertio loco facilior fit in suas species quas singillatim enumerabimus, & describemus: quibus tribus explicatis tituli utilitas & argumentum patebit.

Ordo itaque hujus tituli ultimi repetendus est. Meminisse nempe debemus regularum Juris: *Fere quibuscunque modis obligamur, iisdem in contrarium actis liberamur*, L. 153. *ff. de reg. Jur. Nihil tam naturale est quam eo genere quodque dissolvere quo colligatum*, L. 35. *ff. eodem. Omnia quæ jure contrahuntur, contrario jure pereunt, nec aliter*, L. 100. *ff. eodem*. Unde in L. *ut quisquis ff. hoc tit. ut quodque contractum est, ita & solvi debet*: cui junge L. 1. 18. 19. *& ult. ff. de Acceptilat.* In Legibus autem supra citatis & passim *toto titulo* nostro, & *titulo, quibus modis tollitur obligatio institutionibus*, qui huic nostro respondet: Itemque in *titulis Codicis de novat. & delegat. de solutionib. & liberationib. & de acceptilationibus*, mentio fit fere tantum contractuum & obligationum, & de modis tantum tollendi contractus vel quasi contractus: ex quibus duo tantum colligimus. Primum, titulum hunc nostrum & regulas supra citatas pertinere tantum ad contractus, obligationes, & actiones, quæ oriuntur ex contractibus vel quasi contractibus; non autem ad obligationes involuntarias, quæ ex delictis etiam privatis descendunt: quare in *Legibus* supra citatis contractus mentio passim occurrit, & tam in *ff.* quam in *Institutionibus* antequam tractetur de privatis delictis, *tit. ultimo lib.* 3. *Institutionum* tractatur de modis tollendæ obligationis, eodemque ordine in *ff.*

Secundum, merito postquam actum fuit de contractibus & quasi contractibus singillatim tam in dictis *Institutionibus* quam in *ff. & Cod.* subjiciuntur tituli, qui ad eos dissolvendos pertinent. Obligationum vero latis-

latissime sumpto vocabulo duæ sunt species, Civilium & Naturalium. Civiles latissime intelligimus, ut etiam prætorias contineant; quæ juris vinculum continent secundum nostræ Civitatis Jura, & necessitate astringunt; ad differentiam obligationum naturalium, quæ improprie tantum, respectu Civilium appellantur obligationes. Continent enim tantum æquitatis naturalis vinculum, nec adstringunt necessitate, neque actionem pariunt: non sunt tamen inutiles; valent enim ad exceptionem & retentionem: quare de illis agitur in *hoc tit.* Tolluntur autem non tantum iisdem modis, quibus civiles, sed etiam aliis pluribus, quibus civiles dissolvi non possunt L. 95. *Stichum* §. *Naturalis ff. hoc tit.*

Observandum maxime in *hoc tit.* sicut certi & definiti sunt Jure Civili constituendæ obligationis modi; ita etiam certi sunt ipso jure dissolvendæ. Et quidem singulis modis constituendæ obligationis singuli modi dissolvendæ specialiter opponuntur: v. g. quatuor modis contrahimus, re, verbis, literis, consensu, *Institutionib. de obligatio. L.* 1. §. 1. *ff. de obligatio. & actio.* Quæ contrahitur re, dissolvitur etiam re, idest præstatione naturali rei vel facti quod promissum est. Quia autem omnis obligatio in dando vel faciendo versatur, notandum per solutionem non tantum obligationem quæ re contrahitur, dissolvi, sed etiam quæ verbis *L. prout hoc tit.* & statim initio *tituli Institutionum quib. modis tollitur obligatio: omnis obligatio tollitur solutione ejus quod debetur*. Quare Græci per solutionem dicunt omnem obligationem tolli, sive re, sive verbis, literis aut consensu contracta fuerit in *verbo καταβολη, Lexico Græco vocum Juris* a D. Labbæo edito.

Verborum obligatio, quæ ex contractu stipulationis descendit, perficitur per interrogationem creditoris & responsionem debitoris congruam, etiamsi res nulla interveniat, nec literarum figura: quare similiter tollitur, nulla re vel scriptura interveniente, per acceptilationem, quæ ideo imaginaria solutio appellari solet, ad differentiam veræ & naturalis solutionis. Acceptilationis autem forma proponitur dicto *tit. Instit. quib. modis tollitur obligatio*. Per acceptilationem autem tollitur tantum obligatio verborum, non reliquæ: remedio tamen stipulationis Aquilianæ, quam Gallus Aquilius Jurisconsultus composuit, transferri potest obligatio quocunque modo contracta in stipulationem; & ita præcedente Aquiliana stipulatione, & per eam extincta veteri obligatione, acceptilatio recte subjicietur, quæ extinguit novam verborum obligationem. Aquilianæ stipulationis forma proponitur *in* §. *est autem prodita dicto tit. Instit. quib. modis*, &c. & in *L.* 18. §. 1. *& L. seq. ff. de Acceptilatione*.

Literarum obligatio, cujus mentio est omissa in dicta *L. prout hoc tit.* sicut & in *L.* 1. *ff. de Obligatio.* quia in desuetudinem abierat *Instit. de Literarum obligatio.* tolli debebat proprie per scripturam mensæ apud Argentarios, qui nomina faciebant & rationes omnium civium; eorumque fides erat publica. Sicut vero scribere dicebantur & nomina conficere, qui literis se obligabant; ita ut legitimo modo ab ejusmodi obligatione liberaretur debitor, per consequens contraria mensæ scriptura erat necessaria: & tum debitor *rescribere sive perscribere* dicebatur, Cicero *Epistola ad Atticum lib.* 4. *epist. ult.* unde locus Horatii *lib.* 2. *satyra* 3.

Seri-

aut ſtatus obligationis. Quos modos ſingillatim explicavit Cujacius in *Paratitulo Codicis de Novationibus* , verius atque apertius quam in *paratitulo ff. eodem titulo*.

Hi autem quatuor modi ipſo jure tollunt obligationem: notandum tamen novationem & acceptilationem, imo confuſionem, compenſationem, omnem generaliter liberationem, ſive ſatisfactionem, late ſumpto *ſolutionis* verbo comprehendi, pro ſubjecta tamen materia; quoties nempe volente creditore aliud ſit quam promiſſum: licet proprie ſolvere dicamus eum, qui naturaliter & reipſa facit quod promiſit *L.* 176. *ff. de Verb. ſig. L.* 49. 52. *&* 54. *hoc tit.* Aliis modis ſatisfacere proprie dicimus, non ſolvere *L.* 4. §. 3. *&* 7. *ff. de re judicata*, Briſſonius *de Verbor. ſignif.* in verbo *ſatisfacere*. Sicut autem ſatisfactionis, ita & liberationis verbum in *Rubrica noſtra ff. & Cod.* latiſſime patet: omnes enim modos obligationis diſſolvendæ ſive ipſo jure, ſive per exceptionem comprehendit *L.* 43. *ff. hoc tit.* quæ plures liberationum ſpecies agnoſcit, v. g. præter quatuor ſupra numeratas, rem judicatam & confuſionem, quoties in unam perſonam debitoris & creditoris jura concurrunt; compenſationem, ideſt debiti & crediti inter ſe contributionem, quando debitor ſuum creditorem eundemque debitorem ſummovet *L.* 1. 2. *&* 3. *ff. de compenſ.* delegationem quæ mandato nempe interveniente inchoatur, & perficitur per ſtipulationem novandi gratia interpoſitam, v. g. mando debitori meo volenti, vel etiam amico, qui non eſt debitor, ut pro me expromittat. Per hujuſmodi delegationem mandatum conſtituitur; impletur vero & executioni traditur mandatum per novationem, ideſt ſtipulationem, qua pro me delegante creditori meo debitor meus vel amicus promittit & obligatur: qua ratione prior obligatio diſſolvitur ipſo jure. Obſignatione & depoſitione pecuniæ recte facta, liberatio contingit: itemque pacti exceptione, vel de dolo, & aliis plurimis exceptionum cauſis, quibus ſupra ſpeciales Tituli aſſignati ſunt.

Obſervanda vero illa imprimis diviſio generalis inter modos tollendæ obligationis, vel ipſo jure vel per exceptionem. Quatuor legitimos modos tollendi ipſo jure ſupra explicavimus, qui continentur *Inſtitutionum tit. quib. mod. tollitur oblig.* Ipſum jus autem non ita accipiendum eſt in hac diviſione, ſicut aliquando in jure accipitur, nempe ut ſignificet jus commune & reliquas partes juris ſcripti vel non ſcripti, exceptis conſtitutionibus: ipſum enim jus ſæpiſſime Juriſconſulti opponunt conſtitutionibus, Cujac. *lib.* 7. *Obſervat. cap.* 19. Exceptiones autem etiam ex conſtitutionibus ſubſtantiam capiunt perinde ac ex reliquis partibus juris §. *Alioquin Inſtit. de exceptionib.* Ipſo itaque jure hoc loco intellige ad differentiam liberationis, quæ fit per exceptionem. Inter utramque autem liberationem multæ ſunt differentiæ: liberatio quæ fit ipſo jure evacuat vires obligationis, extinguit & perimit omnino; nec tantum ceſſat obligatio, ſed extinguitur omnino, adeo ut ejus vires nunquam reparari poſſint *L.* 98. *qui res* §. *Aream ff. hoc tit. L.* 4. *&* 5. *Cod. de ſolutionibus*, nec ulla actio competat: imo & ipſo jure obligatione pro parte ſublata, ſi deinde creditor ſolidum petat, incidat in periculum plus petitionis, & cauſa cadat, *L.* 4. *&* 21. *ff. de compenſationib.* Quoties vero liberatio per exceptionem contingit, actio quidem eſt efficax & recte inſtituitur

absque periculo plus petitionis, sed per exceptionem in Jure a reo propositam est excludenda: imo & per replicationem resolvi potest jus exceptionis; adeo ut pristina actio remaneat integra *L.* 1. *ff. de exceptionibus*, & *Instit. de exceptio.* & *replicationibus*.

Exceptiones præterea sicut & actiones impetrandæ erant a Magistratibus Urbanis vel Provincialibus, v. g. Prætore in urbe, Præsidibus vel Proconsulibus in provinciis: & actionis formulæ præcedenti subjiciebantur exceptiones. In Jure, idest coram Magistratu vocatus ab actore reus sistere se tenebatur: præsens actor intentionem & jus suum proponebat; reus contra si quas habebat allegationes & jura allegabat similiter. Ex utriusque actoris & rei allegationibus componebatur a Prætore actionis formula, cui subjiciebatur formula exceptionis: v. g. ponamus agi ex mutuo; Titius actor intendit: *Aio te Sempronii mihi decem dare debere ex mutuo*. Ponamus Sempronium esse filium famil. & allegare exceptionem Senatus-consulti Macedoniani: replicabit forte creditor in eos usus se pecuniam erogasse, quos pietas paterna non denegaret. Ex omnibus illis allegationibus ita Prætor formulam componebat: *Si paret Titium centum mutua dedisse Sempronio, condemna eum Judex, nisi filiumfamilias esse appareat, vel nisi pareat in necessarios usus creditam pecuniam*. Hæc formula duabus præcipuis partibus constat: prima in conceptione sive comprehensione actionis, exceptionis & replicationis: secunda in datione Judicis consistit, apud quem probatio fieri debebat. Quare exceptio appellatur sæpe conditio *L.* 22. *ff. de exceptionibus*, Cujacius *paratitulo Codicis eodem*: quo sensu actio simplex & judicium purum, ad differentiam conditionalis a Victorino appellatur, cui scilicet nulla exceptio est opposita ab initio: idest in constitutione judicii, in accipiendo judicio & contestatione litis, (hæc enim tria idem significant) licet unius & ejusdem rei, idest actionis, impetrationis varias solemnitates denotent, *accipi judicium*, & *constitui*, & *litem contestari*. Constat autem ex his quæ diximus, formam futuri judicii in Jure apud Magistratus constitui, eamque præscribi Judici dato; cui addicitur, & a qua recedere non potest.

Dicitur vero contestatio litis, quia tam actor, quam reus adhibere testes solebant his verbis solemnibus: *Vos testes estote*, Festus in verbo *testari*, Tullius 2. *de Inventione*: *In jure*, inquit, idest apud Prætorem, & *exceptiones postulantur*, & *quodammodo potestas agendi datur*, & *omnis conceptio privatorum judiciorum constituitur*. Victorinus doctissime ad illum locum: *Prætores, qui jus dicebant*, & *Judices causa dabant*, & *controversiæ vel agendi genus instituta actione firmabant*. Et paulo post: *Apud ipsum vero Prætorem, cum litis ipsius forma componeretur, illic partes aut excipiebant aliquid, aut simplicem actionem accipiebant*. Quare in ipso, ut diximus, jure apud Prætorem, quando de modo agendi quærebatur, tractabatur exceptio, & replicatio: quæ si in impetratione actionis coram Magistratu omissa fuisset a reo, non poterat amplius eam supplere Judex datus, in judiciis scilicet strictis; sed opus erat novo Prætoris decreto. Aliud in judiciis bonæ fidei, quibus exceptiones ipso jure inesse dicuntur, idest licet apud Prætorem vel Magistratum propositæ non fuerint, nec ab eo impetratæ in accipiendo & constituendo judicio (*en obtenant la commission*:) officio tamen Judicis dati supplebuntur, pro-

pter

per illam clausulam generalem, quæ judiciis & actionibus bonæ fidei subjici solebat a Prætore, qui dabat Judicem cum potestate, addita nominatim solemni formula: *Ex bona fide condemna eum Judex*, Tullius 4. *Offic. loco cit.*

Quatuor autem modis legitimis supra explicatis, quibus ipso jure tolluntur obligationes, plures alios addit Brissonius, confusionem, obsignationem, interitum rei ante moram, compensationem, exemptionem a commercio, pignoris venditionem; quoties tantum ex pignoris venditione creditor receperit, quantum debetur *L. 26. ff. hoc tit.* Per exceptionem vero, v. g. ex pacto de non petendo, exceptiones doli, rei judicatæ, temporis, si nempe ad tempus constituta fuerit obligatio, legatum liberationis, ubi duæ lucrativæ causæ in unam & eandem rem & personam concurrunt, & generaliter omnes exceptiones, quæ ex plurimis causis vel ex jure ipso vel ex Prætoria Jurisdictione substantiam capiunt.

Postremo notandum quamvis dixerimus per acceptilationem tantum tolli ipso jure obligationes, quæ verbis contrahuntur, non etiam cæteras §. *item per acceptilationem Instit. quib. modis:* nihilominus tamen reliquis obligationibus apposita acceptilatio, licet sui natura sit inutilis, nec ipso jure eas tollit; habet tamen vim pacti de non petendo, & ex hujusmodi inutili acceptilatione exceptio pacti nascitur: quod intelligendum indistincte sive in materia sive in forma: v. g. si diem, vel tempus, vel conditionem habeat acceptilatio (est enim actus legitimus, qui non recipit diem vel conditionem;) non ipso jure, sed per exceptionem debitor defendetur, ut recte D. Cujacius contra Glossam ad *L. si unus §. penult. ff. de Pactis.* Nam inutilis acceptilatio saltem habet consensum, animum liberandi indicat, & præsumitur habere, nisi contrarium probet creditor, qui accepto tulit, *L. 8. ff. de Acceptilatione*, *L. Cum emptor ff. de Rescindenda vendit.* *L. Si acceptolatum & L. ultima ff. de Acceptilatione*. Notandum vero summe in §. 1. *d. L. si acceptolatum* distingui acceptilationem ab apocha. Acceptilatio est imaginaria solutio; acceptum fertur, quod revera non est solutum (*l'on tient pour receu ce qui n'a pas esté donné:*) Apocha vero ita concipitur: *profiteor te solvisse pecuniam;* unde & professio solutæ pecuniæ appellatur in *L. 14. C. hoc tit.*

Quare mirum non est si acceptilationi non possit opponi exceptio non numeratæ pecuniæ; hoc enim non agitur in acceptilatione: possit vero opponi apochæ, quia mentionem facit numeratæ pecuniæ. Quæ differentia ex re ipsa potius accipitur quam a nomine: nam quæ Latinis dicitur acceptilatio, Græcis Jurisconsultis ἀποχη etiam appellatur. Recentiores tamen Græci professionem solutæ pecuniæ ἀδυναυ vocant, quæ & securitas in libris nostris, Cujacius *libro 5. Observationum cap. 36. in fine*, & omnino *libro 18. cap. 2.* & in *Posthumis Codicis de solutionibus*, Brissonius in *libris de Verb. signif.* in dictione, *acceptilatio & apocha*, ubi integrius illarum dictionum interpretationem refert ex *Græcis Lexicis verborum Juris*, quam in editis doctissimi Labbæi. Appellatur etiam Apocha *Recauta;* quia sicut per chirographum cavet debitor creditori, ita per apocham in solutione facienda recavet debitori creditor, data

 cau-

cautione de suscepta pecunia. Hoc amplius ipse debitor in solutione per antapocham cavet creditori, cujus formam & usum D. Cujacius explicat *Paratitl. Cod. de fide instrumentorum*, & in *Posthumis ejusdem tit. ad L. Contractus Cod. de fide instrumentorum*.

AD LEGEM I. II. III. IV. V. VI. VII. VIII. XXIV. LXXIII. LXXVII. LXXXIX. XCVI. §. penult. & ult. XCVII. CI. §. 1. CII. §. 1. & 2. & CIII. Dig. & ad L. I. Cod. hoc tit.

IN iis omnibus Legibus variæ quæstiones proponuntur & deciduntur, quæ manant ex eodem fonte. Quando nempe debitor, qui ex pluribus causis, idest contractibus vel quasi ex contractibus obligatus est, solverit, cui contractui, vel quasi solutio sit imputanda. Tres regulas, sive definitiones Jurisconsulti in hac materia potissimum constituunt: regulas autem & definitiones conjunximus, quia eundem fere usum præstant; nempe substantiam rei & naturam declarant: λόγον οὐσίας, τὰ ἐστί: & sicut ex definitionibus regulæ facile possunt elici; ita vice mutua prosunt regulæ ad definitiones componendas. Quare mirum non est, si in *tit. de Reg. Jur.* quædam definitiones referantur, perite & ex arte: nam & Mutius Scævola, Papinianus, & reliqui Jurisconsulti, qui de definitionibus scripserunt, conjunctim plurimas regulas inseruerunt; ut tandem agnovit D. Cujacius initio *librorum* Papiniani *de definitionib.*, aliter quam in *Paratitulo de Reg. Jur.* & in *Posthumis ad eundem tit.* Exemplum habemus in *L. 97. hoc tit.* quæ sumpta est ex *libro 2. Definitionum* Papiniani, in qua nulla definitio ex professo, sed regulæ quædam proponuntur, quas deinde explicabimus.

In hac materia nostra prima illa regula occurrit, *in arbitrio esse solventis designare & constituere in re præsenti quod potius debitum, solutum velit.* In *re præsenti*, idest in ipsa solutione: quod tamen ita accipiendum est, ut vel statim ante solutionem, vel statim atque solutum est, scilicet in continenti dum res adhuc agi intelligitur, debeat constituere: nulla mora scilicet interveniente debet designare & demonstrare debitor, propter quod debitum solutionem faciat. Et ita intelligenda est dictio illa, *postea* in *L. 21. Si usuras Cod. de Usuris*, ex ipsis verbis *l. 1. in fine hoc Tit. Cæterum postea non permittitur statuere*, ait *L. 3. hoc tit.*

Ad L. 1. 2. 3. 4. 6. 7. 8. 96. §. ult. 97. & 103. Dig.

Postea, hoc loco accipiendum est, mora aliqua interveniente, & ex modico intervallo statim post peractum negotium, & solutionem. Ita Tutor in ipso negotio debet auctoritatem interponere, idest vel ante, vel statim atque peractum est, nullo alieno actu interveniente, eodem tenore: longo intervallo, vel post multum tempus interposita auctoritas non valet §. *Tutor Inst. de aut. tutor.* & ibi Cujacius in *Poster. & lib. 13. Observ. c. 31.* Ambigua nempe sunt ea verba in Jure, *statim, cum primum, ante, & post*: & pro subjecta materia aliquando non admittunt moram vel cunctationem, aliquando admittunt. Itaque in ambiguo ex jure certo & ex aliis locis Juris apertioribus petenda est interpretatio, ut docuimus *hoc tit.*

Ratio hujus regulæ redditur in *L. 1.* quæ ita est explicanda: sicut in rei nostræ traditione, prædii v. g. vel domus quamlibet legem vel pactum in continenti apponere licet, imo & imponere servitutem, quia scilicet eo mo-

eo momento quo res nostra ad alium transit, adhuc nostra est: ita etiam in numeratione pecuniæ, quæ eo momento, quo in creditorem transfertur, adhuc debitoris est, quælibet conditio imponi potest; vel etiam in continenti, ut diximus, & recte observavit Glossa in *L. 1. Cod. hoc tit.* ex intervallo longo non potest, quia postquam res, domus, fundus, vel pecunia tradita est, aliena fit, & per consequens nullam in ea re potestatem habemus *L. 48. ff. de Pactis L. 34. & 35. ff. de Servitutib. urban. præd. L. 29. & 30. ff. de servitutib. rustic. prædior.*

Secunda regula: *Si debitor in solvendo non commemoret, in quam causam solvat, convertitur electio in creditorem accipientem, cujus est in arbitrio, cui debito potius acceptum ferat: debet tamen statuere in ipsa re*, idest in solutione, vel in continenti; ex intervallo non permittitur statuere, *dicta L. 2. & 3.* Ita tamen Jurisconsulti hanc potestatem creditoris restringunt, ut teneatur creditor imputare solutionem in debitum quod si ipse deberet, solutum vellet. Quam interpretationem ex æquitate contra subtilitatem verborum Jurisconsultos induxisse rectissime Ulpianus ait in *L. 1.* hac ratione reddita: eo animo ad res alienas gerendas accedere debemus, quo ad nostras. In prima vero & secunda regula notandum, alterutrius, creditoris vel debitoris electionem non nocere, si ambobus non placeat *L. 2. hoc tit.*

Tertia. *Quod si nec debitor nec creditor demonstraverint, in quam causam solutum sit; in duriorem & graviorem imputabitur.* Cujus regulæ eadem fere ratio est quæ superioris; quia verisimile est diligentem debitorem ita negotium suum fuisse gesturum L. 97. *ff. hoc tit.* quod ex æquitate & in gratiam liberationis receptum est: proniores enim esse debemus ad liberandum *L. Adrianus ff. de Obligatio. & Leg. 125. ff. de reg. jur.* Durior autem causa ea est, quæ magis onerat debitorem, & qua eum liberari interest magis: quod explicatur in L. 4. *6. 7. 8. 24. 73. 97. 103. & passim hoc tit.* Hic vero ordo constituitur. Prima & durior, si ex causa famosa debeatur, idest ex qua damnatus infamia notatur, v. g. furti, vi bonorum raptorum, directæ actionis tutelæ, mandati, depositi. Directas diximus: nam contrariæ non infamant; quia in contrariis ratio tantum calculi & impensarum vertitur. Secunda causa judicati, nempe quia res judicata finis est litis. Tertia si quid debeatur sub pœna L. 4. *& 7. ff. hoc tit.* Quarta si quid sub pignore vel satisdato, idest vel fidejussoribus datis, vel pignore, vel utroque. Quinta sub Usuris. Sexta quod quis debet suo nomine, & de quo controversia non est: nos enim gravius onerat quam vel debitum controversum, vel quod quis fidejussoris nomine debet alterius causa, L. 1. 4. & 97. Et quidem in L. 1. Coatius & Cujacius transponunt recte negationem, creditorem debere imputare non in id debitum, quod est in controversia, idest non recte faciet creditor, si quod solvitur, acceptum ferat in debitum non liquidum, aut in illud pro quo fidejusserat. Vide Cujacium *lib. 5. Observat. cap. 34.* & ad *Papinianum* in L. 97. *hoc tit.* ubi interpretationem suam auctoritate *Basilicon* confirmat; licet locus in *Synopsi.* sit corruptus *pag.* 80. Minus etiam onerat debitum in diem, cujus dies nondum venit, vel sub conditione quæ nondum extitit, quam debitum purum, idest sine die & conditione. Quod si omnia deli ita similia fuerint, in antiquius debitum imputabitur L. 3. 5. & 24. *hoc tit*

tit. quod si par dierum & contractuum causa sit, ex omnibus summis pro portione solutum videbitur, idest imputabitur omnibus summis pro portione & modo pecuniæ cujusque contractus, pro rata & analogice L. 8. & 96. *pupilli* §. *ult. ff. de Solutionibus.*

Quia vero raro credere solemus & contrahere, nisi acceptis mandatoribus, fidejussoribus, pignoribus, vel hypothecis, & sæpius sub usuris; tam in Legibus sæpe citatis, quam in *toto tit.* imo & initio *hujus libri* de mandatoribus & fidejussoribus, & reliquis quæ diximus, sæpissime tractatur: quæ ne remorentur nos in progressu, de singulis breviter admonendi estis; 1°. fidejussores accedere alienæ obligationi, quare & adpromissores dicuntur, & plures accipi posse, nec tantum in principali contractu perficiendo, sed etiam antea; ita tamen ut fidejussor eo casu non prius obligetur effectu, quam principalis contractus perfectus fuerit. Attendimus enim non ordinem temporis, vel scripturæ, sed juris: nam ex Jure fidejussio est sequela & accessio principalis obligationis: itemque post principalem contractum interjecto tempore potest accipi. Per stipulationem autem sive verborum obligationem fidejussor accipitur, & omnibus contractibus & obligationibus quoquo modo contractis, etiam naturalibus potest accedere: nunquam tamen in duriorem causam quam reus principalis obligatur, in leviorem potest. Sicut autem fidejussores sequuntur principalem contractum; ita & mandatores præcedunt contractum principalem: mandant enim vel alii pecuniam credi, vel cum eo contrahi. Sub eodem tamen *tit.* conjunguntur, quia intervenire solent quo facilius alteri fides habeatur; quamvis aliquando non tantum rei principalis, sed etiam mandatoris gratia, propter commune negotium mandatum soleat contrahi.

Pignus vero contrahitur tam in gratiam debitoris quam creditoris; debitoris, ut ei facilius credatur: creditoris, quo magis sit in tuto debitum. Constituitur autem re, idest rei traditione corporali, mobilis scilicet, vel quasi traditione rei incorporalis, v. g. inductione in possessionem vel cessione nominis; quo modo contractus perficitur re: quod Jure Civili comprobatum est *tit. quibus modis re contrah. oblig.* Ex eo contractu nascitur actio civilis pigneratitia, directa personalis, & contraria. Directa datur debitori post solutum debitum, ad pignus repetendum: & contraria creditori adversus debitorem, si quos sumptus circa rem pigneratam fecerit. Hypotheca autem consensu nudo perficitur, & est nudum pactum; quare non parit actionem civilem: jure tamen prætorio, utilitate suadente, hypothecaria in rem creditori datur, cui simpliciter nuda conventione absque ulla traditione vel quasi traditione res mobilis sive immobilis obligata est. Hypothecariæ actionis hic est effectus, ut deficiente in solvendo debitore tam adversus debitorem quam alium quemlibet possessorem, persecutionem rerum obligatarum creditor instituat actione in rem prætoria §. *Serviana Instit. de Actionibus.*

Notandum tamen est etiam propter pignus, quod traditione vel quasi constitui diximus, hypothecariam actionem prætoriam in rem dari, si forte creditor possessionem amiserit, & dari tam adversus debitorem quam quemlibet alium possessorem. In hoc vero *tit.* passim, maxime vero in *Legibus* quas conjunximus, tractatur non tantum de variis modis liberandi rei principalis, fidejussoris, sive adpromissoris, mandatoris, sed etiam de lui-

luitione pignoris & liberatione vel hypothecarum vel usurarum, quæ conjunguntur in *L.* 48. *ff. hoc tit.*

Usuræ vero proprie Jure Civili tantum percipiuntur, non autem natura: pecunia enim naturaliter pecuniam non parit. Usuræ autem civiliter constituuntur per stipulationem: & hæ dicuntur in *L.* 5. *hoc tit.* Usuræ debitæ, quas nempe debitor exsolvere cogitur: aliæ usuræ dicuntur indebitæ Jure Civili scilicet; naturaliter tamen debentur, v. g. quæ nudo tantum pacto constitutæ sunt. Ex his retentio permittitur tantum, nec compelli potest debitor ad eas solvendas *L.* 5. *&* 101. §. 1. *ff. de Solutionibus & liberationibus*. Pignora non tantum propter sortem, sed etiam propter usuras tam civiles quam naturales obligantur. Necessaria est autem specialis obligatio in singulis causis *L. solutum* 11. §. *si in sortem ff. de Pignor. Act. L.* 4. 21. *&* 22. *Cod. de Usuris*, *L.* 5. *&* 14. *ff. de Pignoribus*: ex quibus etiam constat sicut fidejussores diximus, ita pignus vel hypothecam non tantum propter civilem, sed etiam naturalem obligationem accipi posse. Quod intelligendum de usuris, quæ promissæ non sunt supra modum legitimum & licitum: illicitarum enim usurarum nomine nec actio nec exceptio competit; *Legibus supra citatis*.

Notandum præterea regulariter si nec a debitore in solutione facienda, nec a creditore expressum fuerit nominatim, utrum solutio in sortem vel in usuras cederet; prius in usuras, deinde quod superest in sortem imputandum: usurarum enim causa gravior est debitori, ad quam solvendam prius potest compelli; ad sortem autem, quamdiu usuras solvit, nisi aliud convenerit, non potest: & saltem antiquior est causa exactionis usurarum. Et ex hoc jure constituto & certo, ad quod pertinet *L.* 1. *Cod. de Solutionibus*, respondet Jurisconsultus in §. *ult. L.* 5. *& in L.* 6. si creditor apocham, sive cautionem ita conciperet: *accepi centum in sortem & usuras*, ordinem potius Juris inspici debere quam scripturæ: & ita non imputabitur solutio primo in sortem, vel conjunctim in sortem & usuras, quod ordo scripturæ suadere videbatur: sed secundum jus prius in usuras, deinde quod superest in sortem acceptum feret, sive ex uno, sive ex pluribus contractibus debeatur; dummodo tamen usuræ civiliter debeantur, idest ex stipulatione: nam si ex pacto tantum, nec nominatim expresserit debitor in solvendo se solvere usuras, quas ex pacto debet; creditor non poterit in eas imputare, & hoc est quod dicitur *in* §. *penult. d. L.* 5. (*proprio titulo non numeratæ*) idest debitore in solvendo non exprimente specialiter titulum pacti, soluta pecunia in sortem cedit. Et hæc habent locum quando debitor ultro solvit: aliud si cessante debitore in solutione, pignora quæ obligata sunt, distrahantur: tunc enim licet creditori, cui debetur ex pluribus contractibus, acceptum ferre, in quam summam velit; imo si natura debeatur, poterit in naturale debitum imputare, & persequi quod sibi ex causa civili debetur *L. Paulus respondit* 101. §. 1. *& L.* 73. quod & attingitur in L. 5. §. 2. ubi de pecunia redacta ex pignoris conventionalis venditione tractatur. *Ad L.* 1. *C. & ad L.* 5. *&* 101. §. 1. *Dig.*

Exceptiones regulæ proponuntur tres. Prima quæ in *dicto* §. ex ordine juris descendit, nempe creditorem, cui in sortem & usuras pignus obligatum est, teneri prius in usuras pretium distracti pignoris imputare, quam in sortem, sive ex uno sive ex duobus contractibus debeantur usu-

ræ.

tæ. Ponamus ut in §. 2. *dictæ L.* 5. ex duobus contractibus diversis temporibus initis uni & eidem creditori usuras debitas, civiliter ex stipulatione & naturaliter ex pacto: non licebit creditori pretium venditi pignoris prius imputare in sortem, vel in usuras naturaliter debitas tantum, non autem civiles tantum, sed æqualiter imputabit, non quidem in sortem, sed tam in usuras civiles, quam naturales ex æquo. v. g. ponamus pretium pignorum fuisse decem, usurarum civilium viginti, & naturalium pariter viginti; quinque singulis summis imputabuntur. Ponamus esse dispares summas usurarum, v. g. civilium viginti, naturalium decem, pignorum vero decem: æqualis etiam fiet distributio arithmetice & numero, v. g. quinque singulis summis; non autem pro rata summarum qua debentur, non pro portione & analogice. Notandum autem in *d.* §. *L.* 5. diversis temporibus pignus fuisse constitutum, generaliter tamen & æqualiter propter utrumque contractum, v. g. sub hac forma: *Fundus Sempronianus obligatus esto*, ex alio nimirum contractu, alio tempore inito cum uno & eodem creditore & debitore. Aliud est enim si inæqualis fuerit constitutio pignoris, ut deinde dicemus in explicatione §. *penult. L.* 96. ibi: *quod si temporibus discretis*.

Secunda exceptio quando expresse aliquid convenit in constituendo pignore, lex contractus servanda est: v. g. ponamus Titium ex duabus causis teneri Sempronio: decem ex legato, & decem ex stipulatione debere; duobus vero diversis temporibus in utramque causam eandem rem pignori obligasse sub hac forma: *In summam debitam ex legato fundum in solidum; in summam vero ex stipulatione superfluum pignoris, ὑπερόχην nominatim*, id est *la plus value*. Si postea pignus distrahat creditor, secundum legem pignoris tenebitur pretium 1º. in legati solutionem, & si quid deinde supersit ex pretio, imputare in stipulationem: quæ est species secundæ partis §. *penult. L.* 96. *hoc tit.* ibi: *quod si temporibus discretis*; cui & addenda fere similis species in L. 20. *quærebatur ff. qui potiores*. Rationem differentiæ inter §. 1. *dictæ L.* 5. *hoc tit.* & hunc locum oritur ex inæquali constitutione pignoris & diversa conceptione verborum, ut tandem agnovit D. Cujacius ad *d.* §. *penult. d. L.* 96. *apud Papinianum, & ad responsa Pauli ad L. Paulus respondit.* 101. §. 1. *hoc tit.*

Ad § *penult. L.* 96. *Dig.*

Tertia exceptio proponitur initio dicti §. *penult. L.* 96. quando ex duabus præcedentibus causis & contractibus diversis temporibus celebratis, pignus tamen uno & eodem tempore fuerit obligatum eidem creditori; tunc non habebit facultatem creditor eligendi, in quam summam imputet pretium pignorum; quia, ut ait Papinianus, præsumitur tacite pignora subjecisse consortioni, idest communiter & in eandem causam exæquasse.

Itaque pro rata & analogice fiet distributio, idest pro modo & summa debita ex singulis contractibus: quæ distributio etiam fit, quoties nihil nominatim in solutione sive voluntaria, sive necessaria, idest in distractione pignorum exprimitur; & par est causa dierum & contractuum: tunc enim pro portione debiti fiet distributio, & de omnibus summis solutum videbitur, idest pro modo summarum dubitarum, non autem æqualiter solutio distribuetur; vicissim minor minori imputabitur comparatione facta summarum debitarum, non autem æqualiter & numero distribuetur solutio. Quam sententiam tandem, ut diximus, comprobavit Cujacius, mutata sententia,

tia, quam secutus erat *lib.* 11. *Observat. cap.* 33. in quo constituerat differentiam inter pignus conventionale, de quo putabat agi in *dicta L.* 96. *pupilli* §. *penult.* & inter pignus prætorium, quod constituitur bonis ex Edicto possessis & venditis, vel etiam captis extra ordinem pignoribus in causam judicati plures summas continentem, de quibus agi putabat in *dicto* §. *L.* 5. *hoc tit.* Nam indistincte in *dicto* §. & *L. Paulus respondit* 101. §. 1. *hoc tit.* de pignoris cujuslibet distractione tractatur.

Ex quibus colligimus præcipuas exceptiones regulæ quæ dicit, *Tacente debitore in solutione facienda, creditoris cui ex pluribus causis debetur, arbitrio permitti in quam causam velit imputare solutionem.* Itemque explicavimus differentiam inter solutionem voluntariam & necessariam, quæ nempe contingit deficiente debitore in solutione ex distractione pignorum: nam ex necessaria creditor, cui civiliter & naturaliter debetur, potest in naturale debitum referre pretium pignorum, vel generaliter etiam in id quod velit, & in leviorem causam acceptum ferre *L.* 73. *hoc tit.* in cujus specie creditor imputat pretium pignorum in eam summæ partem, quæ sine fidejussoribus debebatur; quamvis creditor in solutione voluntaria, licet indistincte solutum sit, idest nec debitor, nec creditor specialiter designaverint, in quam causam solutum velint, in duriorem causam teneatur referre: durior est autem quæ satisdato debetur. Et hanc differentiam ex verbis colligimus, & contrariæ Glossæ suspicio verbis apertissimis textus refellitur. *Ad L. 73. Dig.*

Verum ut quæ pertinent ad regulas supra expositas persequamur, sive debitor sive creditor aperte legem dixerint solutioni; quod conventum est omnimodo servari debet *L.* 5. *in fine L.*24. & 89. *hoc tit.* & quidem in §. 2. *L.* 5. potest debitor in solvendo eam legem dicere, ut pluribus fidejussoribus, quos dedit unum tantum liberet, ita ut ipse & reliqui fidejussores obligati remaneant, qua de re plenius ad *L.* 37. *hoc tit.* *Ad L. 24. & 89. Dig.*

In specie vero *L.*24. notanda ambiguitas vocis *dena*, quæ & decem, & viginti in *dicta Leg.* simul significat *ανα δεκα*: & quidem in obligatione fidejussoris, qui pro duobus reis fidejussit qui diversis temporibus decem promiserant. Dena promisit fidejussor, idest pro singulis decem promisit: quare & obligari dicitur in viginti; quæ quidem viginti si solvat, utrumque reum liberat in solidum: dena enim pro duobus promittere intelligitur. Quod si decem tantum solvat, utrumque etiam reum relevare intelligitur, nempe singulos in quinque; & hoc propter vocis ambiguitatem: sæpe enim dena significant decem, ut pluribus exemplis confirmat Cujacius *lib.* 25. *Observat. cap.* 13. Per consequens quia, quod indistincte solvit decem, verba & solutio utrique reo principali ex æquo possunt convenire, nec potius ad unum quam ad alium possunt referri; æqualiter utrique proficient: uterque enim reus poterit contendere se fuisse liberatum, nec in antiquius debitum illa decem referentur. Si vero quinque, vel quindecim soluta fuerint; quia ambiguitas cessat, tunc locus erit regulæ Juris, & antiquiori debito cedet solutio.

Quod si in solvendo actum fuerit, propositum & tractatum propter quam summam solvatur, licet in apocha vel acceptilatione generalia & peremptoria quædam verba reperiantur, v. g. *reliquum, omne, cetera*; restringentur tamen ad summas tantum, de quibus solvendis nominatim fuerit actum, licet eidem creditori debeatur ex aliis causis, hac ratione quia cogitatum

tatum de illis non fuit, ut in eleganti specie *L.* 89. *hoc tit.* quæ valde confirmatur *L.* 5. & *L.* 9. §. 1. *ff. de Transactionibus*.

Antiquius autem debitum intelligimus, non tantum quando contractus est antiquior tempore, sed etiam cujus solutionis dies cessit prius; quamvis uno & eodem die & momento uterque contractus peractus sit: licet etiam eo tempore, quo petitur, utriusque debiti terminus venerit: lex enim dicta initio contractus cujusque servanda est, ut in §. 2. *dictæ L.* 89. in quo hæc verba (*ita ut viginti prius solvantur Idibus Septembribus*) efficiunt, ut antiquius sit debitum, quamvis alter contractus eodem die peractus fuerit, & sub usuris gravioribus: quæ enim lex in contractu fuit apposita, quoties aliud dictum est, in solutione censetur repetita, sicut & in specie §. *penult. L.* 96. pretium pignorum distribuitur secundum legem in constituendo pignore dictam. Quod verò dicitur in *dicto* §. 2. (*Idibus Septembribus*) repetendum est ex more solemni usurarum, quæ in singulos menses constituebantur & exigebantur. Solebant quidem pecuniæ Calendis collocari; non tamen sequentis mensis Calendis statim exigebantur, sed Idibus tantum; dato quodam spatio temporis debitori ad conficiendam pecuniam. Utrumque eleganter Horatius colligit.

Omnem relegit Idibus pecuniam,
Quærit Calendis ponere.

Graviores autem usuras levioribus opponit. Gravissimæ sunt centesimæ, quæ intra centum menses sortem exæquant: leviores sunt semisses, quincunces & unciariæ comparatione facta ad centesimam, sicut ad assem.

Notandum tamen sicut originem, ita etiam finem & modum usurarum Legibus definitum fuisse, nec licere excedere. Quare verissime Papinianus in *L. Si navis ff. de rei vind.* Usuras ait, *non natura provenire, sed jure percipi, non ex ipso corpore sicut fructus, sed ex alia causa*, idest stipulatione, nova obligatione: prima enim obligatio est mutui sive pecuniæ creditæ; nova obligatio, sive usurarum ex stipulatione *L.* 121. *ff. de Verb. sig.* Ea omnia, quæ diximus de usuris, elegantissime explicat Seneca *lib.* 7. *de Beneficiis cap.* 10. *Quid enim ista sunt? quid fœnus? quid calendarium? quid usura? humanæ cupiditatis extra naturam quæsita nomina. Quid sunt istæ tabulæ? quid computationes & venale tempus, & sanguinolentæ centesimæ? voluntaria mala ex constitutione nostra pendentia, in quibus nihil est, quod subjici oculis, quod teneri manu possit.*

Antiquius etiam debitum intelligitur, quod primo cœpit deberi, licet eo tempore quo solutio fit, plurium summarum debitor inveniatur reliquator: tunc enim non omnibus summis vel æqualiter, vel pro rata, sed in primam quamque summam, idest quæ prius debita est, proficiet solutio;

Ad L. 77. & 102. §. 2. *Dig.* imo quamvis ita generaliter concepta fuerit apocha, *Accepi ex summa majore tot aureos*, *L.* 102. §. 2. *hoc tit.* generalia verba secundum Juris intellectum explicabimus; quod est hujusmodi, ut quoties paria sunt nomina, in antiquius debitum liberatio contingat. Huc etiam pertinet *L.* 77. in liberto antiquiorem non esse contractum quam operarum, quas pro libertate promisit vel juravit patrono in datione libertatis vel in continenti: cujus *L.* speciem Glossa non intellexit: nec enim de potestate & viribus obligationis operarum dubitabatur, sed comparatio fit cum aliis contractibus gestis cum domino ante vel post manumissionem, ut in specie *L.* 1. 2. & 5.

& 5. Cod. an servus pro suo facto. Antiquissimus autem ille est contractus operarum; imo & omnium primus: nam ante manumissionem servus personam & caput non habet, nec est capax obligationis. Quare ex ante gesto in servitute non tenetur; ex solis tantum delictis in servitute admissis post manumissionem tenetur.

Eo vero momento, quo manumittitur, nasci intelligitur statum, caput, personam accipit. Itaque nulla potest esse antiquior obligatio liberti quam operarum, sine qua libertas ei data non esset. Sub hac nempe conditione dari solet, ut praestentur operae officiales patrono: quamvis etiam ex mera liberalitate libertatem dominus si velit conferre possit. Hujusmodi autem obligatio operarum inter eas quae verbis contrahuntur, a Gaio numeratur in *Institutionibus*: quae quidem obligatio hoc habet singulare, ut non tantum per stipulationem, sed etiam per juramentum liberti nudum, & absque stipulatione constitui possit, si nempe libertus patrono praesenti domum, munus, aut operas se daturum esse juraverit, Gaius *lib. 2. Instit. tit. 9. §. item*, quod *Lege Julia & Papia* effectum est; alioqui nunquam ex juramento, sicut nec ex nudo pacto datur actio, nisi lex nominatim, vel alia similis pars juris id statuerit, & actionem induxerit. Diximus *libertum promittere*; nulla enim alia persona praeterquam liberti patrono ex juramento operarum naturaliter vel civiliter teneretur, L. *Si quis 56. ff. de Fidejussoribus*. Diximus *praesenti patrono*, non autem absenti L. *6. §. Si quis absenti ff. de Confessis*. Praeterea verborum obligatio, qualis & ista, inter praesentes tantum contrahitur, in ipso articulo manumissionis vel paulo post. Diximus autem *verbis juramento firmatis operarum obligationem contrahi*: quare mirum non est, si ipso Jure etiam per acceptilationem tollatur L. 13. *ff. de Acceptil.* Vide Cujacium utroque *Paratitulo ff. & Codicis de Operis libertorum*, maxime in *Posthumis Codicis & lib. 22. Observationum cap. 7.*

AD LEGEM IX. X. XI. XII. §. 3. XXXIII. initio, XXXIV. §. 2. XXXVIII. initio, LVII. §. 1. LIX. LXXI. initio, LXXXI. XCV. §. 5. 6. 7. XCVIII. §. 4. 5. 6. 7. & CVI. ff. & ad L. XII. Cod. eodem.

Leges omnes, quas collegimus, pertinent ad tractatum de Adjecto solutionis causa in stipulatione. Et quidem statim in principio observanda est haec regula, quae proponitur in L. 12. *Cod. hoc tit. invito vel ignorante creditore qui solvit alii, se non liberat obligatione*: sicut etiam aliud pro alio solvi non potest, nisi consentiente creditore *Instit. quib. modis tollitur obligatio initio*. Invito vel ignorante: nam mandante, vel ratum habente postea creditore, recte solvitur, v. g. procuratori, dispensatori vel actori servo, quibus dominus solvi permiserat; vel etiam cuilibet, si postea creditor ratam habuerit solutionem: ratihabitio enim mandato comparatur; vel etiam ex officii necessitate, v. g. utilitate publica suadente, pupillorum Tutoribus vel Curatoribus furiosorum & dementium recte solvitur: de quibus omnibus personis, quibus pro alio recte solvitur, *hoc nostro titulo* separatim tractatur. Multo magis autem recte ei solvitur pro alio, qui Adjectus est in ipsa stipulatione; quia ita placuit in contrahendo; ita lex dicta est communi consensu partium: quare tenetur sti- *Ad L. 12. Cod. L. 12. § 3 & 106. Dig.*

 pula-

pulator invitus eam observare : *certam enim conditionem accepit ab initio stipulatio, quam immutare amplius non potest stipulator* L. 12. §. 3. *ff. hoc tit.* Jure stipulationis & contractus solvere potest debitor Adjecto, etiam invito creditore : imo & prohibente L. 106. *ff. hoc tit.* quia talis fuit lex obligationis L. 6. *eodem*. Quare in *dicta* L. 106. *& in* L. 12. *hoc tit.* distinguitur Adjectus ab eo, cui post contractam stipulationem mandato vel permissu meo solvi jubeo. Hujusmodi enim mandata, vel expressa ut in procuratore ad exigendam pecuniam, vel tacita ut in dispensatore, institore, & similibus, quibus libera administratio permissa est, rebus integris revocari possunt: sed de his plenius suo loco.

Adjectus itaque solutionis gratia continetur contractu & inter causas obligationis refertur in L. *obligationum causa ff. de obligat.* sicut & dies, conditio, modus & locus: inter causas tamen per accidens, non autem inter eas, quæ sunt de substantia contractus: licet enim Adjecti persona, vel non omnino vel non recte adjiciatur, non ideo minus in persona stipulatoris utiliter procedit stipulatio; sicut etiam si non inferatur conditio, tempus, locus & modus, consistit tamen & pura dicitur obligatio.

Causa autem ista obligationis specialiter appellatur accessio in *d.* L. *obligationum* §. *accessio*; quia adjicitur persona, quæ accedit reo principali, & cui recte solvi potest, perinde ac si solveretur reo principali. Solvi, inquam, potest tantum: nec enim petere vel a debitore vel ab ejus fidejussore potest: multo minus novare obligationem, vel acceptum facere

Ad L. 30. 33. 34. § 2. 57. § 1. 59. 71. *initio*, 98. §. 4. 5. 6. & 7. *Dig.*

L. 10. *hoc tit.* L. 16. *ff. de fidejussorib.* quia nec obligatio nec actio ei acquiritur, sed stipulatori tantum. Adjectus solutionis tantum causa adhibetur, & factum tantum solutionis in ejus personam confertur: & quidem, ut infra dicemus, ante litem contestatam a reo principali cum debitore : nullum enim jus postea ei competit §. *si quis alii Instit. de inutil. stipulat.* L. 57. §. 1. L. 98. §. *qui stipulatus verf. at ubi simpliciter ff. hoc tit.* Quare in constituenda obligatione, utrum valeat nec ne, inspicitur tantum utrum, quod ad stipulatorem pertinet, vires acceperit obligatio; persona Adjecti non consideratur L. 141. §. 5. *ff. de verb. oblig.* Quare etiam persona Adjecti semper ponitur loco posterioti, nec potest præcedere: nec enim obligatio solutionem aut solutionis tacitam mentionem subsequi debet L. 93. §. *si servus ff. hoc tit. &* L. 45. *Gajus ff. soluto matrim.* Eademque ratione una & eadem res, non diversæ, ex stricto jure hujusmodi obligatione contineri potest, & simul solvi debet eadem res creditori vel Adjecto, non diversa. V. g. si creditor sibi decem dari, vel Adjecto Stichum stipuletur; quæ adjectio personæ & rei simul vocatur in L. 44. §. *accessio ff. de Obligationibus*: multo magis si non tantum res diversæ, sed etiam facta diversa deducta fuerint in obligationem; ipso jure, si vel aliud solutum, vel aliud factum impletum fuerit in persona Adjecti, a reo principali liberatio non continget. Ipso jure, inquam; quia, ut diximus, illud tantum re continetur in obligatione, quod fuit promissum creditori; cui etiam soli obligatio acquiritur; ex æquitate tamen per exceptionem subvenietur debitori, cui secundum legem conventionis aliud pro alio solvendi Adjecto facultatem permisit creditor. Electio debitoris complenda est, quæ re vera non impleretur, si quod conventum est non solveret Adjecto L. 41. §. 5. *ff. de verb.*

verb. oblig. L. 34. §. *stipulatus* & L. 98. §. *mihi Romæ ff. hoc tit.* Et ita, ut supra attigimus, hoc casu stipulatio non tantum tenet & obligat debitorem sive promissorem, sed etiam stipulatorem seu creditorem. Ex dicto tamen §. 5. & *ex* §. 1. *L.* 57. *hoc tit.* notandum beneficium illud electionis, quo permittitur debitori etiam invito vel ignorante creditore solvere Adjecto, sive una & eadem res obligatione contineatur, sive alia creditori, alia Adjecto promissa sit; habere tantum locum ante litem contestatam. Nam post litem contestatam non potest amplius Adjecto solvi, quem stipulator prævenit, & imputare sibi debet quod electione sua non est usus *L.* 16. *inpr. ff. de fidejussoribus* & *L.* 57. §. 1. *Dig. hoc tit.* Quamvis autem res diversæ ipso jure designari non possint in persona adjecti; locus tamen, tempus, modus, imo & conditiones diversæ possunt addi, cum hac tamen cautela, ut prius in persona rei principalis obligatio consistat, ut in exemplis *L. ult. ff. de verb. oblig.* & L. 98. §. 4. & 6. juncta L. 70. *ff. hoc tit.*

Persona vero cujuscumque sexus, ætatis, vel conditionis adjici potest, quæ res intellectum naturalem habet, nec ad jus refertur, vel ad personas Jure Civili cognitas, v. g. non potest solvi hæredi Adjecti L. 55. *ff. de verb. oblig.* & L. 81. *ff. hoc tit.* Solutio enim, sicut & traditio, facti magis est quam juris L. *consilio* §. *ult. ff. de curatore furiosi:* factum enim personæ electum est, quod naturaliter in ejus tantum, non autem in alterius persona implendum est: quamvis ea quæ in jure consistunt, transeant ad hæredem, fictione scilicet juris, qua defuncti personam hæres repræsentat: quas fictiones & commenta non recipiunt ea, quæ consistunt in facto. Eadem ratione si servo vel filiofam. solvi quis stipuletur, patri vel domino non recte solvitur, nisi consensus filiifam. vel servi interveniat L. 95. §. 5. *in fine. ff. hoc tit.* Idemque dicendum, quoties in aliqua certa & designata persona est conditio implenda: comparatur enim sæpissime Adjectus solutionis causa cum eo, in quo impletur conditio L. 68. & 95. §. 5. *hoc tit.* Pupillo etiam adjecto solutionis causa solvi potest, etiam non interveniente tutoris auctoritate, L. 11. *hoc tit.* licet certum sit si quid pupillo principaliter debeatur, sine tutoris auctoritate non recte solvi L. 15. & passim *hoc tit.* Receptum tamen est tutori pupilli Adjecti vel curatori furiosi recte solvi posse *d.* L. 95. §. 7. si tamen pecunia in rem pupilli versa fuerit, ut in *dicto* §. additur: confirmatur L. 22. *ff. de manumiss. testa.* Tutor enim domini, idest pupilli loco est, si utiliter res ejus administret, non si avertat vel dissipet.

Ad L. 11. 15. 68. 81. 95. §. 5. & 7. Dig.

Qua tamen in re quando nempe de datione pecuniæ tractatur, distinctio constituenda est inter pupillum & furiosum adjectos solutionis causa in contractu inter duos vel plures inito, & inter pupillum & furiosum, in quorum personis conditio pecuniæ dandæ testamento est apposita. Quæ quæstio tractatur & deciditur in L. 68. & L. 95. §. *nam si* 7. *ff. hoc tit.* & L. 13. *ff. de Conditio. & demonst.* Ita speciem ponamus: hæredem instituo Titium, vel fundum aut ædes lego, vel libertatem lego Sticho, si decem dederit pupillo vel furioso. Quamvis diximus pupillo adjecto solutionis causa recte solvi etiam sine tutoris auctoritate, tamen illis casibus non recte furioso vel pupillo pecunia dabitur, sed tantum eorum tuto-

tutoribus vel curatoribus: quare recte Papinianus in *dicto* §. 7. L. 95. ita colligit *si conditionis implendæ causa recte tutori vel curatori pupilli vel furiosi detur*: quod receptum fuisse ait utilitatis causa a Labeone & Pegaso, ideft a Proculianis (aliud enim fentiebant Sabiniani, ut dicemus:) eadem utilitatis ratione suadente & per consequens poterit solvi tutori vel curatori Adjecti pupilli vel furiosi: uterque enim casus in datione & in facto, sive numeratione pecuniæ versatur. Non tamen ideo negat quin etiam pupillo adjecto solvi possit: imo præsupponit hoc velut certum; unde ratio dubitandi petenda est in *d.* §. 7. L. 95. necessario scilicet solvendum pupillo: quod statim proponitur in L. 11. ex Pomponio *lib. 8. ad Sabinum*, sicut & L. 13. *ff. de Condit. & demonst.* sumpta est ex Pauli *lib. 5. ad Sabinum*, & L. *Mævius* 55. *eod. tit.* ex Javoleno, qui Sabinianus fuit.

Nempe dissentiebant circa conditionem dandi furioso vel pupillo utriusque scholæ Jurisconsulti. Et quidem Sabiniani omnino in persona pupilli vel furiosi conditiones omnes sive dandi sive faciendi implendas contendebant; quia ubi certa persona designata est nominatim, stricto parendum est conditioni: nec curandum quid de pecunia fieret, daretur perdituro nec ne. Quod aperte probatur ex *dicta* L. 55. Contra vero Proculeiani, quorum Princeps Labeo, Proculus & Pegasus, qui & nominatim a Papiniano novæ sententiæ citantur auctores, quamvis stricto jure admitterent, quoties persona aliqua comprehenditur conditione, qualiscunque sit, & cujuscunque conditionis, parendum esse conditioni: tamen utilitatis causa, si pupilli vel furiosi persona occurrebat, distinguebant inter conditiones, quæ in faciendo & eas quæ in dando consistunt: v. g. in faciendo, *Stichus liber esto, si servierit per tres annos, vel moratus fuerit cum pupillo vel furioso, aut quid aliud fecerit*. In his & similibus casibus, tutore etiam vel curatore absente vel non interveniente, conditiones in faciendo impleri possunt. Quod si in dando, in numeratione pecuniæ versentur, eorum tutori vel curatori recte dabitur L. 95. §. 7. *hoc tit. & dicta* L. 13. *ff. de Conditio. & demonst.* quæ desumpta videtur ex *Notis* Pauli, quas ad *Sabinum*, & sæpe contra ejus mentem adscripsit secundum jus, quod postea receptum est ex sententia Proculeianorum, quæ prævaluit.

Hoc amplius Ulpius Marcellus, quem Proculeianum fuisse recte nuper observavit doctissimus Merillius *lib. 1. Observat. cap.* 28. ubi tamen hunc locum insignem omittit: Marcellus, inquam, qui plenissime tractavit hanc quæstionem in loco singulari L. 68. *hoc tit.* addidit non tantum recte persolvi tutori pupilli vel curatori furiosi, sed præterea non aliter recte dari, nec posse impleri conditionem in persona furiosi vel pupilli, hac ratione, *ne datio ex illorum imbecillitate pereat*: perdituris enim dedisse videretur: *nec enim hoc* ait *egisse testatorem, ut quoquo modo esset datum, expleta videretur conditio*. Recte *testatorem*. Itaque præcise de conditione in testamento apposita loquitur: quod & prima legis verba & facti species satis ostendunt; aliud scilicet significans dicendum in contractibus, in quibus similis conditio dandi est apposita: itemque aliud in Adjecto gratia solutionis in stipulatione, de quo loquitur Lex 11. *ff. hoc tit.* His enim casibus liberum est debitori etiam pupillo solvere; debitor

bitor quippe in contrahendo sibi prospexisse intelligitur potius quam pupillo, & imputare sibi debet stipulator, qui solvendi pupillo facultatem debitori permisit. Aliud in testamentis: testator enim, qui legatum vel libertatem relinquit sub conditione dandi furioso vel pupillo, eis consuluisse prudenter præsumitur, & juvari beneficio debent, non decipi: nec hæres vel legatarius, qui onerati sunt conditione dandi, possunt dici sibi prospexisse; solus enim testator condit testamentum & legem dicit in eo. Eademque ratione impossibilis conditio institutioni vel legato apposita non vitiat testamentum: circumscribitur enim tanquam mendum testatoris: contractum vero inutilem reddit; lusisse enim uterque intelligitur: nec enim credimus si serio agere voluissent, duobus vel pluribus mendum facile excidere L. 1. *ff. de Conditio. institut.* L. 3. *ff. de Conditio. & demonst.* & §. 10. *Instit. de heredib. instituendis*, juncta L. 31. *ff. de Obligatio. & actio.*

Quoties autem implenda est conditio, vel in persona pupilli, vel in persona tutoris; si stet per pupillum vel per tutorem, quominus pareatur conditioni, perinde habetur ac si impleta foret L. 7. & 24. *ff. de Conditio. & demonst.* dummodo tamen nulla fraus, culpa, vel dolus arguatur illius, qui conditionem tenetur implere. Quid enim si colluserit cum tutore, vel curatore? non habebitur pro impleta; ne quidem si libertas sub conditione relicta sit L. 22. *ff. de Manumissis testamento.*

Adjecto itaque pupillo recte solvi potest secundum Sabinianos: quod & Tribonianus probavit, qui *d.* L. 11. inserit *hoc tit.* in qua tamen notandum nihil de furioso dici, licet in hac quæstione pupillus & furiosus perpetuo comparentur. Quare crediderim tantum posse solvi curatori furiosi: & ita idem erit jus, sive adjectus sit furiosus solutionis gratia, sive in persona furiosi sit implenda conditio, idest utroque casu curatoribus furiosi tantum solvetur recte, non autem ipsis. Differentiæ ratio videtur, quia furiosus, qui perpetuo furore laborat, nulli rei gerendæ superesse potest; pupillus vero, maxime qui excessit infantiam, vel qui pubertati proximus est, intelligit quod agatur. Pupillo adjecto itaque recte solvitur; ejus vero tutori uno tantum casu valde singulari, si pecunia in rem ejus versa est: furioso nunquam recte, quia omnino solutionis est incapax. Aliud in minore: minor enim solutionis est capacissimus: quare minore adjecto, ei tantum solvi potest, non autem curatori ejus.

Diximus autem, qualiscunque fuerit status & conditio Adjecti, valere: quod ita Jurisconsulti interpretantur ex tacita & præsumpta voluntate contrahentium, ut spectetur tempus, quo contractus vel stipulatio interponitur L. 38. *ff. hoc tit.* Itaque valet adjectio, sive Adjectus fuerit tempore contractus status integri, sive capite minutus qualicunque capitis diminutione, seu minima, mutatione nempe familiæ, v. g. emancipatus vel in adoptionem datus, seu media, amissa civitate, v. g. deportatus, qui in peregrinitatem quodammodo redigitur, vel potius ἄπολις L. 1. §. 2. *ff. de Leg.* 3. seu maxima, si servus factus sit: poterit tamen adjici solutionis causa, quia solutio cum versetur in facto, cujus & servus & deportatus sunt capaces, nulla est difficultas quin recte hujusmodi personæ adjiciantur: eademque ratione deportatus eligendi facultatem habet, cui restituatur fideicommissum L. 77. §. 4. *ff. de Leg.* 2. & L. 17.

Ad L. 38. initio Dig.

L. 17. §. 5. & L. 6. *ff. ad S. C. Trebellianum:* eademque ratione servus & filiusfamilias quamvis in potestate sint, electionem tamen habent L. 141. *initio ff. de Verbor. obligatio.* Itemque si servus vel filiusfamilias sibi ire agere, sibi possidere licere, sibi habere stipulentur; quamvis jus stipulationis & actionem acquirant domino vel patri: in facto tamen explicando persona stipulantis omnimodo continetur, qualiscunque sit. Facta enim in actu naturali singulorum hominum consistunt, nec in his ad jus recurrimus; & ita cohærent personæ, ut ab una in aliam licet conjunctam quocunque vinculo trahi non possint L. 38. §. 6. & 7. *ff. de Verb. oblig.* juncto §. 1. *Instit. de stipulat. servorum*, & ibi Cujacius in *Notis posterioribus*.

Superveniens tamen qualibet capitis diminutio Adjecti post contractum impedit, quominus amplius & possit solvi L. 38. *ff. hoc tit.* Adjectus enim comparatur procuratori, quasi nempe ei a domino mandatum esset, ut pecunias reciperet: quare etiam mandati actione tenetur domino §. *Si quis alium in fine Instit. de Inutil. stipulatio.* Mandatum enim extinguitur non tantum morte naturali procuratoris, sed etiam civili L. 17. *ff. de Procuratoribus*. Quod latius extendit D. Cujacius ad L. 38. *ff. hoc tit. ad Africanum*, præter capitis minutiones, etiam ad relegationem, & Senatus motionem Adjecti: quamvis enim utraque contingat, integro manente statu capitis; æstimatio tamen & fama relegatione amittitur: Senatu vero motus licet non fiat infamis; tamen valde gravatur ejus opinio apud viros bonos: sicut olim licet Censoris nota non infligeret infamiam, minuebat tamen famam, & notabat.

Ad §. 5. L. 95. Dig. Opponi solet §. *Usumfructum* L. 95. *hoc tit.* in quo Titio Adjecto capite diminuto, facultas ei solvendi tamen dicitur non intercidere; itemque L. 56. *cum qui §. Qui sibi aut filio ff. de Verb. oblig.* in qua filio Adjecto etiam emancipato recte solvi dicitur. Ex variis solutionibus verior videtur, quam Cujacius ad *d.* L. 56. & sæpius postea constanter probavit, has duas Leges intelligendas, quoties tempore contractus & stipulationis Adjectus erat capite minutus: quod manifeste colligitur ex verbis Papiniani, qui in *dicto* §. *Usumfructum* ita colligit: si nominatim potest conferri solutio in id tempus quo capite minutus erit Adjectus licet tempore contractus integri capitis foret; multo magis valebat adjectio, si eo tempore quo contrahitur, capitis diminutionem fuerit jam passus: quod in *dicto §. qui sibi d.* L. 56. *ff. de Verb. oblig.* tractatur.

Iterum ad §. 5. L. 95. D. De hujusmodi stipulationum variis formulis, *mihi aut filio dare spondes;* vel *filio dare spondes*, vel contra *mihi aut patri*, *vel mihi tantum* repetitur similiter in L. 95. §. 5. *hoc tit.* & ita explicandum Jure patriæ potestatis, patris & filii una vox est: itaque sive ita stipuletur pater, *mihi vel filio meo dari*, sibi soli acquirit obligationem; adeo ut ne quidem filio solvi possit, quia non fuit ea mens stipulantis, ut solutionem in personam filii conferret, sed magis ei acquisitam obligationem voluit, vel potius sibi tantum: nam hujusmodi obligatio statim per filium vel servum acquireretur patri vel domino, nec in eorum persona posset consistere. Quod si pater stipulatur, *sibi aut filio dari*, manifesta est mens patris, quæ ita commode explicatur, ut sibi primum quæsitam velit obligationem; solutionem vero in filium, sicut in alium quemlibet contulerit. Quod si ita filius stipuletur,

mihi

mihi aut patri, ita distinguit Papinianus: si filius stipuletur ex rebus quæ non acquiruntur patri, castrensi puta vel quasi castrensi peculio, vel hodie ex omnibus bonis adventitiis; filio quidem acquiritur obligatio, pater autem tanquam quilibet extraneus pro Adjecto recte habebitur. Aliud si stipuletur ex rebus quæ patri jure potestatis solent acquiri: frustra enim adjiceret patrem solutionis causa, cui ipso jure omne jus obligationis acquiritur.

Observandum autem ad §. 5. L. 98. *hoc tit.* multum differre illas verborum conceptiones, *mihi aut Titio dari; si mihi non dederis, Titio dari*; & illam; *si Titio non dederis quinque, mihi decem dari*. Primo casu pura est stipulatio: duobus aliis est conditionalis. Itaque in specie postrema decem sunt in obligatione, quæ tamen est conditionalis: nam si promissor impleverit conditionem, & quinque Titio solverit, liberabitur ab omni obligatione quæ erat in decem; quia defecit conditio. Si vero specialiter *sibi decem, aut Mævio quinque* stipuletur; solutis quinque Mævio Adjecto, reliqua quinque recte a stipulatore petentur. Quod si contra *sibi quinque, aut Mævio decem;* potest quidem liberari solvendo stipulatori quinque: at si Adjecto quinque soluta fuerint, stipulator in alia quinque, quæ sibi nominatim stipulatus est, agere poterit: si decem autem Adjecto fuerint soluta, nulla erit actio stipulatori adversus promissorem, quasi ab initio ita fuerit actum expresse, *si mihi quinque non dederis, decem dabis Adjecto*: sed adversus Adjectum supererit actio mandati, ut recipiam decem, quæ meo nomine ei soluta sunt, *d.* §. 5. L. 98. L. *Julianus* 131. §. 1. *ff. de Verborum oblig.* & §. *Plane Instit. de inutilib. stipulatio.* nisi forte stipulator donandi animo solutioni Titium applicaverit. Nunquam autem hæc verba, *mihi decem aut quinque Titio dari*, ita accipiuntur, quasi conditionem tacitam contineant, *nisi dederis quinque Adjecto, mihi decem tanquam pro pœna dabis:* nisi hoc ipsum expresse actum doceatur: tacitas enim conditiones nobis non licet inducere, nisi vel lege vel manifesta mente contrahentium suadente, ut recte Cujacius *lib.* 25. *Observat. cap.* 18. *Iterum ad §. 5. L. 98. ff.*

Observandum postremo particulas *aut* & *vel*, in his stipulationibus, *mihi aut Titio, mihi & Titio, mihi vel Titio*, accipi prout naturaliter sonant, & esse disjunctivas; separare creditorem & stipulatorem, ab Adjecto, & alium effectum habere in persona stipulatoris, alium in persona Adjecti. In testamentis tamen personarum distinctionem per illas particulas, *aut* & *vel*, continere mendacem distinctionem, & pro conjunctis haberi L. *pen. Cod. de Verb. signific.* Quæ tertia differentia duabus aliis, quas supra notavimus inter testamenta & contractus, est addenda, & jungendus D. Cujacius ad *dictam* L. *penult. in Posthumis Codicis.*

AD LEGEM XII. XIII. XIV. XV. XVIII. XIX. XXIII. XXIV. XXVIII. XXXII. XXXIV. §. 4. 5. & 6. XXXV. XXXVIII. §. 1. XL. XLI. XLIII. XLIV. §. 1. XLV. §. 1. XLVII. XLIX. LI. LIII. LIV. LVI. LVIII. LXII. LXIV. LXV. LXVI. LXVIII. LXXI. §. 1. 2. & 3. LXXXVI. LXXXVII. XCI. XCIV. §. 3. XCV. §. 2. 4. 10. & 11. XCVI. initio & §. 1. XCVIII. §. ult. C. & ult. Dig. & Leg. IV. XI. XII. & XIX. Cod. eodem titulo.

COhæret hic Tractatus cum superiori, in quo disputavimus de Adjecto solutionis causa: pertinet enim ad generalem illam tractationem, quæ in plures partes resolvitur; quomodo nempe & quoties alteri quam creditori solutione facta, contingat liberatio. Et quidem supra docuimus Adjecto in ipsa stipulatione & contractu ideo recte solvi, quia creditor mandasse videtur, ut ei solveretur; eadem ergo ratione si post stipulationem & contractum mandatum vel jussus creditoris intervenerit, ut alicui solvatur; debitor ei solvendo liberationem consequitur, non minus quam si ipsi creditori solvisset, *L. 12. Cod. hoc tit.* Mandato autem aut jussu speciali præcedente verus procurator constituitur exigendis pecuniis: nec tantum liberos homines, sed etiam servos plerumque tam mutuis dandis quam accipiendis pecuniis præponebant, qui actores, & dispensatores in libris nostris appellari solent. Imo & absque speciali mandato procuratori, cui generaliter omnium negotiorum administratio permissa est, itemque servo, cui libera pariter omnium negotiorum gestio concessa est, per consequentias permissum intelligitur a domino, ut recte solvatur. Negotiorum tamen gestori, idest qui ultro se offert alienis negotiis, non recte solvitur, nisi postea creditor ratam habuerit solutionem. Quin & utilitate publica suadente, tutori recte solvitur, vel etiam curatori: quæ est exceptio regulæ *dictæ L. 12. invito vel ignorante creditore qui solvit alii, se non liberat obligatione.* Sed hoc ideo receptum est, ut diximus, propter utilitatem publicam; quia hujusmodi personæ suis rebus vel propter ætatem, furorem, morbum perpetuum, vel quam aliam causam superesse non possunt.

Separatim tamen de singulis tractatur in Legibus, quas simul collegimus: quamvis enim sæpissime inter se comparentur & conjungantur omnes personæ supra numeratæ in L. 49. *hoc tit.* in singulis tamen singularia quædam & differentiæ occurrunt, quas in progressu explicabimus.

Ad L. 49. 56. 64. D.

Itaque in L. 49. in qua solutionis & satisfactionis dictiones explicantur, quas in *Paratitulo* exposuimus; quibus hoc addendum hanc L. 49. ad subjectam materiam referendam esse, idest ad liberationem & luitionem pignoris, ut docet inscriptio Legis *ad Hypothecariam formulam*, idest actionem: nec enim tantum solutione naturali, sed etiam qualibet satisfactione creditoris liberatur pignus. Occasione itaque rapta explicat Martianus, quomodo fiat solutio. Et quidem initio ait, vere & naturaliter intelligi solutum, *quoties debitor ipsi creditori numerat*. Deinde subjicit, sed etsi jussu ejus alteri solvitur, liberationem contingere. Tum specialiter enumerat personas, quibus nostro nomine solemus plerumque jubere solvi,

v. g.

v. g. *nostris creditoribus*, ut ab eis liberemur. Cum enim jussu meo id quod mihi debes solvis creditori meo, ex uno solutionis facto duo contractus dissolvuntur, & duæ liberationes sequuntur: ego enim qui jussi solvi, liberor a creditore meo; qui enim solvi mandat, ipse videtur solvere L. 56. *hoc tit.* & vicissim debitor meus, qui solvit meo nomine, a me liberatur *L. 64. hoc tit.*

Notandum etiam ad *d. L. 56.* eam pertinere ad actionem Paulianam, ut nempe non tantum si debitor in fraudem reliquorum creditorum uni solvat, sed etiam si per alium solvi mandet; locus fit Edicto Pauliano, nempe ut revocentur quæ gesta sunt a debitore in fraudem creditorum.

Sequitur in *d. L. 49. Vel si creditor futuro debitori numerari jubeat*: quo casu contrahitur mutuum. Quod jure singulari receptum est in mutuo, & quamvis nummi nunquam mei fuerint, contrahatur tamen mutuum, & per liberam personam obligatio & actio mihi acquiratur, utilitate id suadente contra regulas Juris *L. 2. §. in mutui datione, & L. 15. ff. de Rebus creditis.* Sequitur: *vel etiam ei cui donaturus erat*, v. g. si debitorem meum jusserim numerare pecuniam Titio, cui donatum volui, ut in eleganti specie §. 7. *L. 34. hoc tit.* quo casu debitor qui volente eo solvit, liberatur omnimodo: nec refert quo animo fuerit is cui solutum est, sive pecuniam donationis nomine acceperit, & sibi quæsitam voluerit; sive donatione neglecta pecuniam acceperit creditoris nomine: sufficit enim debitori dummodo solvat personæ, quæ nominatim designata est; sicut & in Adjecto solutionis gratia diximus. Dominium vero rei vel pecuniæ solutæ, quamvis nomine creditoris accepta sit, non tamen transit ad ipsum creditorem, sed statim in eum qui accepit creditoris nomine. Quamvis enim aliquid meo nomine acceperis, meum tamen non fit antequam tradas *L. 59. ff. de acquir. rer. dom.* & per consequens mansit dominus pecuniæ ille cui soluta fuit: qui si postea eandem pecuniam tradiderit creditori, nummi fiunt ipsius creditoris, ut in *dicto §. 7.* nominatim dicitur. Ait *postea*, & *fiunt*: ergo ante traditionem non erant ipsius: & iterum quomodo fieri poterunt creditoris, nisi qui tradidit, verus dominus fuerit? Qui enim alicujus rei dominium non habet, illud ad alios transferre non potest L. 20. *ff. de Acq. rer. dominio.* Traditione autem opus fuit; quia quod nostrum est sine facto nostro ad alios transferri non potest. Qua de re merito Cujacius ad *dictum §. in Posthumis ad Julianum.* Eo itaque casu creditori actio in rem ad vindicandos nummos non dabitur, quia dominus non est; sed supererit tamen actio mandati.

Dixit initio *L. 49. sed etsi jussu ejus alii solvitur.* Jubendi verborum & mandandi conjunguntur sæpe: hoc vero loco generaliter voluntatem significat, v. g. vel verbis, vel literis seu epistola, vel nuntio: quibus modis, mandato interveniente, constituitur qui proprie appellatur Procurator *L. 1. ff. de Procuratoribus.* Procuratores autem præponuntur vel ad lites, vel ad negotia: & iterum vel ad omnia negotia, vel ad aliquod certum, ut in casu proposito specialiter exigendis pecuniis præficitur. Illi autem qui generaliter omnium rerum procurator constitutus est, recte solvi potest, licet non fuerit in mandato expressum ut ei solveretur. Per consequentias enim generalis mandati præsumitur etiam pe-

cuniarum exactio permissa *L.* 12. *&* 34. *ff.* 3. *hoc tit.* Et sicut præsumitur dominus qui eum præposuit, mandasse debitoribus ut procuratori suo generali solvant; ita etiam mandasse videtur dominus creditoribus suis ut eis solvatur, & procuratori mandasse pariter ut creditoribus solveret
Ad L. 87. Dig. L. 87. *hoc tit.* *&* L. 59. *ff. de Procuratoribus*; nisi indebitum solutum sit L. 6. *ff. de Conditione indebiti*, quæ est conjungenda cum *d.* L. 87. in qua explicatur. Quinimo licet postea vetuerit administrare procuratorem sive generalem sive specialem; & ita ipso jure desinat esse procurator: ignorantes tamen ex justa causa creditores hujusmodi revocationem & bona fide solventes liberantur *d.* L. 34. §. 3. Imo & aliis modis, v. g. morte domini, vel manumissione servi actoris mandato soluto, justa tamen & probabilis ignorantia prodest non tantum procuratori, dispensatori, aut actori, quorum munus & administratio stricta juris ratione finita est; sed etiam debitoribus ad liberationem prodest §. *Item si adhuc integro Instit. de Mandato*. Prudenter itaque dominus egerit, si non tantum procuratoribus revocationem notam faciat, sed etiam debitoribus, ne alteri quam sibi solvant. Qua in re procuratores ab Adjecto solutionis gratia in stipulatione differunt: nam etiam prohibente stipulatore & denuntiante, nihilominus tamen recte solvet Adjecto debitor, quia nempe ea lex in contrahendo dicta est, a qua creditor recedere non potest L. *pen.* *&* *ult. hoc tit.*

Quamvis autem procurator generalis exigere possit pecunias debitas domino per juris præsumptionem, idest licet in ejus mandato nihil nominatim expressum sit de exactione pecuniarum; & qui liberam omnium bonorum permittit administrationem, etiam exactionem pecuniarum, quæ pars est administrationis, intelligitur mandasse: si tamen duobus pariter mandata sit omnium negotiorum administratio, & uterque procurator debitor sit; alter ab altero non exiget; cessat juris præsumptio: & alia potentior præsumptio prævalet; noluisse nempe dominum eos constituere, ut ejus negotiis prætermissis, & neglectis invicem litibus sese distinerent. Et hæc est species L. 47. *ff. de Procuratoribus*, cui in L. 48. exceptio subjicitur, nisi specialiter mandatum sit alteri a domino ut ab altero exigeret. Quod si unus tantum procurator sit debitor, alter qui debitor non est poterit ab eo, sicut a quolibet alio debitore exigere §. *ult.* L. 46. *ff. eodem*: quam ita recte cum L. *seq.* 47. dominus Cujacius conciliat *lib.* 26. *Observat. cap.* 6.

Præterea procurator, cui libera administratio commissa est, novare potest antiquum debitum, nominatim in L. 58. *ff. de Procuratorib.* in *vulgata*; quamvis desit in *Pandectis Florentinis*. Basilica tamen vulgatam confirmare notavit Cujacius *lib.* 25. *Observat. cap.* 27. ex quo loco Gothofredus *notam suam* transcripsit. Expressa vero est in hanc rem L. 2. *ff. de Novatio.* in qua comparatur Procurator omnium bonorum Tutori; nempe ad differentiam Procuratoris specialis ad exigendas pecunias, qui sicut Adjectus solutionis gratia novare non potest; rem agere tantum in judicio & debitorem compellere potest ad solutionem: Adjectus non potest; quia debitori competit electio ex ipsa stipulatione, cui velit solvere, stipulatori, an Adjecto. Mandato tamen generali non contineri etiam transactionem decidendi causa interpositam ait Modestinus L. 60. *Dig. de Procuratoribus*. Du-

Duplex autem est transactio donandi, sive diminuendi causa, quoties nempe donationis animo rem certam & indubitatam liberaliter remittimus, *arg. Leg. 1. ff. de transactio. L. Lucius Titius 46. §. ult. ff. de Administr. & peric. tutor.* quæ species proprie non potest appellari transactio, cum donationis plurimum in se contineat: quare in *d.* L.46. tutori prohibetur, quia ad conservandum patrimonium pupilli & augendum, non autem diminuendum datur, & etiam curatoribus L. 22. *Cod. de Pactis*: itemque filiisfamil. vel servis, quibus libera peculii administratio permissa fuit L.3. & 13. *Cod. de Pactis*. Solis enim dominis quibus donare licet, & donandi animo transigere licet. Alia est transactio, quæ proprie hoc nomine appellatur, & designatur in *d.* L. 60. & differentiæ gratia dicitur transactio decidendi causa quoties bona fide non donandi animo, non per gratiam vel ambitiose tutor vel administrator Reipublicæ de re dubia & incerta consultum volentes pupillo vel Reipublicæ transigunt: quæ transactionis species tutori vel administratori Reipublicæ permittitur. Procuratori vero licet cum generali mandato non tantum interdicitur transactio diminuendi & donandi causa interposita, sed etiam decidendi causa. Male in *d.* L. 60. Cujacius mutat *diminuendi causa*: eadem enim manu obliteranda erat particula (*etiam*). Elegans sensus Legis est, non tantum donandi seu diminuendi causa Procuratori generali, sicut & tutori transigere non licere, sed etiam decidendi causa, quod minus est, transigere prohiberi, quamvis tutori liceat. Inter tutores enim, curatores furiosi, & administratores Reipublicæ, quibus transigere licet, multæ differentiæ intercedunt, ut evidenter confirmant L. 60. & 63. *ff. de Procuratoribus*, quæ Lex est Modestini: qua constituuntur differentiæ inter Tutores & Procuratores; sicut & in L. 56. §. 4. & *penult. ff. de furtis*. Aliæ præterea differentiæ inter Tutorem pupilli, & Curatorem furiosi referuntur, & inter Procuratorem. Curator furiosi vel Tutor non tantum fructus, sed etiam res mobiles pupilli vel furiosi possunt alienare; Procurator generalis non potest res mobiles, sed fructus tantum *d.* L.63. Rei vitium purgatur, si res pupilli, vel adolescentis furiosi in Tutoris vel Curatoris furiosi potestatem redierit: conditio etiam furtiva utriusque datur L. 56. §. *penult. ff. de Furtis*, & L. 12. *ff. de Curatoribus furios.* quæ omnia dicuntur ad differentiam Curatoris adolescentis, qui non est furiosus, vel Procuratoris, quibus ista non licent *d.* L. 56. & L. 41. *ff. de usucapio. & usurpatio.* Soli enim Tutores pupilli, vel Curatores furiosi personam domini sustinent, vel domini loco habentur *d.* §. *penult.* Eademque ratione in *Tractatu præcedenti* de Adjecto solutionis causa, & conditionem dandi collatam nominatim in personam pupilli vel furiosi, impleri posse in persona Tutoris vel Curatoris furiosi diximus, cum non tantum Tutor, sed & Curator furiosi etiam in personas potestatem habeant: aliud in Curatore adolescentis, qui ad administrationem rerum tantum datus est. Quod diximus de Curatore furiosi, idem dicendum de Curatore dementis & prodigi; nempe eos transigere & alienare posse, & jusjurandum deferre: furioso enim demens semper in jure comparatur; prodigus vero suis in bonis furiosi exitum facere dicitur, & in eo expressa est L. 17. §. 2. *ff. de Jurejurando*.

Et ut redeamus, Procuratori cum generali mandato licet novationem dice-

dixerimus permissam, sicut & Tutori; transactio tamen denegatur: captiosa enim est inductio ex novatione ad transactionem contra manifesta verba *d. Legis mandato 60.* Differentiæ ratio evidens est; transactio est finis litis, sicut & res judicata; imo per transactionem extinguitur ipso jure præcedens obligatio, si nimirum Aquiliana stipulatio transactioni subjecta fuerit, vel si omissa sit, dabitur exceptio pacti L. 2. *ff. de transactionib.* & utroque casu liberabitur; nec alius in locum ejus substituitur, adversus quem dominus agere possit. In novatione aliud est, in qua prior obligatio ita perimitur, & liberatur debitor, ut tamen ex præcedenti causa nova obligatio, & novus debitor constituatur: quare mirum non est si novatio facilius permittatur quam transactio: & confirmatur maxime L. 1. *ff. de Officio Procuratoris Cæsaris*: quibus procuratoribus inconsulto Principe transigere non licet. Concludamus itaque nec procuratori privatorum cum generali mandato licere, nisi speciale mandatum præcedat, vel postea dominus ratam habuerit transactionem: ratihabitionem enim mandato comparamus. Et quod generaliter proponitur in L. 13. *ff. de Pactis*, procuratorem omnium bonorum paciscí posse ne petatur, & nocere hujusmodi pactum domino, ita accipiendum; ut distinguamus inter pactum & transactionem. Permittitur pacisci; quia non ita facile pacisceretur procurator, quam transiget rei dubiæ & incertæ colore quæsito: nam dominus actione mandati eum conventurus est, & facile condemnaretur: aliud in transactione, quæ cum soleat interponi de re dubia & incerta, mandati actio eo casu vix daretur utiliter adversus procuratorem *d. L. mandato 60.* Ad quam permansit in emendatione sua Cujacius contra manifesta verba Legis & rationes Juris, quas attulimus supra.

Rectissime tamen idem vir doctissimus ad L. 22. *ff. de Administr. Tutor. ad Edictum Pauli*, errorem Glossæ & Interpretum refellit, distinguentium ad *d. L. 60. & ad* L. 12. *ff. de Pactis* inter procuratorem, qui habet generale mandatum, & eum qui habet liberam rerum administrationem. Utrumque enim esse plane similem confirmat apertissime comparatio L. 58. & 59. *ff. de Procurat.* in quibus agitur de procuratore, cui libera administratio commissa est: quibus ita L. 60. connectitur per hæc verba: *mandato generali non contineri etiam*, &c. Quem tamen errorem confirmavit Bonifacius VIII. *cap. 4. de Procuratoribus in 6.* Itemque male desiderat speciale mandatum, ut possit juramentum deferre, licet habeat mandatum generale, contra verba L. 17. §. *ult. ff. de Jurejurando*.

Multo magis statuendum in procuratore speciali exigendis pecuniis præposito, eum non posse transigere, imo nec juramentum deferre L. 18. *ff. de Jurejur.* Idemque in procuratore ad lites, quia lis & persecutio in judicio ei tantum permittitur, non autem decisio *d. L. 18. & L. 8. Cod. de transactio.* Quimimo procuratori ad lites solvi non potest, nisi ad hoc nominatim datus sit: aliud enim faceret quam quod mandatum est. Itaque in his casibus opus habet mandato speciali, nimirum ut juramentum deferat, ut ei solvatur, vel transigere possit *d. L. 18. & 19. ff. de Jurejurando & L. 86. hoc tit.* in qua vere dicitur actionem rei judicatæ non dari procuratori, quamvis post litis contestationem dicatur dominus

Ad L. 86. Dig.

fieri

fieri litis procurator; quia scilicet lite judicata finitur mandatum procuratoris ad lites: ad hoc enim tantum datus fuerat.

Superest ut quasdam quaestiones communes explicemus inter procuratorem specialem, qui nempe speciali mandato praeponitur exigendis vel credendis pecuniis, & generalem, sive sit liber homo, sive servus, v. g. actor, vel dispensator, qui ex jussu & voluntate dominorum omnia negotia dominorum administrant; quibus per consequentias liberae administrationis solutio & exactio pecuniarum videtur permissa. Idemque dicendum de filiisf. vel servis, quibus a patre vel domino libera peculii administratio est permissa; quando nempe ex causa peculii eis solvitur. De his nimirum omnibus quaeritur in his Legibus, quas subjiciemus, quibus modis finiatur hujusmodi mandatum, personarum potestas & administratio, & per consequens potestas eis solvendi: quo pertinent *L.* 12. 13. 18. 32. 34. §. 3. 35. 38. §. 1. 51. 62. 106. *& ult.*

Modi autem solemnes sunt hi, qui & fere communes omnibus personis, de quibus supra. Primo re integra, mutata voluntate domini, mandatum & administratio finitur: itemque procuratoris voluntate mutata citra captionem tamen, idest ita ut integra causa reservetur mandatori eandem rem explicandi per se vel per alios. Mutatur autem voluntas, vel per expressam revocationem & prohibitionem mandatoris, vel tacitam, veluti si ipse quod negotium mandavit explicare velit §. *recte quoque Institution. de mandato*, *L.* 33. §. 1. *ff. de Acq. possess. L.* 22. §. *ult. ff. Mandati*, *L.* 3. *Cod. eodem*, *& L.* 12. 18. 32. 38. §. 1. *&* 51. *hoc tit.* Notanda tamen distinctio, quam supra attulimus, scilicet inter Adjectum solutionis gratia in ipsa stipulatione & contractu, & Procuratorem cui solutio permittitur. Post contractum peractum Adjecto potest debitor solvere, etiam invito & prohibente creditore; quia nempe in contrahendo ea lex dicta est, & data electio debitori solvendi cui vellet, stipulatori vel Adjecto: a qua lege non recedere licet stipulatori. Procuratori vero vel cuilibet alii solvendo, cui post contractum solvi permisero; si postea rebus integris, idest prinsquam solvatur, denuntiaverim debitori ne solvat, non liberabitur debitor *dicta L.* 12. §. 2. L. 106. *hoc tit.* Rebus, inquam, integris, idest ante litis contestationem; vel antequam aliquid ex debito acceptum sit, vel denuntiaverit Procurator, ut sibi solveret: qui tres casus continentur in L. 3. *Cod. de Novatio. &* L. *Nulla Cod. de Procuratoribus.*

Morte etiam naturali vel civili Mandatoris, Procuratoris, vel etiam Adjecti, imo & minima capitis minutione finitur mandatum. Imo & si aliquid contingat, quo non quidem caput mutetur, sed dignitatis status valde imminuatur, v. g. relegatio, vel Senatus motio; praesumitur extingui mandatum in liberis hominibus, ut supra docuimus, ubi de Adjecto tractavimus; sicut in servo dispensatore vel actore efficit manumissio *d.* L. 18. *&* 32.

Quod si ignoraverint revocationem, vel mortem, vel manumissionem, vel ademptionem peculii Procuratores vel actores servi; itemque quibus libera peculii administratio permissa est, & simul etiam debitores: & durante utrorumque ignorantia communi, solutum aliquid fuerit, ipso jure liberatio contingit. Quod si debitores soli ignorent & bona fide solvant, licet,

licet procuratores vel actores aut servi non ignorent finitum esse mandatum vel administrationem aliquo ex modis supradictis ; debitores stricta quidem ratione & ipso jure non liberabuntur, quia nempe alii solverunt & scienti, quam cui debuerint solvere : per exceptionem tamen doli agente iterum creditore liberabuntur §. *pen. Instit. de mandato* & L. 38. §. 1. Ubi nominatim per doli exceptionem debitor liberari dicitur. Ex quo loco explicandum quod in L. 13. 32. & 51. *hoc tit.* dicitur absolute liberari debitor, idest per exceptionem, non ipso jure.

Ratio æquitatis in eo vertitur : debet imputare sibi mandator, quod revocationem, mutationem voluntatis suæ, manumissionem, aut peculii ademptionem non denontiaverit debitoribus suis: vel etiam mortuo mandatore vel domino, hæredes sibi imputent, L. *fundi* 33. *de Acquir. vel amitt. hæred. possessione*, & L. 106. *hoc tit.* Itemque probabilis & justa ignorantia procuratorum adjuvatur ; ne utilitas mandati usibus hominum necessaria hoc metu injecto retardetur, ut prudentissime notavit Cujacius ad L. 34. §. *ult. ff. mandati ad Africanum*.

Quod autem diximus mandatum finiri rebus integris, vel mutata voluntate, vel morte mandatoris aut mandatarii ; patitur exceptionem in eo, qui procurator in rem suam constituitur, v. g. si cui venditum sit, vel datum in solutum nomen, vel in dotem, vel donatum, aut legatum ; & simul delegatæ & mandatæ fuerint actiones (quibus modis Procurator in rem suam constituitur) : morte mandatoris lite nondum contestata defuncti actiones nihilominus competunt, & durat mandatum ; directe quidem nomine mandatoris, si tamen hærede aliquo relicto mandator decesserit, ex cujus hæredis persona directæ sustineantur : utiles vero proprio nomine emptori & donatario absque cessione, ex constitutionibus Principum competent, L. 1. 2. 6. & 7. *Cod. de Obligatio. & actio.* Imo emptor & donator ad hæredes suos transmittent hujusmodi actiones L. *illa* 33. *Codice de Donatio.* Ratio differentiæ hæc est, quia procurator in rem suam etiam ante litem contestatam loco domini habetur; pacisci potest de non petendo, transigere, juramentum deferre ; imo & alium procuratorem constituere potest. Quinimo si vice mutua conveniatur a creditore suo, poterit objicere compensationem nominis quod sibi cessum est : quod nec in reliquis procuratoribus, nec in tutore quidem locum habet L. 18. & *penult. ff. de Compensatio. L.* 13. *ff. de Pactis* & L. 17. *ff. de Jurejurando*.

Diligenter in hac quæstione hæc tria separanda sunt, delegatio actionis sive mandatum actionis, mandatum debitori factum ut alicui solvat, & mandatum quo jussus est debitor alii stipulanti promittere. Delegatio actionis fit duobus modis, vel cum aliquem procuratorem facio in rem meam, vel in rem procuratoris : in rem meam, v. g. quoties mando alicui exactionem pecuniæ meo nomine, & ita cedo actiones meas exercendas, ut omne emolumentum actionis ad me redeat : quo casu qui meo nomine procurator est constitutus, diligenter fines mandati servare tenetur, & actionem tantum potest exercere : novare, acceptum ferre, transigere, juramentum deferre, partem debiti remittere non potest L. 4. *Cod. de Novatio.* & præterea rationem mandati reddere debet ex bona fide

fide, & actione directa mandati restituere quodcunque lite consecutus est, sive principaliter ipsius rei nomine, sive extrinsecus ob eam rem; sicut etiam contraria actione recuperare debet impendia bona fide facta: actio vero judicati nec ei, nec adversus eum datur L. 30. 46. & 68. *ff. de Procuratorib.* L. 12. §. 9. *ff. Mandati*.

Hujusmodi vero mandatum morte mandatoris finiri constat L. 8. *Cod. de Obligatio. & actio.* In qua notandum, licet donationis animo mandatum proponatur factum, donationem tamen perfectam non fuisse; quia in re corporali jure veteri traditionem requirebat donatio: in nominibus donandis delegatio, idest cessio actionis pro traditione habetur L. *Illam* 11. & 33. *Codice de Donatio.* Hujusmodi quoque mandatum, quo procurator quis constituitur, non in rem suam, sed alterius nomine, potest re integra revocari, & præsens dominus experiri adversus suos debitores L. 3. *Cod. Mandati*. Re integra, idest ante litis contestationem L. *Nulla*, *Cod. de Procuratorib.* & L. 16. *ff. eodem*. Quinimo post litis contestationem causæ suæ dominus adesse potest *L. 69. ff. de Procuratorib.* Tres autem exceptiones *L. 3. Cod. de Novatio.* refert, si lis a Procuratore contestata sit, si aliquid ex debito acceperit, vel denuntiaverit debitori ut solveret.

In qua quidem L. 3. quod summe notandum est, quamvis proponatur creditorem solutionis causa adversus suum debitorem ei cui debebat ipse mandator, actiones delegasse vel cessisse, suo tamen nomine mandator exigi voluit; alieno nomine egit mandatarius, nec fuit constitutus procurator in rem suam: quare in hac Lege dicitur periculum nominis pertinuisse ad mandatorem, apud quem actiones remanserant: unde merito impedire dicitur, ne a mandatario exigatur. Quæ species longe differt a datione in solutum, venditione, donatione, vel legato nominis: his enim omnibus casibus si in contrahendo delegantur & ceduntur actiones, atque ita procurator in rem suam constitutus revera est; hujus delegationis effectus hic est, ut directas actiones, idest easdem omnino, quæ competebant mandatori, exercere possit. Quod si non ante intercesserit cessio & delegatio, benigne & ex æquitate contra regulas Juris, quibus per liberam personam nobis obligatio vel actio non acquiritur, ex constitutionibus Principum utiles actiones, sive personales, & quidem omnes tam adversus ipsos debitores quam eorum fidejussores & reliquas accessiones; sive etiam hypothecariæ emptori, legatario, vel ei cui nomen datum est in solutum, proprio nomine competunt L. 1. 2. 6. & 7. *Cod. de Obligatio. & actio.* & L. *ult. Cod. Quando fiscus vel Privatus*.

Notandum tamen quod supra attigimus in *L. 8. Cod. de Oblig. & act.* donationem inutilem fuisse, si mandatum debiti exigendi donationis causa factum, per cessionem actionum sive delegationem confirmatum non fuisset; hodie quia nudo consensu perficiuntur donationes, hujusmodi delegationibus non esse opus; sicut nec traditione in re corporali.

Ubi vero in omnibus illis casibus, nempe venditione, nominis datione in solutum, legato, vel datione in dotem additur delegatio vel cessio actionum ab eo qui vendit, qui dat in solutum, &c. tunc Procurator

in rem suam constitui dicitur; ideoque actiones directæ ex cessione mandatoris ei competunt, & licet mandatoris nomine, in rem tamen suam Procurator appellatur: nec enim qui vendidit vel donavit nomen, & mandavit actiones suas, agere poterit mandati adversus hujusmodi procuratorem, ad quem omne commodum & incommodum & periculum nominis pertinet. Mandator enim ex causis supra dictis præstat tantum esse verum debitorem, nec ulla exceptione peremptoria tutum; locupletem vero & idoneum præstare non debet. Procurator enim illis casibus omne periculum suscipit, suo sumptu agit, & damnatus convenitur actione judicati: lis enim est propria omnino. Nec etiam post litem contestatam a mandatore removeri potest; quinimo, quod notandum, præfertur ipsi mandatori, etiamsi re integra se liti offerat; quod stricto jure potest, quia actiones directas mandator retinet: sed æquitas exigit, ut diximus supra, ut Procurator in rem suam præferatur, quia periculum litis & nominis ad eum pertinet. Uno verbo domini loco est L. 13. *ff. de Pactis*, L. 28. *sub finem*, 30. & 55. *ff. de Procuratoribus*, L. 4. & 6. *ff. de Hereditate vel actione vendita*, & L. 3. 5. 7. & 8. *Cod. eodem*, & L. *ult. Cod. Quando fiscus vel privatus*.

Quia tamen delegationes & cessiones actionum fiunt invito & ignorante debitore, & procurator in rem suam aliqua ratione negotio alieno fungi dicitur; quia scilicet contentio ex persona alterius, idest mandatoris sumitur; quamvis effectu rem suam gerat L. 9. *Cod. de Procuratoribus*: ideo dominus re quidem integra agere potest; nisi procurator in rem suam interveniat, qui præfertur hoc casu *d.* L. 55. *de Procuratorib.* quia præter directas quæ sibi cessæ sunt, habet suo nomine utiles. Si vero non interveniat, recte aget mandator, & ei etiam recte solvetur a debitore: attamen quæcunque exegerit, restituere postea tenebitur Procuratori in rem suam, cui nomen vendidit, legavit, donavit, vel in solutum dedit L. 14. & 23. *ff. de Heredit. vel act. vendit.* & L. 7. *Cod. eodem*.

Item sicut constituto Procuratore in rem suam a creditore, diximus creditorem, qui mandavit, nihilominus posse exigere a debitore suo; ita etiam si a debitore Procurator constitutus sit ad solvendum in rem suam; liberum tamen est creditori vel adversus Procuratorem ipsum in rem suam agere, vel si malit adversus ipsum dominum, idest mandatorem L. 29. *Si actor ff. de Procuratoribus*: ad quam speciem ponenda est ex *L.* 2. & 3. *ff. familiæ hercisc.* hoc modo. Nomina ipso jure ex L. XII. Tab. divisa sunt inter cohæredes pro partibus hæreditariis, nec veniunt in judicium familiæ herciscundæ: quia tamen hæreditarii æris, sive proprii defuncti, sive alieni exactiones & solutiones pro parte plurima habent incommoda; Judex familiæ herciscundæ, cujus officium cessat, remedio cessionis actionum statuere potest ex communi consensu cohæredum, ut vel unus ex cohæredibus solidùm quod debetur exigat, vel etiam solidum solvat; libera enim potestas erit cohæredi substituendi suo loco, idest procuratorem constituendi alterum cohæredum ad solvendum suo nomine; & ita cohæres in quem onus solidæ actionis translatum est, partem solvet suo nomine, partem alieno, idest cohæredis sui nomine: & tamen Procurator in rem suam dicitur in *d.* L. 29. quia cohæres pro quo

quo solvere tenetur, vicem mutuam ei rependit, & alia pariter onera vicissim in se suscipit in solidum. Vide Cujacium ad L. 2. & 3. *ff. Familiæ hercifcundæ.*

Invito itaque, ut diximus, vel etiam ignorante debitore delegatio actionis solet interponi, sive quis fiat procurator in rem suam, sive in rem alienam L. 3. *Cod. de Hæredit. vel act. vendit.* L. 1. & 3. *Cod. de Novatio.* quæ differentia præcipua in Jure observatur inter delegationem actionis & delegationem debitoris. Delegatur autem debitor a creditore duobus modis; vel enim mando debitori, ut alii solvat; vel ut alii promittat. Si ut alii solvat, non novatur prior obligatio, obligatus mandatori remanet, donec solverit: imo ille cui jussus est solvere debitor, non potest novare obligationem *L. 21. ff. de Novatio.* Nec enim semper cui recte solvatur, is etiam novare potest *L. 10. & 25. ff. de Novatio.* Quando vero delegatur debitor a creditore, ut promittat alteri; per novam stipulationem antiqua obligatio extinguitur & evanescit, & a primo creditore liberatur omnino debitor: imo & eo invito recte solvet secundo creditori. Hoc vero casu delegatio personæ debitoris jure perfici non potest, nisi stipulante & promittente debitore L. 1. 3. 4. & *6. Cod. de Novatio.* L. *ult. ff. hoc tit.*

In qua Lege mirum non est si hujusmodi mandatum valeat, ut quis alteri promittat se post mortem meam aliquid daturum vel facturum: v. g. si quis vivo testatore stipuletur post mortem ejus pecuniam sibi dari; recte & vivo mandatore, & eo invito, & post mortem mandatoris solvetur, nec morte mandatoris extinguetur hujusmodi mandatum: quod ut diximus, ne quidem a vivente revocari potuit, a quo liberatus fuit debitor, & incipit novo creditore tantum obligari: nec amplius recurrendum est ad mandatum, sed inspicitur tantum stipulatio atque obligatio nova, quæ peremit antiquam. Aliud est si mandem solvi pecuniam post mortem meam: sicut enim mandatum hujusmodi a vivente revocari potest: ita etiam morte mandatarii finitur, licet aliud dictum fit in mandato, ut aperte in *dicta* L. *ult.* definitur: cujus verba male Cujacius ait esse transposita *lib. 1. Observatio. cap. 38.* *Ad. Leg. ult. Dig.*

Nec obstant *L. 12. §. ult. L. 13. & 27. §. ult. ff. Mandati*: ex quibus generaliter conficere solent, licet regulariter mandatum finiatur morte, nominatim tamen in tempus mortis posse conferri. Respondemus breviter, distinguendum esse inter mandatum solutionis causa interpositum, quod in datione pecuniæ versatur, & inter mandatum in faciendo, qualia referuntur in *dictis legibus*, ut post mortem nominatim fiat, ut post mortem fundus hæredibus ematur; vel ut in contractu hujusmodi innominato, do servum ut manumittas post mortem meam. Hujusmodi enim facta post mortem meam impleri possunt; quamvis etiam acta pœnitentia a mandatore possint revocari. Ratio differentiæ. Quæ in datione pecuniæ consistunt mandata, strictissime solent concludi, quia facile pecunia intervertitur, quam postea a procuratoribus repetere in promptu non est, *arg. L. 68. hoc tit.* Aliud vero in his quæ in facto consistunt, in quibus non est par periculum. *Ad L. 68. Dig.*

Hactenus de liberis hominibus, quibus mandato speciali interveniente, vel ex præsumpta voluntate creditoris recte solvi potest; quales diximus

Procuratores, quibus mandato generali libera negotiorum administratio est permissa. Uno verbo procuratores sunt vel speciales, vel generales; specialibus comparamus servos actores & dispensatores, quos nominatim domini præposuerunt exigendis vel credendis pecuniis: generalibus vero actores vel dispensatores servos, qui quidem non specialiter exigendis vel credendis pecuniis, sed super omnes rationes & negotia domini præponuntur. Adjungi possunt institores, qui mercaturis exercendis præponuntur; sive sint liberi, sive servi: itemque filiifam. vel servi, quibus vel pecuniam simpliciter, vel cum libera administratione est permissum.

Et quidem filiofamil. vel servo, cui dominus vel pater peculium concessit quasi patrimonium quoddam a suis rationibus separatum, permisisse videtur per consequentias, ut ex causa peculiari si quid crediderint, eis recte solvatur. Imo post venditionem manumissionem servi, vel filiifam. emancipationem eis recte debitor solvet, si ademptum peculium ignoraverit; quia sæpe manumissos & venditos servos vel filiosfamil. emancipatos sequitur peculium, *L.* 18. *&* 35. *hoc tit.* quæ simul comparandæ sunt. Et quidem in *L.* 35. in hæc verba: *sed & si quis dominicam pecuniam*, post venditionem & manumissionem recte solvi ex causa dominicæ pecuniæ, explicandum ex *L.* 18. *dummodo ignoraverit debitor manumissionem, vel venditionem:* hoc enim casu, quia de dominica pecunia & contractu domini agitur, si non ignoravit manumissum, scire debuit, domino invito cujus tum is servus fuisset, ei solvi. Quod aliter se habet, si ex causa peculiari solvatur: nam imputare sibi debet dominus, qui debitores ex causa peculii certiores non fecerit: justa enim & probabilis ignorantia liberat eos, qui peculium, ut diximus, ademptum fuisse ignorarunt.

Ad L. 18. 35. 51. 94. §. 3. *Dig. & ad L.* 3. 4. *&* 19. *Cod.*

Differentia præterea notanda inter servos & filiosf. qui peculium tantum, & eos qui præterea liberam peculii administrationem habent. Qui tantum peculium exigere quidem possunt, & eis recte solvitur: novare, delegare non possunt; dummodo donandi animo vel diminuendi causa id fiat in fraudem patris vel domini, sicut de Tutoribus & Curatoribus & Procuratoribus diximus, *L.* 18. 19. *in fine &* 35. *hoc tit. L.* 3. *&* 4. *Cod. eodem*, *L.* 48. §. 1. *ff. de Peculio. L.* 23. *&* 34. *ff. de Novatio. & L.* 1. §. 1. *ff. Quæ res pignori*, in qua notandum quod dicitur esse quæstionem facti, an filiusf. cui libera concessa est peculii administratio, etiam donare possit. Quod plenissime explicatur in *L.* 7. *ff. de Donationibus*, quæ peculium præterea paganicum separat a castrensi vel quasi: nam in castrensibus peculiis vel quasi plenam potestatem habent filiifamiliarum.

De dispensatore & actore servo sæpius in Jure fit mentio, qui Oeconomus servus aliquando appellatur: in *nostro* vero *tit.* sæpe, *L.* 18. 35. 44. 51. 62. 94. §. 3. *& L.* 19. *Cod. hoc. tit.* in quibus ejus officium describitur in mutuis dandis vel accipiendis pecuniis, vel fœnori occupandis: quare Calendario præpositus dicitur in *L. ult. ff. de Rebus creditis*. Calendarium vero est liber, quo fœneratitiæ cautiones continentur *L.* 88. *Lucius ff. de Leg.* 1. ita dictus, quia in singulas Calendas usuras stipulantur, quia usuræ per partes solutæ duplum sortis excedere poterant veteri Jure *L.* 10. *Cod. de Usuris*: quod Justinianus immu-

immutavit *Novell.* 121. 128. & 160. Notandum etiam dispensatorem, & actorem servum appellari eum, qui generaliter vel omnibus rebus domini, vel parti bonorum administrandæ præpositus est: qui multum differt ab eo actore vel dispensatore, quem diximus præpositum specialiter credendis tantum vel exigendis pecuniis. Hic enim comparatur Procuratori, qui speciale mandatum habet ad exigendas vel credendas pecunias, ille vero Procuratori; cui generalis & libera vel omnium negotiorum domini, vel partis tantum administratio commissa est: & quæcunque Procuratori generali homini libero licent, eadem etiam generali bonorum dispensatori conceduntur. Quare non tantum exigere pecunias, sed etiam novare & juramentum deferre potest; & dolus ejus, sive anterior, idest ante litem contestatam, sive post litem contestatam nocet domino. Vide Cujacium ad §. *Si actoris L.* 5. *ff. de Exceptione doli in Posthumis ad Edictum Pauli*, & *lib.* 25. *Observationum cap.* 27. & junge *L.* 4. §. *Quæsitum* 18. & *L.* 11. *ff. de Exceptione doli*.

Observandum præterea quamvis dispensator & actor præpositus fœnerandis pecuniis, appelletur etiam institor *L.* 5. §. 1. *L. In eum* §. *ult. ff. de Institoribus*, & *L.* 37. §. 1. *ff. de Administrat. tutor.* aliam tamen esse causam institoris dominicæ mercis, qui mercaturis redempturisque faciendis præpositus est, & institoris, qui fœnerandis & credendis, vel exigendis pecuniis præpositus est; cujus officium, sicut & cujuslibet alterius procuratoris, morte præponentis finitur: qui vero mercibus exercendis præpositus fuerit institor, ejus officium morte præponentis non extinguitur; imo durare videtur adhuc *L.* 17. §. 2. & 3. *ff. de Instit. act.* quæ hanc rationem differentiæ addit, *propter utilitatem promiscui usus*, idest commercii, quæ maxima est & publico utilissima in mercibus: nulla similis in pecunia. Quare licet sciveris mortem domini vel tutoris, qui præposuerit institorem; recte tamen ei solvis, ex causa nempe negotiationis quam exercet: & vicissim institor obligat hæredes defuncti, qui eum præposuit; donec ab hæredibus vel tutoribus pupilli remotus sit ab actu, si nolint ejus opera uti *L.* 5. §. *ult. L.* 6. & 7. *ff. de Institoria actio.* qui palam & publice proscribere debent, vel in taberna vel in loco publico, ne contrahatur cum institore, juxta formam L. 11. *ff. de Institoria actio.* vel nisi specialiter alicui denuntiaverint, ne contraheret cum institore *L.* 17. §. *ult. ff. eodem.*

Hactenus de iis, quibus ex voluntate vel expressa vel tacita domini recte solvitur. Si vero ignorante vel invito domino, falso procuratori vel negotiorum gestori aliquis solvat, obligationis liberatio non contingit L. 8. *Cod. de Condict. indebiti;* nisi per subsequentem domini ratihabitionem solutio approbetur. Quid vero sit ratihabitio, quando facienda sit, quis ejus effectus? Item si dominus ratum non habeat, quænam competant actiones adversus falsum procuratorem vel negotiorum gestorem? Itemque quid, si verus vel falsus procurator specialiter datis fidejussoribus, vel simpliciter promiserint, dominum ratam rem habiturum? Quomodo & quot clausulis fiat stipulatio, ratam rem dominum habiturum? plenissime dicemus; quoniam ad omnes illas quæstiones plurimæ Leges *hujus tit.* & aliæ pleræque difficillimæ pertinent. Et quidem in *hoc tit.* L. 12. §. *ult.* L. 13. & 14. *initio*, 18. 34. §. 4. 5. & 6. 49. 58. 71.

71. §. 1. & 2. *hoc tit.* & L. 11. & 12. *Cod. hoc tit.* in qua statim hæc regula proponitur: *Qui mandante vel ratum habente domino solverit, non minus liberationem consequi, quam si eidem creditori solvisset.* Et in §. *ult.* L. 12. & L. 49. *hoc tit.* *Sed etsi non vero procuratori solvam, ratum vero habeat dominus quod solutum est, liberatio contingit.* Et hoc est quod dicitur in Jure: *ratihabitio comparatur mandato.*

Ad L. 12. §. ult. 38. §. 1. & 54 Dig. & ad L. 11. & 12. Cod.

Ratum vero habet dominus, qui comprobat agnoscitque quod actum est a falso procuratore: quod fit non tantum verbis, sed etiam actu ipso & re L. 5. & 12. *ff. Rem latam haberi*. A falso, inquam, procuratore vel negotiorum gestore: nec enim opus est ratihabitione domini, quoties vero procuratori qui mandatum habet solvitur: liberatio enim statim contingit; nisi forte convenerit nominatim in facienda solutione, aut quolibet alio negotio gerendo, quo res tutiore loco sit, ut promittat procurator ratam rem dominum habiturum, L. 11. 12. & 13. *ff. Rem ratam haberi*. Quo casu ipse procurator verus etiam tenebitur ex stipulatione, qui alioqui non teneretur: & qui sibi sic solvi patitur, qui mandatum habet, sibi imputet; nec enim ratihabitio desideratur L. 6. §. 2. *ff. de Condict. indebiti*. Falsus vero procurator vel negotiorum gestor, quamvis non promiserit specialiter dominum ratam rem habiturum; si tamen postea dominus ratum non habeat, tenetur condictione indebiti, seu condictione causa data, vel condictione ob rem: quæ tres condictiones simul concurrunt, & aliquando etiam condictio furti, & actio furti pœnalis, & vindicatio nummorum; si nempe intervertendi animo falsus procurator pecuniam acceperit *d. L.* 8. *Cod. de Condict. indeb. L.* 14. *ff. de Condictione causa data*, L. 38. §. 1. (ad quam vide Cujacium *Ad Africanum*) & *L.* 58. *hoc tit.* Quod si de rato stipulationem interposuerit falsus procurator vel negotiorum gestor; perimit hujusmodi stipulatio condictionem indebiti, quia in locum condictionis interponitur hujusmodi stipulatio, quæ utilior est, & cum satisdatione, idest fidejussoribus datis confirmatur, L. *Si sine initio*, & L. 25. *in fine ff. Rem ratam haberi*. Sicut & stipulatio rem pupilli salvam fore succedit in locum actionis tutelæ, & stipulatio de damno infecto in locum Legis Aquiliæ, vel in factum de damno facto; ideoque instar actionis habere dicuntur, quia intercedunt ut sit nova actio L. 1. *ff. de Prætoriis stipul.* Quare hujusmodi stipulationes ex causa principali & secundum naturam actionum, in quarum locum substituuntur, interpretationem recipiunt.

Notandum etiam in Legibus citatis & plerisque aliis, quamvis procurator proprie dicatur, qui mandato interveniente constituitur; improprie tamen procuratoris nomen sæpe tribuitur vel falso procuratori, vel negotiorum gestori, ut in L. 34. §. 4. & 54. §. 1. *hoc tit.* L. 22. & L. *ult.* §. 1. *ff. Rem ratam haberi*. Aliquando etiam differentiæ causa voluntarii procuratores appellantur, qui sine mandato ultro se offerunt alienis negotiis; qui semper cavere debent dominum ratam rem habiturum. Vide Cujacium *lib. 7. Observatio. cap. 26. in medio ex sententiis Pauli*.

Procuratores veri sunt, de quibus supra tractavimus, quibus nempe vel expressa, vel tacita seu præsumpta domini voluntate solvitur, a quibus ratihabitio non exigitur: nec tamen ideo adversus illos ulla condictio

vel

vel repetitio pecuniæ folutæ competit *d.* L. 12. *hoc tit.* & L. 6. *ff. de Condict. indebiti*. Quia tamen fæpiffime de mandato dubitari poteft, maxime in procuratoribus abfentium, licet revera mandatum habeant; merito a veris procuratoribus fæpe exigitur ftipulatio, *ratam rem haberi*, quæ interponi folet vel auctoritate Prætoris in conftituendo judicio ante litis conteftationem, vel etiam fine judicio ex conventione partium: hæc conventionalis eft; illa partim judicialis, partim etiam prætoria L. 10. 11. 12. & 22. *ff. Rem ratam haberi*, *Inftitut. de Divifione ftipulat. in fine*, juncto Theophilo, ubi Interpres labitur, qui omifit vocem, abfentis. Exemplum autem ponit Theophilus in procuratore abfentis, a quo Judex datus ut procedat judicium, exigit fatifdationem ratam rem dominum habiturum, quam recufare non poteft; procurator præfentis poteft L. 65. *ff. de Procuratoribus*, ibi: *velut præfentis Procuratorem*, L. 21. *ff. Ratam rem haberi*, L. 1. & 2. *Cod. de Confortibus litium*, L. 1. *Cod. de Satifdationibus*, & §. *Sin autem*, *Inftitut. de Satifdat.* Quibus etiam locis proponuntur excogitatæ a Jurifconfultis cautiones, five εὑρήματα, ut expediant quibus cafibus procuratores abfentium per dominos poffint relaxari fatifdatione *ratam rem haberi*.

Et quidem res ita fe habet. Generaliter verbis Edicti, qui alieno nomine agit, ratum eum habiturum, ad quem ea res pertinet, fatifdare tenetur L. 33. §. *Ait Prætor*, & L. 39. §. 1. *ff. de Procuratoribus*, Paulus *lib. 1. Sententiarum tit. de Procuratoribus*, in *Sententiis de novo editis dicto lib. 7. Obfervat. cap. 26.* §. *Tutores & Curatores*, *Inftitut. de Satifdat.* & L. *un. Cod. de Satifdando*. Primo procuratores præfentium exonerati funt: & deinde ita Prætoris Edictum acceptum eft, ut quoties de mandato non dubitatur, toties ceffet fatifdatio de rato L. 1. *Cod. de Procuratoribus*, cujus auctor eft D. Pius, quem etiam fignificare videtur Ulpianus in §. 2. *Si procurator* L. 3. *ff. Ut in poffeffionem legatorum*. Jurifconfulti tamen generalia verba Conftitutionis Divi Pii ita reftrinxerunt, ut quamvis revera abfentis procurator mandatum habeat, verumtamen merito dubitetur ab eo, cum quo agit procurator, de fide mandati, nifi certis cafibus teneatur fatifdare de rato.

Primo occurrit in L. 69. *ff. de Procuratoribus*, fi dominus literis ad adverfarium datis fignificet, quem procuratorem & in quam caufam fecerit, ratumque promiferit fe habiturum quod cum fuo procuratore actum erit: hoc enim cafu literis approbatis, velut præfentis procurator intervenire intelligendus eft.

Secundo fi libello Principi oblato profeffus fuerit fe feciffe procuratorem L. 21. *ff. Ratam rem haberi*; vel apud acta Præfidis vel Magiftratus, ideft Duumviri conftitutus fit procurator L. *un. Cod. de Satifdando*. Paulus *lib. 1. Sententiarum tit. de Procuratoribus initio*; vel præfens in judicio dominus litis procuratoris fui perfonam confirmaverit §. *Sin autem per Procuratorem*, *Inftitut. de Satifdat.* itemque fi compromiffo exprimatur per procuratorem apud arbitros litigatum iri, ftabitur compromiffo, nec exigetur fatisdatio *ratum haberi* a Procuratore L. *Non diftinguemus* §. *penult. ff. de Arbitris*.

Poftremo in cafu L. *ult. Cod. de Pactis conventis fuper dote*, in exercendis actionibus, quæ defcendunt ex cautionibus, five nominibus parapher-

phernalibus. Nam quæcunque nomina apud maritum mansisse, & ei ab uxore tradita fuisse instrumento dotali comprehensum est; hoc certe casu nulla ratihabitio uxoris a marito peti potest, de cujus mandato tacito, quod instrumentis dotalibus expressum præsumitur, dubitari non possit. In reliquis paraphernalibus, quæ marito tradita non fuerunt, tenetur satisdare maritus, sicut extraneus quilibet, uxorem ratum habituram L. 21. *Maritus Cod. de Procuratoribus*.

His autem omnibus casibus, quibus procurator relevatur satisdatione *ratam rem haberi;* tenetur tamen satisdare *judicatum solvi*, & *de re defendenda arbitratu boni viri*, & mutuas petitiones excipere, v. g. in duplicibus judiciis familiæ herciscundæ, communi dividundo, L. 21. *ff. Rem ratam haberi*, *d* L. *un. Cod. de Satisdando*, L. *pen.* & *ult. ff. de Procuratoribus*. Formulam autem stipulationis *judicatum solvi*, & clausulam *de re defendenda* descripsit Cujacius *lib.* 10. *Observat. cap.* 29.

Exonerantur etiam satisdatione *rem ratam haberi* Tutores, Curatores, Syndici universitatum, & reliquæ personæ, quæ numerantur in L. 9. *ff. Rem ratam haberi*, in qua antiquam esse vocem, *Magistri universitatis;* agnovit tandem Cujacius ad *Cod.* in *explicatione d.* L. 9. (significat autem Primatem Collegii, Ordinis vel Corporis); nec esse a manu Triboniani, ut in *Paratitulo Digestorum* scripserat *tit. de Administratione rerum ad civitatem pertinentium*. Multo minus de veteri Magistro bonis vendendis intelligi debet, junge L. 23. *ff. de Administrat. Tutor.* L. 6. §. 3. *ff. Quod cujusque universitatis*, & §. *Tutores Instit. de Satisdatio*. Ratio hæc est, quia Actores & Syndici universitatum, Magistri Collegiorum solent publice & ex decreto Civitatum vel Collegiorum constitui; adeo ut vix dubitari possit de eorum potestate: tutores autem & curatores vice dominorum habentur, & injuncto eis publico munere tutelæ vel curationis, sicut persona ita & res omnis pupilli atque actiones ei commissæ censentur, nisi tamen de hujusmodi personarum officio & potestate justa ex causa dubitetur, v. g. in tutore an cesset tutela, an actus & gestus sit ei commissus L. 23. *ff. de Administr. tutor.* Actor autem a tutore datus cavet omnimodo L. 9. *ff. Rem ratam haberi*, sive de Tutoris potestate dubitetur, qui eum præposuit, sive non: itemque sive de ejus mandato dubitetur, sive non. Ex quibus corrigenda & explicanda nota prior Cujacii ad §. *Tutores*, *Institut. de Satisdat. Idem dicendum de Procuratoribus, sive constet de mandato, sive non*, idest teneri de rato. Nec enim eos teneri dicimus, si constet de mandato, juxta modos certos tamen quos singillatim explicavimus. Quare in *nota posteriori ad eundem* §. ipse Cujacius sententiam mutat tacite ex L. 3. §. *si Procurator ff. Ut in possessionem legatorum seu fideicommissorum servandorum causa esse liceat*.

Superest ut de satisdatione *ratam rem haberi* tractemus, quæ non tantum exigitur a falso procuratore, negotiorum gestore & omnibus, qui ultro se omnibus negotiis alienis offerunt, sed etiam a vero procuratore, qui vel sponte eam promisit, vel coactus; quando scilicet justa causa dubitandi occurrit. Satisdationis de rato formula ita potest concipi: *Quas res vel pecuniam in nomine Lucii Titii a me petis, amplius eo nomine petiturum neminem, cujus de ea re vel pecunia actio & petitio & persecutio sit;*

sit: idque ratum habiturum Lucium Titium hæredemque ejus, aut eum ad quem ea res pertinebit, de qua agitur, dolumque malum abesse absuturumque, aut quanti ea res est tantam pecuniam dare spondes. Spondeo. Tres diversas clausulas continet. 1°. *Amplius non peti*. 2°. *Ratam rem dominum habiturum*, a qua parte velut præcipua nomen accepit ista satisdatio. 3°. quæ & communis erat aliarum satisdationum, *dolum malum abesse*. Conclusione vero & clausula generali firmantur & muniuntur tres præcedentes, *quanti res illa erit*. Composita autem fuit hæc formula a Jurisconsultis partim ex Edicto Prætoris, partim etiam Jurisconsultorum cautione & prudentia; ad quos sicut & Legum interpretatio, ita & compositio formularum stipulationum, contractuum, testamentorum & reliquorum negotiorum deferebatur, L. 33. §. *Ait prætor*, *&* L. 39. §. 1. *cum sequentibus ff. de Procuratoribus*, L. 2. 3. *&* 8. §. 2. L. 12. §. 1. *& ultimo*, *juncta* L. 23. *ff. Rem ratam haberi*: ad quæ duo loca postrema dominus Cujacius in *Recitationibus* illam formulam satisdationis, qualem supra descripsimus, proposuit.

Nec dubito tamen alias clausulas ex communi consensu partim inseri posse: quod & aliquando necesse est, ut in eleganti specie L. 3. *ff. Rem ratam haberi*, in qua tractatur de Procuratore minoris viginti quinque annorum: non refert verus an falsus procurator fuerit, qui debitas minori pecunias exegerit. Potest enim minor, sicut exigere sibi debitas pecunias, ita & procuratorem ad exigendum constituere; quamvis in litem non possit dare procuratorem, sicut nec ipse litigare, nisi curator interveniat L. *Neque Cod. de Procuratoribus*. Ab utrisque Procuratoribus ponamus exactum fuisse a debitore extra judicium, & in solutione facienda intervenisse satisdationem, dominum ratam rem habiturum. Quæritur quid si minor ratam solutionem habeat vel expresse, vel actu & re pecuniam ad se delatam receperit a procuratoribus, eamque postea consumpserit; deinde restitutionem in integrum obtinuerit tam adversus solutionem quam ratihabitionem; quæ jure competit tam minori quam ejus hæredibus: utrum debitor qui solvit, possit agere adversus Procuratorem verum vel falsum, qui suo nomine satisdederunt ratam rem minorem habiturum. Et quidem negat Papinianus procuratores teneri: satisfecerunt enim promissioni suæ. Quare prudentius facturos ait debitores, si vulgari stipulationi de rato, hanc præterea specialem clausulam adjungant: *Si minor in integrum restitutus fuerit hæresve ejus, aut is ad quem ea res pertinebit*. Vide omnino Cujacium *lib. 24. Observat. cap. 28.* juncto eodem in *Recitationibus ad d.* L. 3. *ad Papinianum*, ubi recte postrema hæc verba *d. Legis 3. si non conveniat*, refert ad procuratorem falsum tantum, & ad vulgarem conventionem de rato tantum, idest si qui solvit falso procuratori minoris, a procuratore non exegerit vulgarem satisdationem; tunc si postea minor ratam non habuerit solutionem, dabitur actio. Quænam actio? An ex stipulatione? Revera non potest, quia nulla stipulatio fuit interposita de rato. Per actionem itaque intellige condictionem indebiti, quæ datur semper adversus falsum procuratorem, vel negotiorum gestorem ex æquo & bono, quoties dominus non comprobaverit solutionem.

His ita constitutis, lux affulget plerisque Legibus hujus tit. superest ut

explicemus, quis ratum habere possit, quo tempore, & quis sit ratihabitionis effectus. Et quidem diximus in vero procuratore superfluam esse ratihabitionem: statim enim liberatio contingit, sive debitum sive indebitum exegerit, dummodo ex speciali mandato exigatur indebitum: nec dabitur adversus verum Procuratorem condictio indebiti debitori. Quod si quis indebitum solvit, & agat condictione indebiti adversus procuratorem, frustra agit, nempe incompetenti actione: nec tamen ideo adversus mandatorem causa cadit, sed iterum adversus eum utiliter condictionem indebiti poterit instituere. Nec enim qui incompetenti actione agit, prohibetur iterum actione competenti agere; sive de Jure Civili sive Canonico quæratur *cap. Examinata extra de judiciis*: quod aperte dicitur in *L.* 57. *ff. de Condictione indebiti*. Quod si falso procuratori, vel negotiorum gestori solutum fuerit debitum vel indebitum, competit indebiti condictio debitori adversus eum: imo & adversus verum Procuratorem, qui tantum generale habet mandatum, si forte indebitum exigat; quia non præsumitur ei mandata indebitæ pecuniæ exactio, sed debitæ tantum. Illis tamen omnibus casibus ratihabitio liberat eos condictione indebiti, & eam transfert in ipsum mandatorem, perinde ac si ab initio mandatum intervenisset. Nam & in indebiti exactione ratihabitio conciliat tibi negotium, quod ab initio tuum non erat, sed tua contemplatione gestum: & hoc est quod dicetur, *ratihabitionem retrotrahi*, nempe ad tempus quo solutio est facta, *& mandato comparari*, *L.* 6. §. 4. *&* §. 100. *ff. de Negotiis gestis*, *L.* 14. *ff. de Condictione causa data*, *L.* 6. *&* 57. *ff. de Condictione indebiti*, *L.* 12. §. *ult.* 58. *&* 68. *hoc tit. L.* 16. *&* 22. *ff. Rem ratam haberi*.

Hic præterea ratihabitionis effectus notandus, ut tam veros quam falsos procuratores a satisdatione *ratam rem haberi* eximat: & præterea falsos procuratores & negotiorum gestores liberet condictione indebiti; quæ adversus veros procuratores non competit. Poterit objici: cui bono desideretur a vero procuratore satisdatio *ratam rem haberi*, cum necessaria non sit ratihabitio ejus quod gesserit? Respondemus, notandum in satisdatione *ratam rem haberi* tres clausulas contineri, clausulam *de rato*, clausulam *amplius non peti*, & clausulam *de dolo*. Itaque si quid dominus tergiversetur, & injustam litem suscipiat; committetur stipulatio adversus verum procuratorem in vim secundæ clausulæ *amplius non peti*. Generalia autem verba Sanctionis & conclusionis, *quanti ea res erit*, efficiunt, ut non teneatur in solidum procurator, sed in litis impensas tantum, *quod litigat*, *quod consumit*, *quod advocat*, L. 18. *ff. Rem ratam haberi*, *&* L. *Si sine* §. 1. *&* 5. *ff. eodem*; quia agentis amplius non interest, sive dominus damnatus sit, ut oportuit; sive per injuriam Judicis debitor iterum solvere damnatus sit: quo casu procurator qui satisdedit, & ejus fidejussores non tenebuntur ultra litis impensas; sed debitor solus jacturam facit, & penes eum manet injuria, quam ad alium transferri æquum visum non est L. 22. §. 4. *ff. Ratam rem haberi*, L. 67. *ff. de Fidejussoribus*, *&* L. 51. *ff. de Evictio*. Qua de re vide Cujacium ad L. 2. *ff. Rem ratam haberi in Responsis Papiniani*, & ad *d.* §. 4. *Cum Procurator d.* L. 22. *eodem tit. ad Julianum*, in *qua Recitatione* corrige mendum ibi: *injuriam enim procuratori factam;* repone, *debito-*

bitori, cui revera fit injuria, quia bis solvere cogitur. Superest itaque tantum actio quasi ex delicto, si per imprudentiam; vel ex delicto, si per sordes vel dolum, adversus Judicem qui male judicavit, *Inst. in pr. de Obligatio. quæ ex quasi delicto*, L. 5. §. 4. *ff. de Oblig. & actio.* L. 5. *& ult. ff. de Variis & extraord. cognitionib.*

Diximus autem dominum seu mandatorem, vel eum cujus negotium gestum, vel hæredem ejus, aut eos ad quos ea res pertinet, ratum habere posse; qui & contineri solent & continentur solemni formula satisdationis: idque confirmatur L. 18. 22. §. 7. *&* 23. *ff. Ratam rem haberi;* dummodo eo tempore quo ratum habent, eis solvi recte possit, & adhuc debeatur, & jus eis competat: alioqui si quid novi medio tempore inter solutionem factam & ratihabitionem intervenerit, quod immutaverit statum domini vel actoris, vel obligationem aut jus, tunc ratihabitio non poterit retrotrahi, nec comparabitur mandato. Non tamen impedietur ratihabitio, si procuratori vero vel falso post solutionem ante ratihabitionem aliquid simile acciderit L. 47. *&* 48. *ff. de Acquir. hæred.* L. 58. §. 1. *hoc nostro tit. &* L. *ult.* §. 1. *ff. Rem ratam haberi.* Cui §. si objicitur §. 1. L. 71. *hoc tit.* respondendum in ejus specie proponi non rem principalem, sed fidejussorem tantum liberatum fuisse, qui v. g. ad tempus fidejusserat; quia principalis obligatio durabat, in quam soluta pecunia imputatur, a creditore præsertim accepta; quia fidejussor solvisse proponitur adhuc eo tempore, quo tenebatur obligatione. Itaque non potest condicere pecuniam tanquam indebitam, licet tempore ratihabitionis liberatus sit fidejussor ab obligatione, sed applicatus liberationi Rei principalis: quare fidejussori adversus eum datur actio mandati. In §. vero 1. *d.* L. *ult.* Reo principali liberato semel, omnis obligatio permittitur, nec potest dici ad alicujus liberationem profecisse. Quare a procuratore, qui exegit, vel per condictionem indebiti, si nulla satisdatio *ratam rem haberi* sit interposita; vel si cavit, actione ex stipulatu, quæ in locum condictionis indebiti institui solet, soluta pecunia repetitur.

Ad L. 13. L. 58. 71. §. 1. 2. & 3. Dig.

Pertinet autem potissimum tractatio de ratihabitione & satisdatione de rato ad eos, qui sine mandato alicujus negotiis ultro se offerunt: necessaria enim semper in eorum persona domini ratihabitio est. Observandum tamen in Legibus citatis & plurimis Juris locis procuratores eos appellari; itemque incertum esse aliquando etiam ante ratihabitionem, utrum condictio indebiti competat debitori, qui nondum liberatus est, adversus negotiorum gestores, quibus solvit L. 58. §. 2. *&* L. 71. §. 2. *hoc tit.*

Quia vero ratihabitio non tantum extinguit conditionem indebiti, sed etiam stipulationem *ratam rem haberi*: quæritur sæpe, quando & intra quod tempus dominus ratum habere debeat quod gestum est. Et quidem si nominatim nullum tempus præstitum est ratihabitioni in facienda solutione, cum primum certior factus est dominus, ratum habere debet. Hæc verba, *cum primum, statim & confestim*, sæpe in Jure nostro aliquam dilationem admittunt, aliquando nullam. In hac quæstione Julianus ait accipi, *ἐν πλάτει*, idest late sumi L. 13. *Dig. hoc tit. &* L. 12. §. 2. *ff. Rem ratam haberi:* qua etiam forma usurpantur in L. *penult. ff. de Condict. tritic. &* L. 28. *Si arbiter ff. de Probatio.* quod in aliis

Legibus *παχυσυμως* dicitur, ut in L. 2. *ff. ad SC. Tertylia.* ideft late & extenfive. Præterea in *d.* L. 13. *ff. hoc tit.* ad interpretationem horum verborum: *Sicut in legato, cum de repellendo quæreretur, fpatium:* ponenda eft L. 1. §. 8. *ff. ad L. Falcidiam*, ubi agitur *de penu legata. Cum primum* itaque hic accipimus cum quodam fpatio temporis, quod nec maximum fit nec minimum, & magis intellectu percipitur quam oratione poffit exprimi; quamvis regulariter in obligationibus, quibus dies non apponitur, præfenti die debeatur L. 4. §. 1. *ff. de Verb. oblig.* & L. 14. *ff. de Reg. jur.* Et ita fæpe in Jure quando ufuræ dies apponitur, breve tamen temporis fpatium & induciæ conceduntur L. 21. §. *Si fine ff. de Conftit. pecunia.*

Ulpianus in L. 58. *hoc tit.* Juliani auctoritate utitur, & ex eo quærit nunquid ante ratihabitionem domini ftatim competat debitori condictio indebiti adverfus negotiorum geftorem. Et ita diftinguit: vel eo animo & mente folvit debitor, ut ftatim liberetur; quo cafu ftatim etiam poterit condicere: quæ condictio tamen fi poftea dominus ratum habuerit, folutione extinguetur: aut nominatim in folutione dictum, ut liberaretur debitor, cum dominus ratum habuiffet; ita ut nifi ratum haberet, condiceretur negotiorum geftori, ut in L. 14. *hoc tit.* quo cafu non ftatim condictio competit adverfus geftorem negotiorum, fed ita demum cum tantum temporis effluxerit, intra quod ratum habere potuerit dominus, nec tamen ratum habuerit. Quin & ab ignorante domino poft litem conteftatam cum debitore, ratum haberi poteft L. 71. §. *ult. hoc tit.* Ratum autem non habet dominus, qui qualiter eundem actum retractet, qui a procuratore actus eft; ficut contra ratum habere poteft vel re ipfa vel verbis L. 5. L. 12. §. *ult.* & L. 15. *ff. Ratam rem haberi.*

Notandum præterea in §. 2. *d.* L. 12. in quo referuntur eadem verba Juliani, quæ in L. 13. *hoc tit.* quærere Ulpianum, fi dominus pofteaquam certior factus eft, improbaverit exactione pecuniæ factam a negotiorum geftore, deinde vero mutata fententia eam ratam habuerit; utrum ratihabitio ifta proficiat negotiorum geftori, qui fatifdedit ratam rem dominum habiturum, ut fe tueatur adverfus debitorem agentem ex ftipulatu. Et quidem certum eft ftipulationem commiffam fuiffe, & natam effe actionem ex ftipulatu: verum eft enim femel dominum non habuiffe ratum ab initio. Quia tamen poftea dominus ratum habuit; ficut quæ adverfus debitorem competit, indebiti condictionem extinguit ratihabitio, etiam, ut diximus, poft litem ab ignorante domino conteftatam fubfecuta, L. 58. & 71. §. *ult. ff. hoc tit.* quod condictio indebiti defcendat ex æquitate naturali, ne quis ex alterius damno lucretur; nec interfit amplius debitoris, cui ratihabitio domini liberationem patit: ita etiam & hoc cafu per exceptionem doli actionem ex ftipulatu elidit, quæ in locum condictionis indebiti folet interponi *d.* L. *ult.* §. *ult. ff. Ratam rem haberi*; cum præfertim in ftipulatione *ratam rem haberi* claufula de dolo inferi foleat.

Ad L. 31. & L. 62. *Dig.*

Objicitur *L. Difpenfatorem 62. hoc. tit.* in cujus fine hæc fpecies proponitur, Difpenfator fervus, cui teftamento domini libertas fimul & peculium legatum fuerat, morte domini difpenfatione finita, nihilominus ante aditam hæreditatem exegit pecuniam a debitoribus hæreditariis: (aliud in-

in debitoribus peculiaribus, qui indistincte recte solvunt servo, cui peculium legatum fuit; nec ideo hæredi vel adversus servum, vel adversus debitores ulla competit actio, sive ante sive post aditam hæreditatem solverint L. 32. & 51. *hoc tit.*) liberatos autem non fuisse debitores hæreditarios proponitur, qui forte mortem domini non ignoraverint juxta *d.* L. 32. & 51. Itaque eo casu si domini hæres ratum non habuerit quod a servo exactum est, debitor obligatus remanet, & iterum ab eo peti potest. Si vero statim atque certior factus est hæres, ratam habuerit exactionem factam a servo hæreditario, liberabitur debitor; & adversus servum post aditionem hæreditatis liberum factum negotiorum gestorum dabitur hæredi actio, quam ei acquirit ratihabitio. Itaque electio competit hæredi, utrum velit agere adversus servum qui exegit, vel utrum adversus debitorem, qui liberatus non fuit, solutione recte non facta. Licet ne vero variare hæredi, idest postquam improbaverit solutionem servo factam, & ita sustulerit omnem spem actionis negotiorum gestorum adversus servum, quæ erat in pendenti & ex ratihabitione nasci poterat, mox comprobare sive ratam habere solutionem; maxime ubi paratus est cavere indemnem servum futurum adversus debitorem hæreditarium, & per consequens liberatum iri condictione indebiti, quæ debitori supererat? Respondet Paulus in *d.* L. non posse amplius variare hæredem: solam ei superesse actionem pristinam adversus debitorem qui liberatus non fuit, ut diximus: quæ est sententia ultimorum verborum *d.* L. *& per hoc debitor mihi constituitur*: idest quia non prodest ratihabitio, nempe post retractationem præcedentem, quæ impediit spem actionis negotiorum gestorum adversus negotiorum gestorem; superest hæredi antiqua actio adversus debitorem hæreditarium. Ratio hæc est: injustum videtur arbitrio hæredis permitti, modo repudiare, modo repudiatam admittere negotiorum gestorum actionem adversus eum qui negotium ejus gessit. Hujusmodi quidem variatio favore liberationis contra regulas Juris sustinetur, & parit exceptionem reo in specie *d.* L. 32. adversus creditorem; ad extinctam vero semel actionem restituendam non valet L. *Qui res* 98. §. *ult. ff. hoc tit.* Quin & ubi de obligando quæritur, propensiores ad negandum esse debemus; si occasionem habeamus *L. Adrianus ff. de Oblig. & actio.* *Ad L. 98. ult. Dig.*

Eget præterea interpretatione quod dicitur in *d. L.* 62. si dispensator servus ante aditam hæreditatem exegerit debitores defuncti, qui liberati fuerint illa solutione, quam ignorantes mortem domini fecerint; hoc casu teneri eum actione de peculio hæredi quasi negotiorum gestorum vel mandati actione. Si eidem dispensatori libero facto ab ignorantibus etiam debitoribus solutum fuisset; revera locus non erat actioni de peculio, sed vel actio negotiorum gestorum vel mandati ei & adversus eum competeret, perinde atque adversus quemlibet hominem liberum negotiorum gestorem. Itaque videmus interesse plurimum in negotiorum gestione, sicut & in quolibet contractu, initio cujusque temporis conditionem cujusque personæ spectare. Pro qualitate enim personarum & actio formatur, & condemnatio moderatur L. 15. *ff. de Negotiis gest.* præsertim quando separari potest negotium, quod in servitute gestum est, a negotio quod in libertate, nec sunt connexa L. 17. *ff. eodem*: sicut in specie pro-

propoſita facile diſtingui poſſunt ſolutiones diverſæ diverſis temporibus factæ; aliæ adhuc ſervo factæ; aliæ poſt libertatem, ut & Juriſconſultus recte diſtinguit. Dari vero dicitur actio de peculio vel in peculium: quamvis enim ſit in perſonam, rem tamen, ideſt ipſum peculium ſequitur; & per conſequens in ſpecie *d.* L. ſequitur manumiſſum, quia ei legatum fuit peculium: alioquin ſervus, cui eſt ademptum peculium, manumiſſus poſtea non tenetur de iis omnibus quæ geſſit in ſervitute L. 17. *initio ff. de Negot. geſt.* Additur tamen eſſe de peculio quaſi negotiorum geſtorum vel quaſi mandati actionem. Nomen actionis de peculio eſt generale: determinatur tamen ſecundum naturam & regulas contractuum & negotiorum, quæ cauſam & originem dederunt actioni de peculio. Ex quibus enim cauſis homines liberi teneri ſolent, ex iiſdem ſervi de peculio tenentur; & generalis actio de peculio denominatur ex ſpecialibus contractibus: & hoc eſt quod dicitur, in L. 49. *ff. de Peculio*, utrum ſervus teneatur de peculio, *ex cauſa civili computandum eſſe*.

Adverſus liberum hominem, qui negotium geſſit, ut in propoſita ſpecie L. 64. ſine mandato meo, dicitur vel negotiorum geſtorum vel mandati actio competere, ſuis nempe caſibus, non ſimul; negotiorum geſtorum, ſi dominus ratum non habuerit quod geſtum eſt ejus contemplatione, & quod ejus proprium erat negotium, v. g. ſi ei debita pecunia exacta fuit: mandati vero, ſi ratum habuerit quod geſtum eſt dominus. Tunc enim quando meum negotium geſtum eſt, licet non mandaverim, ſufficit ſi poſtea ratum habeam & comprobem: ex hujuſmodi enim ratihabitione actio mandati ultro citroque competit. Itaque in arbitrio eſt domini, utrum velit agere negotiorum geſtorum ſimpliciter, quia nullum mandatum dedit, vel utrum mandati; quod poterit ſi ratum habeat quod geſtum eſt: tunc enim ratihabitio retractabitur & comparatur mandato. Ubi tamen unam elegerit, non poterit amplius alteram agere: & utique vice verſa ille qui geſſit negotium proprium domini ante ratihabitionem, poteſt agere negotiorum geſtorum tantum. Licet enim dominus recuſet comprobare; tamen quod utiliter geſtum erit, apud Judicem pro rato habebitur L. 9. *ff. de Negotiis geſt.* Quod ſi dominus ratum habeat quod ſine mandato geſtum eſt, mandati actione obſtringetur *L.* 12. *in fine & d. L.* 62. *ff. hoc tit. juncta L.*15. *ff. de Exceptione rei judic. & L.* 60. *ff. de Reg. Jur.*

Nec obſtant *L.* 6. §. 9. *&* 10. *& L.* 9. *ff. de Negot. geſtis*, quæ negotiorum geſtorum tantum actionem concedere videntur. Nam obſervandum in his Legibus non fuiſſe geſtum proprium negotium domini, ſed alienum, v. g. indebitam pecuniam exactam, vel alterius quam domini negotium geſtum, vel quod male geſtum fuit, & ex quo naſci non debet negotiorum geſtorum actio, ut in *L.* 9. His caſibus licet ratihabitio domini ſequatur, non comparabitur tamen mandato, nec dabitur actio mandati: ad id enim tantum præſumitur interpoſita a domino, ut negotium quod ſuum non erat, per ratihabitionem ſuum faceret; non autem ut præterea mandatum conſtitueret nominatim. Uno verbo iſtius ratihabitionis duplex effectus eſſe non poteſt, & conciliandi negotii quod tuum non erat, & præterea obſtringendi domini actione mandati: itaque

que actio negotiorum gestorum superest. Quoties vero meum negotium gestum est sine mandato, utiliter tamen, statim nascitur, ut diximus, actio negotiorum gestorum etiam adversus absentem & ignorantem dominum, utilitate publica suadente *d.* L. 9. *ff. de Negot. gest.* & §. 1. *Instit. de Obligat. qua quasi ex contractu*. Quod si praeterea sponte dominus ratum habeat quod gestum est, ratihabitio mandato comparabitur, & retrotrahetur, perinde ac si tibi ab initio mandatum dedissem & te constituissem procuratorem. Itaque mirum non est, si hic effectus tribuatur tantum ratihabitioni mei negotii: quam sententiam tandem Dominus Cujacius veram esse agnovit ad *d.* §. 9. & 10. L. 6. *ff. de Negot. gestis ad Julianum*: aliter quam senserit ipse ad L. 60. *ff. de Reg. juris*.

Postremo de falso procuratore & negotiorum gestore supersunt explicandi §. 4. *Si nullo*, & *duo sequentes* L. 34. *hoc tit.* Primo si debitor falso procuratori solverit, quem verum esse existimabat, non liberatur, nec ei prodest levis quaelibet opinio & persuasio, cautius negotiari debuit; aliter atque accidit in eo, qui ei solvit qui aliquando fuit verus procurator cum mandato: cujus ignorantiae probabili parcitur, si post mortem domini vel revocationem mandati bona fide ignorans solverit. Comparatur autem debitor, qui falso procuratori vel negotiorum gestori solvit, quos mandatum habere sibi temere persuaserat, emptori qui a fugitivo & fure cum pro libero ageret, rem domini comparaverit; cum fugitivum liberum esse existimaret, eique solvit pretium rei venditae: nec enim a domino liberatus intelligitur. Manet quippe res vendita domini: nec enim fugitivus qui sui furtum facit, nec fur quilibet potest dominio rei privare verum dominum. Itaque non obstante solutione facta servo, poterit dominus agere adversus emptores rei vindicatione: nec enim domino, cum retineret dominium rei venditae, potest acquiri actio exempto; & per consequens pretium servo numeratum domini non fit, nec liberatur emptor. *Ad L. 34. §. 4. 5. & 6. Dig.*

Objicitur L. *Fugitivus* 19. *ff. hoc tit.* in qua qui mutuam pecuniam accipit a fugitivo eique solvit, liberatur, nec domino actio superest; quia domini nummos factos fuisse intelligimus: cui etiam ponendum est acquisitam fuisse actionem. Ratio differentiae inter venditionem & mutuum ponenda est: qui sumit pecuniam mutuam, eo esse solet animo, ut statim bona fide eam consumat, & in usus suos eroget atque impendat, non ut eam servet. Hujusmodi vero consumptione nummorum bona fide facta, mutuum datum a fugitivo, quod ab initio non constiterat, conciliatur postea, & acquiritur actio ex mutuo domino fugitivi L. *Rogasti* §. *ult. ff. de Reb. cred.* Et per consequens acquisita actione per fugitivum ex post facto post consumptionem, & solutione facta; nummi soluti domini facti intelliguntur, & actione ex mutuo liberatur debitor. Ante consumptionem nummorum factam bona fide a debitore, non consistit mutuum, quia fugitivus eos non fecit creditoris: quare extantes apud debitorem vindicari possunt; quod, ut diximus, rarissime accidit in mutua pecunia. Aliud in emptione: qui enim emit, ut rem emptam retineat & servet, augeatque patrimonium suum, ideo comparat. Quare in *d.* §. *Et cum fugitivus*, ex eo quod plurimum fieri solet, ponendum *Ad L. 19. Dig.*

est

est rem subreptam extare apud venditorem, & per consequens a domino vindicari posse. Nec solutio pretii servo facta emptori prodest; quia nunquam constitit emptio. Quod si objicias emptorem iterum rem illam vendidisse: eadem supererit differentia. Usus enim nummorum abusus est, & assiduo usu quodammodo interire intelliguntur, L. 2. & 5. *ff. de Usufr. ear. rer.* aliæ vero res & corpora, licet mutent possessores, dignosci & designari possunt, & per consequens a quolibet possessore facile revocari per vindicationem L. 6. *ff. de Rei vindicat.* Junge Cujacium ad *d.* L. *Rogasti* §. *ult. in Posthumis*, & ad *edictum Juliani in explicatione* §. *Et cum fugitivus d.* L. 34. *hoc tit.*

In §. etiam 6. *d.* L. 34. de negotiorum gestore & procuratore voluntario agitur, in quo hæc species proponitur. Soluto matrimonio per divortium, gener socero dotem solvit, non adhibito filiæ consensu, quæ in potestate constituta erat; maritus dicitur non esse liberatus: iterum potest agere filia de dote; condicere tamen maritus poterit socero, idest marito superest condictio indebiti, vel sine causa, adversus socerum, quia liberatio non est secuta, propter quam solutio facta fuit. Si tamen postea filia ratam habeat solutionem, liberabitur gener, & per consequens extinguetur condictio indebiti, sicut diximus de negotiorum gestore, cui debitor solverit. Et quidem Julianus ait propemodum similem esse generum debitori, qui solvit absentis procuratori, voluntario scilicet, idest negotiorum gestori sine mandato, quem sæpius absolute & improprie procuratorem in Jure appellari diximus. Ait, *propemodum*, quia gener qui solvit socero, ei solvit qui socius est & particeps obligationis: communis est enim actio de dote inter patrem & filiam: qui vero solvit procuratori qui mandatum non habet, ei solvit qui nullum jus habet, qui plane alienum negotium gerit. Inter patrem enim & filiam actio de repetenda dote, sive sit profectitia, sive sit adventitia, communis est; sive solvatur divortio matrimonium, sive morte mariti; sive quæratur de jure antiquo L. 34. *ff. Soluto matrimonio*, sive de novo. Nam filiifamilias vel filiæfamilias sine patre, vel pater sine filia ex causis adventitiis actiones movere non possunt, L. *ult.* §. *Ubi autem* 3. *Cod. de Bonis quæ liberis*: & in casu dotis expressa est *Lex unica* §. 14. *Cod. de Rei uxoriæ act.* ut recte observavit Cujacius ad *Africanum ad d.* L. 34. *ff. Soluto matrim.* & iterum in *Paratitulo Cod. de Rei uxor. actio.* Vide omnino eundem in *Posthumis ad* §. *Accedit* 13. & *ad seq.* §. *Cod. de Rei uxor. act.* quamvis postea ad *Julianum* aliter senserit in interpretatione *nostri* §. *Si gener:* Nempe denegat eo loci repetitionem dotis adventitiæ patri, licet filiam habeat in potestate. Jure quidem veteri dos adventitia, sicut & profectitia, communis erat patris & filiæ, etiam quoad proprietatem: hodie vero ex constitutionibus dos adventitia, sicut & reliqua bona adventitia, ipsius filiæ propria sunt jure dominii, non autem communia patris & filiæ; quamvis repetitio dotis utrique conjunctim & simul competat. Quod si filia fuerit emancipata, indistincte sive sit profectitia sive adventitia, solius filiæ erit actio: nec opus est patris consensum adhibere L. *Si cum dotem* 22. §. *Eo autem ff. Soluto matrim.* Si tamen dos fuerit profectitia; quamvis filia ratam non habeat solutionem dotis, & mortua sit ante ratihabitionem, sive emancipata fuerit, sive non;

non; adversus socerum gener agere non poterit condictione indebiti, imo nec ex stipulatu; licet nominatim stipulatus fuerit gener a socero filiam ratum habituram: quia ut diximus, & in condictione & in stipulatione id tantum continetur, quod interfuit stipulatoris ratum haberi quod gestum est: nihil autem stipulatoris interest, quia mortua filia dos profectitia redit ad patrem *L. ult. ff. Ratam rem haberi*.

Quomodo vero accipienda sunt ea verba stipulationis ratum haberi, *quanti interest?* Nempe ut tantum in hac stipulatione compendium contineant & lucrum, quantum ex re nascitur & provenit, v. g. fructus ex fundo, ex domo pensiones (*le loyer*), ex grege fœtus & lana, ex ancillis & servis operæ & partus; non autem extraria compendia veniant, quæ vulgo interesse affectionis vocant Interpretes. Vide omnino Cujacium ad L. 2. *ff. Rem ratam haberi ad Papinianum*. De dote vero profectitia & adventitia vide omnino Ulpianum *tit. de Dotibus*, & Cujac. ad *tit. de Rei uxoriæ actio. in Posthumis Codicis*, in cujus initio observat recte, patrem in constituenda dote expressa stipulatione cavere sibi posse, ut solus quandocunque soluto matrimonio dotem repetat, non adjuncta persona filiæ.

Pars ultima tractatus superest, quæ pertinet ad Tutores & Curatores, quos etiam L. 49. *hoc tit.* numerat inter eos, quibus debitores recte solvunt, quamvis ipsis non debeatur. Sæpius etiam supra de illis egimus, & occasione rapta quædam communia inter eos & Procuratores; quædam etiam adnotavimus singularia, cavere non solere tutores vel curatores ratam rem pupillum habiturum, conditionem, quæ in datione pecuniæ versatur, in tutorum persona impleri posse; quæ aliter se habent in procuratoribus: eis solvi, imo & solvere posse, novare, delegare, juramentum deferre, acceptum facere, præcedente tamen novatione: quæ etiam procuratoribus omnium bonorum & cum generali mandato permitti supra probavimus; qui sæpius cum tutoribus & curatoribus in iis articulis comparantur, & iis notis separantur a specialibus procuratoribus L. 6. *ff. de Condict. indeb.* L. 17. §. 2. & 3. L. 18. & 19. *ff. de Jurejur.* L. 20. §. 1. *ff. de Novatio.* & L. 13. §. *Tutor. ff. de Acceptilatio.*

Pertinent, autem ad hanc postremam partem tractatus nostri L. 14. §. 1. & *seqq.* 45. §. 1. 49. 65. 95. §. 10. & *seqq.* 95. & 100. *hoc tit.* in quibus de tutoribus & curatoribus tractatur: quibus adde L. 28. in qua de eo qui pro tutore gerit. Ad pupillum vero, quomodo ei solvatur recte, vel non; & quis sit effectus illius solutionis quæritur in L. 14. §. *ult.* 15. 47. 66. & 95. §. 2. & 4.

Ordinem quem Ulpianus secutus est, observabimus. Et quidem statim in L. 14. divisiones tutorum proponit, idest in testamentarios legitimos, vel ex inquisitione datos, scilicet ab iis magistratibus, quibus a Lege vel aliqua simili Juris parte, & casibus Jure comprehensis tantum, permissum est tutores dare: nam tutoris datio non est jurisdictionis, non competit jure Magistratus, sed ei soli cui Lex nominatim vel similis pars Juris dederit L. *muto* §. 2. *ff. de Tutelis, toto tit. de Tutorib. & curat. dat. ab his qui jus dandi habent, Instit. de Attiliano tutore & Ulp. in Regulis tit. de Tutelis* §. 2. qui & dativi appellari solent L. *Dativus ff.* *Ad L. 14. 41. 45 65. & 100. Dig.*

Rem pupilli salvam fore, ubi a testamentario separantur & a legitimo ex L. *ult. Cod. de Legit. tutela*; quamvis testamentarii appellentur etiam dativi ab Ulpiano in *Regul. d. tit. de Tutelis* §. *Testamento quoque*: utrique dativi appellati ad differentiam legitimorum, quos nemo dat, sed ipsa Lex facit tutores absque ministerio testatoris vel Magistratus L. 5. *ff. de Legitimis tutoribus*. Sine inquisitione porro testamentarii dantur a parentibus masculini Texus, etiam emancipatis; dati enim emancipatis omnimodo, idest sine inquisitione confirmantur a Praetore; quia fides & consilium patris sufficit. Ex inquisitione vero dare solent Magistratus, idest ante dationem & decretum, quo tutores constituuntur, jubent inquiri diligenter in facultates & in mores tutoris futuri §. *Sed hoc jure utimur Instit. de Attiliano Tutore*, §. *Sed hoc non est perpetuum Just. de Satisdat. tutor. vel curator.* juncto Theophilo. Idem dicendum de curatoribus, qui ab iisdem etiam Magistratibus dantur, a quibus & tutores §. *Dantur Instit. de Curatoribus*. Vocantur etiam honorarii, quia dantur ab iis, qui honores idest Magistratus gerunt; sicut praetorius tutor dicitur in §. *Si inter Instit. de Aucto. tutor. vel cur.* & §. *Moribus apud Ulp. tit. de Tutelis*, qui a Praetore datur. Et apud eundem *tit. sequenti* curatores honorarii dicuntur, qui a Praetore constituuntur.

Sive autem de tutela testamentaria, sive de legitima, vel dativa quaeratur, plures simul vel a testatore vel a Magistratibus dari possunt; sicut etiam plures legitimi possunt existere simul, v. g. si plures agnati virilis sexus & ejusdem gradus reperiuntur, L. 9. *ff. de Legitimis tutoribus*. Pluribus autem tutoribus vel curatoribus simul datis oritur 2ª. divisio, ut nempe vel omnes administrent simul; vel quidam tantum administrent; alii vero honorarii, alii notitiae gratia dati censeantur: quae divisio proponitur & explicatur ab Ulp. in L. 14. *hoc tit.* & ab eodem iterum refertur in L. 3. §. *Si parens.* & *seqq. ff. de Administ. tutor.* & ipsa Rubrica satis indicat, *de Administratione & periculo tutor. & curator. qui gesserunt vel non.* Idem Ulp. in L. 3. §. 4. & 5. *ff. Judicatum solvi* attingit eandem divisionem.

Honorarii dicti sunt, qui honoris causa dantur, nec administrationis onere gravantur L. 60. *Si quis tutor* §. 2. *ff. de Ritu nupt.* Itaque honorarii dicti, quia administratio eis vel a testatore vel a Praetore non est commissa, ad differentiam eorum qui administrant. Ad honorarios proxime accedunt, qui notitiae gratia dantur, ad instruendos nempe tutores vel curatores administrantes; quales sunt liberti defuncti, qui noverunt tutius familiae & patrimonii rationes, negotia & supellectilem: quibus tamen propter tenuitatem patrimonii vix permittebatur administratio L. 1. *Cod. de Periculo tut.* L. *Quaero* 32. §. 1. *ff. de Testament. tut.* in qua tutor notitiae tantum causa datus *administrationis & accessionis jure* teneri dicitur pupillo, sicut caeteri tutores qui administraverunt. Quare in L. 14. *hoc tit.* & *in LL. supra citatis* non tantum ad administrantes, sed ad honorarios, vel notitiae causa datos etiam periculum tutelae pertinere dicitur. Ideo enim dati intelliguntur, ut sint observatores & custodes actus alieni: cavere debent sedulo, ne male administretur tutela, admovere negligentes tutores, instruere & adjuvare consilio assidue, ab administrantibus rationem exigere, suspectos etiam postulare.
Ele-

Eleganter tamen Paulus *accessionis jure* teneri ait: conveniuntur enim secundo loco, & excussis prius facultatibus illius qui administravit *d. L.* 3. §. 2. *ff. de Administ. tutorum :* sicut etiam generaliter periculo obnoxii sunt, & in subsidium utili judicio tutelæ vel curationis tenentur, qui qualibet ex causa gesserunt. Primo enim & principali loco conveniri debent & excuti qui administraverunt *L.* 3. *Cod. de Tutela peric. L.* 6. *Cod. Arbitrio tutelæ*, *L.* 1. *&* 2. *Cod. de Dividenda tutela*, *L.* 1. *&* 2. *Cod. Si tutor & curator non gesserit*, quibus junge *L.* 55. *ff. de Administ. & periculo Tutorum*.

Utilibus actionibus teneri eos qui non gesserunt, diximus : soli enim directis actionibus tenentur, qui gesserunt, quia tutelæ actio & periculum proxime nascitur ex administratione & gestu *L.* 39. §. *In eum ff. de Administ. & peric. tutor.* quod ex *Constitutionibus* Principum inductum fuisse gravibus rationibus contendit Dominus Maranus *Paratitulo de Administ. & peric. tutor.* Jure enim veteri & summo mutuum erat periculum omnium tutorum absque beneficio discussionis : quod tamen beneficium cessat hodie, si communis dolus, vel propria culpa tutoris allegetur *dicto* §. *In eum*.

Generaliter autem ex *hac nostra L.* 14. sive plures sint tutores ejusdem generis vel diversi, non tantum omnibus simul, sed etiam uni & soli pro arbitrio suo recte solvit debitor: imo & relegato posse solvi dicitur; quamvis dixerimus Adjecto solutionis gratia in contractu post relegationem solvi non posse : tutoris enim, ut sæpius diximus, longe major est potestas quam Adjecti : est enim vice domini tutor, idest pupilli. Relegatione etiam civitas non amittitur sive ad tempus sive in perpetuum; & per consequens relegato manent integra omnia jura civitatis, patria potestas, tutela : in ejus tamen locum curator substitui solet *L.* 23. §. *ult. & L. seq. ff. de Excusat. tut. L.* 4. *Cod. In quib. causis tutor. hab.* Regula enim Juris notissima est, tutorem habenti tutorem non dari. Postea vero quam curator in locum relegati substitutus fuerit, amplius relegato solvi non potest. Idemque dicendum de tutoribus absuturis vel absentibus Reipub. causa. Curatoribus autem substitutis in locum tutorum, qui & pupilli curatores vocantur in *d. L.* 14. recte solvitur : aliquando enim tutorem habenti certis casibus curator substituitur, vel etiam adjungitur : aliquando etiam alius tutor datur. Curatores autem illi instar tutorum habentur, in quorum locum dati sunt. Vide omnino Cujacium *Paratitulo Cod. In quib. causis tutor. habe* & junge *L.* 1. *Cod. Quando tutores vel curat. esse desin.*

Imo & tutori capitis reo, pendente judicio, poterit solvi bona fide, si adhuc in administratione perseveret, idest si necdum interdicta ei fuerit administratio, vel aliquis in ejus locum substitutus non fuerit; sicut & cuilibet reo postulato recte solvitur *L.* 41. *hoc tit.* Excipe tamen nisi suspectus Tutor vel Curator postulatus fuerit : hoc enim ipso & statim a tempore quo accusatus est, pendente causa cognitionis, abstinere debet ab administratione, quæ illi interdicta præsumitur eo momento quo accusatus fuerit, ut recte in hac L. 14. §. *primo*; etiam ante interdictionis decretum, quod a Pretore solet hoc casu interponi,

ni, qui & alium in ejus locum substituere solet *L.* 10. *&* 11. *ff. de Suspect. tut.* §. *Si quis suspectus Instit. de Suspect. tut. & Leg.* 7. *Cod. eodem*, juncta *L.* 4. *Cod. In quibus causis tutori habenti*. Quare si sciens accusationem suspecti ei solvat debitor, non liberatur: satis enim eum admonere debuit titulus criminis ne solveret tutori, cujus administratio & fides suspecta est.

Non omittendum etiam eos, qui notitiæ vel honoris causa tutores dantur, periculo teneri non tantum primæ administrationis, sed etiam sequentis, v. g. si ad priora bona pupilli accedant alia post tutelam, puta materna, agnati vel cognati hæreditas: & quamvis ad hujusmodi augmentum dari soleat curator; pertinebit tamen tam ad administrantes quam ad honorarios & notitiæ causa datos cura & periculum augmenti: ad eos enim omnis utilitas pupillorum pertinet, & unicum patrimonium unius pupilli L. 9. §. 8. *&* 9. *ff. de Administ. & periculo tutor.*

Verum ut redeamus; uni & soli ex tutoribus sive administrent sive non, recte solvi potest a debitoribus pupilli, quia nempe ad eos periculum pertinet in communi. Iterum uni & soli ex pluribus, quia quæ in facto consistunt, vel quæ nullam juris solemnitatem requirunt, possunt commode per unum Tutorem vel curatorem explicari L. 7. §. *ult. ff. de Curatorib. furioso.* Quæ vero Juris solemnitatem requirunt, quales sunt actus legitimi, mancipatio, optio, aditio, de quibus in L. *Actus legitimi* 77. *ff. de Regul. jur.* ad ea omnes tutores adhiberi debent, ut observat Cujacius *lib.* 17. *Observat. cap.* 8. ubi & habere locum in denunciatione solemni notat ex L. 2. *Cod. Si ex pluribus tutor.* & iterum *lib.* 25. *Observat. cap.* 37. Notandum tamen honorarios & notitiæ causa datos, & generaliter qui non administrant, licet eis solvi possit; non posse tamen alienare vel solvere; imo nec iis casibus auctores esse pupillo L. 4. *ff. de Auctorit. tut.* quia eis administratio non est permissa.

Solvi autem diximus posse Tutoribus vel Curatoribus, vel omnibus simul, vel uni, solidum scilicet quod debetur: nec enim partem remittere potest, non donare quocunque colore quæsito, etiam transactionis L. 46. §. *ult. ff. de Administ. & peric. tutor.* licet delegare & novare possit tutor, imo transigere, bona fide scilicet & non in fraudem pupilli, diminuendi ejus patrimonii causa *dicto* §. *ult. &* L. 56. §. 4. *&* 5. *ff. de Furtis*. Nec possunt conqueri pupilli adversus solutionem Tutoribus vel Curatoribus factam, ut scilicet restituantur adversus debitores, qui eis solverunt: liberantur enim ipso jure, qui Tutoribus vel Curatoribus solverunt sine fraude & dolo L. 14. §. 1. *&* L. 49. *ff. hoc tit.* Nec adversus debitores beneficium restitutionis pupillis vel minoribus competit *L.* 36. §. *Tutela*, *&* §. *ult. ff. de Administrat. & peric. tut. &* L. 3. *ait Prætor* §. 1. *ff. de Minoribus;* ex quo debet explicari L. 1. *Cod. Si adversus solutionem minori restituatur*, ut recte notat Cujacius in *Paratitulo Cod. Si adversus solut.* Nec enim generaliter dicit restitutionem concedi, sed tantum causæ cognitionem diligentem adhibiturum Prætorem, utrum concedenda sit restitutio vel non: quam denegabit, nisi manifestus dolus debitoris intervenerit.

Quod si solvatur pupillo vel minori, de qua quæstione infra dicemus, non

non sufficit auctoritas Tutoris vel Curatoris, ut eis recte solvatur: nec enim aliter plenissima securitate fruentur debitores, ita ut inquietari non possint amplius per restitutionem in integrum adversus hujusmodi solutionem, nisi praeterea sententia judicialis & decretum praecesserit solutionem *L.* 25. *&* 27. *Cod. de Administ. Tutor. vel Curator.* §. *penult. Instit. Quib. alienare licet vel non*. In quo §. licet solutio videatur ad solos Tutores vel Curatores referri recte D. Cujacius in *Posteriorib.* ita explicat, pupilli vel minoris vice, qui praesentes erant, & quibus numerationem faciebat debitor, Tutorem vel Curatorem accepisse pecuniam & auctoritatem interposuisse. Non autem intelligendae sunt illae duae *Constitutiones* & dictus §. *penult.* de solutione facta ipsi Tutori vel Curatori, non adhibito pupillo vel minore: quae recte fit, nec adversus hujusmodi solutionem restitutio conceditur, ut diximus; quamvis decretum Praetoris non intervenerit: aliter atque senserat ipse Cujacius ad *L.* 7. *ait Praetor* §. 1. *ff. de Minorib.* Nec obstat *L.* 1. *Si adversus solutionem*: nam ut recte idem Cujacius in illo *paratitulo*, non praecise promittit Praetor in integrum restitutionem adversus solutionem curatori factam, sed ait causae cognitionem adhibiturum, utrum concedat nec ne; v. g. denegabit restitutionem adversus debitorem qui solvit, nisi debitor consilium fraudis participaverit cum Tutore vel Curatore, ut in casu L. 46. §. *ult. ff. de Administrat. & peric. tutor. &* L. 96. *ff. hoc tit.* quae est Papiniani, & ex suo ad eum commentario notas posteriores ad *dictum* §. *penult. Instit. Quib. alienare licet vel non*, Cujacius transcripsit.

Solemnitatem tamen decreti & sententiae obtinendae remisit Justinianus in *d. L.* 27. *Cod. de Administ. Tut.* in reditibus, pensionibus & usuris exigendis; dummodo biennium & summam solidorum centum non excedant: sufficit illis casibus, quamvis vel pupillo vel minori solvatur, Tutoris vel Curatoris auctoritas. Quae differentia inter auctoritatem & administrationem Tutorum vel Curatorum summe est observanda: licet enim auctoritas pars sit tutelae, & sub generali nomine gestionis & administrationis contineantur *L.* 1. *initio &* §. 2. *&* L. 17. *ff. de Administ. tutor.* separantur tamen a Jurisconsultis, & separatis titulis distinguitur gestio & administratio ab auctoritate, Ulpianus in *Regulis tit. de Tutelis* §. 25. *& sequenti*. Specialiter intelligitur gestio sive administratio, quoties ipse tutor ex persona sua solus, non adhibito pupillo; vel Curator, non adhibito minore, gerunt & administrant. Auctoritas appellatur, quando exhibent pupillum vel minorem, & ipsi praesentes pupilli vel minores gerere & agere intelliguntur; tutor vel curator praesens in ipso negotio, vel statim atque peractum est, in continenti, re tota diligenter perpensa, verbis expressis confirmat & comprobat quod a pupillo agitur; ut in specie dictarum *LL.* 25. *&* 27. in quibus solutioni factae pupillo vel minori auctoritatem interponit Tutor vel Curator. Vide L. 1. §. 1. *&* L. 3. *ff. de Auctorit. tut.* & Cujacium in *utroque Paratitulo*.

Proponitur exceptio in *d.* L. 14. §. 1. ad Ulpiano non recte debitorem solvere ei ex tutoribus, cui a Praetore interdicta sit administratio. Et generaliter in fine ejusdem §. *Nisi interdicta sit*: intellige vel a Praetore,

tore, vel a testatore. A Prætore ex causa, v. g. in specie postulati tutoris suspecti, cui etiam pendente cognitione debet Prætor administratione interdicere, ut supra docuimus; vel si aperte prodigus sit vel furiosus, vel ejus bona venierint L. 3. §. 3. & L. 53. §. *ult. ff. de Administ. tutor.* Ex qua præterea colligitur ipsum testatorem testamentario tutori quem dedit, interdicere posse administratione. Itemque specialiter ex pluribus tutoribus, quos testamento dedit, ita poterit uni administrationem permittere, ut tamen nihil agere possit, nisi adhibito contutore; alioquin quod gesserit irritum est, ut in eleganti specie L. 47. *ff. de Administ. Tutor.* quo casu debitores non liberabuntur si solverint, non adhibito contutore secundum voluntatem patris. Parentibus enim, qui liberos habent in potestate, dandi tutoris facultatem plenissimam Lex dedit, juxta eam quam elegerint formam & præscripserint, confirmat quippe omnia quæ pater circa tutelam statuerit; nisi forte minuantur commoda pupilli: quo casu præcepta & consilia patris circa tutelam Prætor contemnere debet, scilicet ex præsumpta mente ipsius parentis, qui consultum voluit recte liberis suis, sed deceptus est L. 3. §. 3. & 4. L. 5. §. 8. 9. *ff. de Administrat. & peric. tut.*

Nec tantum expressa prohibitio, sed etiam tacita quæ inest & inhæret, quæ continetur actu, per consequentias obstat debitori, quominus solvat: v. g. non tantum si omnis administratio uni vel pluribus tutoribus pro indiviso permittatur, reliquis ab administratione remotis; sed etiam si pater vel Prætor administrationem inter tutores per certas provincias vel regiones diviserint, v. g. unum rebus Italicis, alterum rebus provincialibus præposuerint: facilius enim unus tutor & actiones exercet & excipit, ne per multos tutela spargatur. De hujusmodi divisionibus tractatur in L. *Quæro* 100. *ff. hoc tit. in* L. 15. *ff. de Testament. tutela*, L. 5. §. 2. *ff. de Legitimis tutor.* L. 3. 36. 39. §. 5. & 7. 47. §. 2. & *ult.* & L. 51. *ff. de Administ. tutor* L. 2. *Cod. de Periculo Tutor.* L. 1. & 2. *Cod. Si ex plurib. tutorib.* L. 1. & 2. *Cod. de Dividenda tutela*: quibus ex locis elicimus, quamvis ipso jure tutela & curatio sit indivisa, & individuum sit periculum omnium Tutorum & Curatorum, ita ut singuli in solidum teneantur; ex æquitate tamen & utilitate pupillorum suadente contra Juris summi rigorem Prætores divisiones administrationum a parentibus factas ratas habuisse. Imo & ipsi in datione tutorum dividebant administrationem: & nominatim in L. 36. *ff. de Administ. tut.* jurisdictioni tribuitur ista divisio, & separatur a mero jure: quod jus Prætorium postea constitutionibus confirmatum est.

Effectus vero divisionis hi sunt, ut sive a testatore, sive a Magistratibus, quibus jus est dandi tutores & confirmandi, divisa fuerit administratio; periculum etiam divisum inter tutores intelligatur, nec porrigitur ex una provincia in aliam. Quantum enim facit in totum denegata & interdicta administratio, tantundem valet, si in ea provincia de qua agitur denegata sit d. L. 2. *Cod. de Periculo tutelæ*, L. 51. *ff. de Administ. tutor.* Nihilominus tamen remanent inter se obligati invicem, suspectos contutores suos opportune & commode postulare, idest antequam desierint esse solvendo, & petere

ut

ut satisdent L. 2. *Cod. de Divid. tut.* alioquin non habita ratione administrationis divisæ, contutor negligens his casibus primo loco in solidum convenitur, nec prius excutietur magistratus municipalis L. 2. & 5. *ff. de Magistrat. conveniendis*, & L. 14. *ff. de Adminst. tut.* Itemque invicem se admonere debent de rebus & instrumentis, quæ repererint pertinere ad contutorum administrationem L. 47. §. 2. *ff. de Administ. tutor.* & in casibus §. 3. & 7. L. 39. *ff. eodem*: quia nempe culpa ejus, vel etiam dolus & collusio facile præsumeretur, qui non certiorem fecit contutorem suum de re ad eum pertinente; vel qui male & dolose res pupilli administrantem non accusaverit suspecti: licet enim divisa fuerit administratio, non ideo tamen minus invigilare debent contutorum administrationi: certos enim effectus tantum, ut diximus, parit hæc divisio, quæ contra jus commune benigne a Prætore est recepta.

Alii præterea sunt effectus, v. g. si agat vel administret tutor extra suam provinciam vel regionem, repellitur exceptione L. 4. *ff. de Administ. tutor*. Debitores pariter tenentur solvere illi tutori, cui obtigit administratio in ea provincia, ad quam contractus pertinet L. 47. §. 2. *ff. de Administ. tutor*. Ibi: *Si provincialis contractus esset*: *si* pro *quia*, ut recte Cujacius ad *hunc locum* adfirmat & asserit, non dubitat. Apertissime vero id confirmat L. 100. *hoc tit.* ex qua duo edi[s]cimus Italicum vel Provincialem contractum intelligi, quoties vel in Provincia vel in Italia contractum est, ratione scilicet loci in quo contractum est: itemque quod si in contractu Italico adjectum est, ut solvatur in Provincia, vel contra in contractu Provinciali, ut solvatur Romæ; ratione loci in quo solvi convenit, ibi etiam contractum intelligitur L. 21. *ff. de Oblig. & actio.* quia certam conditionem & formam contractus accepit ex hujusmodi conventione. Quare debitor & extra locum, in quo contractus habitus est, solvere potest in specie L. *nostræ*, non tantum tutoribus Italicis, quia Romæ solvere promiserat; sed etiam tutoribus Provincialibus, cum quibus scilicet in Provincia contraxerat sub ea conditione, ut eis etiam Romæ solveret. Quod si tutores Provinciales simpliciter Romæ solvi stipulati forent; tunc ad Italicos tutores exacto pertinuisset, qui tamen admonendi fuerunt a provincialibus tutoribus *arg.* L. 37. §. 2. *ff. de Administ. tutor.* alioqnin periculum nominis ad solos tutores provinciales pertinebit propter divisam administrationem.

Quamvis autem divisio administrationis a Prætore vel testatore facta, administrationis faciat modum; non tamen immutat vel imminuit jus creditorum pupilli: nec obligantur ei stare, v. g. tutor rerum Italicarum in Italia, ubi nempe bona pupillus habet, potest conveniri a creditore provinciali pupilli: unius enim pupilli unum est patrimonium, quod in contrahendo spectavit creditor: divisio enim illa administrationis inter contutores proprie locum habet ex utilitate pupilli L. 47. §. *ult. ff. de Administ. & peric. tit.* Similiter si debitor pupilli conveniatur a tutore Italicarum rerum, poterit vicissim tutori Italico compensationem objicere ex contractu in provincia inito L. 36. *ff. de Administ. tut.* quæ & rationem subjicit, quam attigimus: quia divisio tutelæ

læ contra jus commune ex jurisdictione & jure Prætorio benigne inducta cum sit, inter tutores tantum locum habet, & eos solum effectus parit, quos exposuimus supra: creditoribus vero pupilli atque reliquis inter quos non est acta, qui jure communi nituntur, obesse non potest. Ad id tamen tenentur creditores experiri volentes, ut litem denuntient & insinuent omnibus tutoribus, vel qui sunt in Provincia, vel omnibus qui sunt in Italia *Leg. 2. Cod. Si ex pluribus tutoribus:* quod contra jus commune ex *Constitutionibus posterioribus* Constantini & posteriorum Principum introductum est; qui solemnes quasdam denuntiationes certis in causis induxerant, de quibus in *Codice Theodosiano* extat *tit. de Denunciatione vel editione rescripti*. Quamvis autem illæ solemnes denuntiationes sublatæ fuerint tacite a Justiniano; nec enim dictas constitutiones ad eas pertinentes in suum *Codicem* retulit: in speciali tamen casu de quo agimus, privatæ testationes, idest denuntiationes factæ privatim, adhibitis tamen testibus, omni præterea solemnitate dempta & insinuatione apud acta, sicut antea, retentæ fuerunt. Si tamen alii Tutores vel Curatores defendere noluerint, ab uno poterit causa defendi. L. 1. *Cod. Si ex pluribus Tutoribus*.

Quæ diximus locum habent tantum, quoties divisio administrationis vel a testatore vel a Magistratu facta fuerit: Tutores enim & Curatores inter se conventione privata administrationem dividentes mutuum periculum dividere vel finire non possunt. Tamen qui administravit, primo loco convenietur L. 2. *Cod. de Divid. tutela*, Cujacius *illo paratitulo & paratitulo Cod. Si ex pluribus tutoribus*, junctis *Recitationibus ad utrumque*.

Nec tantum Tutoribus vel Curatoribus recte solvitur; sed etiam ratione muneris & officii tenentur debitores pupillorum vel minorum interpellare, admonere, convenire, & etiam compellere ad solvendum, etiam distractis pignoribus; itemque debita pupillorum dissolvere, seipsos convenire, a seipsis exigere, seipsis solvere, in omnibus bonam fidem agnoscere: nec ad Judicem tenentur provocare: supervacaneæ enim litis honoraria pupillo non imputabuntur L. 4. §. 5. L. 9. §. 3. 4. 5. 6. 7. & L. 57. *ff. de Administ. & peric. tut.* L. 18. *Cod. eodem*, & L. 2. *Cod. Arbitrium tutelæ:* quo pertinet *Lex* 95. §. *Si mandatu & sequenti hoc tit.* in quibus tutor comparatur cum mandatore. Et quidem in §. *Si mandatu* manifesta est pars utraque comparationis, cujus rei monet nos Papinianus ibi: *Et huc pertinet tutoris & pupilli debitoris non fecisse comparationem:* In §. vero *sequenti si creditor*, quamvis solius mandatoris mentio fiat, ex præcedenti tamen §. subintelligendum idem de tutore. In §. *Si mandatu* ait esse in potestate creditoris eligere quem velit convenire, mandatorem vel reum principalem; nec altero damnato, v. g. mandatore, imo & ab eo soluta pecunia creditori, debitorem liberari. Integra enim manet adversus debitorem obligatio & actio, & competit creditori etiam post solutionem mandatoris, qui ipso jure non fuit liberatus: si tamen creditor iterum exigat eandem pecuniam a debitore, per exceptionem repelletur.

Eademque ratione consulitur creditori, quoties reus principalis electus, imo & damnatus, propter inopiam vel solidum non solverit, vel difficilis

difficilis sit conventu: poterit enim redire ad mandatores vel correos, *L. 27. §. ult. ff. Mandati*, & *L. 13. ff. de Fidejussor.*

Verum objiciet aliquis, cui bono in *dicto* §. *Si mandatu* dicitur, rationem suadere ut non liberetur debitor; nempe hoc ut compellatur creditor cedere mandatori, qui pecuniam numeravit, actiones adversus debitorem; quo casu nulla dabitur exceptio debitori adversus mandatorem, quia pecuniæ solutio ei profuit *L. Papinianus* 28. *ff. Mandati*: si enim liberatus fuisset debitor ipso jure, extinctæ semel actiones cedi & restitui non possunt. V. g. in hoc casu, si quis propter suum mandatum, vel proprium contractum solverit sponte & ultro, nomine debitoris ignorantis & inviti; liberatur tamen ipso jure non tantum debitor, sed etiam fidejussores, mandatores & pignora: nec ulla post solutionem superest actio creditori, quam cedere possit adversus quondam debitorem suum, nisi nominatim vel ante solutionem, vel in ipsa solutione actiones vel cessæ fuerint, vel convenerit saltem ut mandarentur & cederentur. Idem dicendum de fidejussore L. 24. & 43. *ff. hoc tit.* & L. 39. *ff. de Fidejussoribus*. Fidejussori enim qui solidum solvit, non sibi cessis actionibus, mandati tantum, & extraneis negotiorum gestorum actio superest adversus debitores, pro quibus solverint: Mandatoribus vero & tutoribus, præter actionem mandati & contrariam tutelæ adversus debitorem vel pupillum pro quo solverint, datur etiam actio adversus creditores quibus solverint; & etiam ex intervallo omissas in solutione forte cessiones actionum perficiant. *Ad L. 24. & 43. Dig.*

Aliud obtinet in fidejussoribus, inter quos & inter mandatores tres differentiæ notandæ sunt, quæ ex uno fonte oriuntur. Suo nomine mandator obligatur; præcedit contractum; & auctor fit ut credatur reo principali L. 28. *ff. Mandati*: fidejussor vero alieno nomine accedit ad principalem contractum; rei nomine obligari dicitur *L. 4. ff. de Fidejussorib. L. 1. §. Verbis ff. de Obligatio. & actio.* statim *initio de Fidejussorib. Instit. pro eo qui promittit solent alii obligari, qui fidejussores appellantur*: quare fidejussor exemplo rei principalis teneri dicitur *L. 24. ff. de Fidejussorib.* Ex hoc principio tres sequuntur differentiæ inter fidejussorem & mandatorem. Prima, uno ex fidejussoribus vel correis debendi electo, & lite cum eo contestata, reliqui liberantur: uno vero ex mandatoribus, vel etiam reo electo, reliqui mandatores non liberantur, & ad eos redire potest creditor L. 52. §. *ult. ff. de Fidejussoribus*, & L. 95. §. 10. *hoc tit.* & L. 24. *Cod. de Fidejussoribus*, Paulus in *Sententiis lib. 2. tit. 17. in fine*. Hanc tamen differentiam Justinianus sustulit, & exæquavit fidejussores mandatoribus *L. ult. Cod. de Fidejussoribus*. *Ad L. 95. §. 10. & 11. Dig.*

Secunda, si fidejussor solverit, ipso jure liberatur reus principalis *Instit. Quib. mod. toll. oblig.* quod locum non habet in mandatore L. *Papinianus* 28. *ff. Mandati*, & *hoc nostro* §. in quo Papinianus caute loquitur de mandatore tantum, non autem de fidejussore.

Tertia, hæres etiam fidejussoris & rei constitutæ pecuniæ obligatur, exemplo rei principalis, cujus hæres proculdubio tenetur, L. 24. *Cod. de Fidejussoribus*, & L. 4. §. 1. *ff. eodem*, §. *Fidejussor non tantum Instit. eodem*, L. 1. & 2. *Cod. de Constituta pecunia*: aliud in hærede mandatoris

toris dicendum, quando nempe mandatoris non interfuit; v. g. si mandavit ut alii pecunia crederetur: nam ex hujusmodi mandato, quod alterius tantum gratia, non autem ipsius mandantis intervenit, ut in L. 6. §. *Si tibi ff. Mandati*, hæres mandatoris non tenetur: quare in *dicto* §. *Si tibi* dicitur: *ego tibi sum obligatus*, ego, idest mandator, non hæres, ut aperte ex citato *loco Sententiarum* Pauli Cujacius observavit *lib.* 23. *Observat. cap.* 25. Aliud si in rem suam mandaverit: quare in L. 8. *Cod. Mandati* ponitur, *mandasse ut pecuniam in rem suam crederes*.

Communia tamen pleraque fidejussores habent cum mandatoribus, v. g. quod in §. *pen. d.* L. 59. *hoc tit.* dicitur, si vitio aut culpa sua creditor causa ceciderit, & redeat ad mandatorem, quod ei licet ipso jure; repelletur tamen creditor hac exceptione, *quod actiones mandatori credere non possit adversus debitorem*, vitio & culpa creditoris propria amissas; v. g. si creditor plus petierit, & causa ceciderit; vel si non adfuerit causæ. Idemque repetendum est & supplendum in tutore, si pupillus adversus unum ex contutoribus gerit, & suo vitio & culpa ceciderit; eadem exceptio dabitur si redeat adversus reliquos contutores, *quod actiones adversus contutorem cedere non possit*. Eademque exceptio dabitur fidejussoribus, si unus ex pluribus conveniatur ab eo qui solidum solvit: potuit enim in ipsa solutione petere, ut sibi vel adversus confidejussorem vel adversus debitorem actiones crederentur: quamvis post solutionem, ut supra diximus, adversus confidejussorem a creditore cessionem actionum petere non possit L. 39. *ff. de Fidejussoribus*: quod beneficium ei ademit creditor qui culpa sua causa cecidit.

Quod si pacto unus ex pluribus mandatoribus, tutoribus, vel fidejussoribus liberatus sit a creditore, qui propensior fuit & liberalior in unum quam in alterum, non erit locus hujusmodi exceptioni, *quod non possit creditor amplius cedere actiones*. Nam & etiam hoc casu cessat beneficium divisionis divi Adriani; quod etiam mandatoribus competit L. *ult. Cod. de Constituta pecunia*, L. 15. §. 1. *de Fidejussoribus*: ubi quod ait, *nulla exceptione submoveri creditorem*, intellige vel de exceptione de qua supra, quod amplius actiones cedere non possit adversus illum ex fidejussoribus, mandatoribus, vel contutoribus quem liberavit, & qui tutus est exceptione doli vel pacti etiam adversus ipsum creditorem; vel de exceptione divisionis ex *Epistola* divi Adriani, cui tantum locus est rebus integris, & nondum liberato altero ex confidejussoribus, mandatoribus vel contutoribus: & ut recte Cujacius ad *Julianum ad d.* L. 15. §. 1. *de Fidejussoribus*, vitium & culpam creditoris arguitur & ei nocet; liberalitas & propensio in unum potius quam in alterum non nocet: quod confirmatur L. 22. & 23. *ff. de Pactis*.

Verum ut reliqua persequamur quæ ad tutores pertinent, non tantum solvere recte tutori pupilli vel curatori debitores pupilli vel adolescentis posse diximus; sed etiam eos posse delegare eorum debitores, vel etiam cum debitoribus & creditoribus eorum posse transigere, quia tutor vice domini, idest loco pupilli censetur L. 27. *ff. de Administ. & peric. tutorum*. Delegationis vero & transactionis a tutore factæ exem-

exempla extant in L. 96. *initio* & §. 1. *hoc. tit.* Delegantis species hujusmodi proponitur. Tutor Sempronii pupilli delegavit debitorem pupilli, & ei mandavit ut solveret proprio creditori suo: quæritur an hujusmodi solutione liberetur debitor pupilli: & ait Papinianus liberationem contingere, quamvis non in rem pupilli sed tutoris pecunia versa sit: & hoc, ut diximus: propter summam tutoris in personam & res pupilli potestatem. Quamvis vero hæc ita sint jure summo; addit tamen hanc exceptionem Papinianus, nisi tutor in fraudem & damnum pupilli ex ejus pecunia vel ex delegatione tutoris, pupilli debitorem solutum dimisit: quo casu proculdubio actione tutelæ tenebitur tutor pupillo, qui fraudatus fuit: actio enim tutelæ cum sit bonæ fidei, potestate judicii dolum vindicat tutoris; nec opus est a Prætore obtinere actionem vel exceptionem de dolo. *Ad L. 96. initio & §. 1. Dig.*

Si vero debitor pupilli una cum tutore dolum participaverit, liberatio ejus quæ ipso jure contingit, per restitutionem in integrum rescindetur, & per consequens utilem actionem restituet Prætor adversus hujusmodi debitorem. Quod si bona fide & fraudis tutoris ignarus debitor pupilli solverit, liberabitur in perpetuum, nec locus erit restitutioni. Idemque dicendum si creditor tutoris fraudem non participaverit: tunc enim condictio indebiti non dabitur, nec etiam Pauliana, ut infra dicemus; quia suum recipit, & Pauliana tantum adversus scientes competit. Quod si fraudem participaverit tutoris creditor; quoniam ipso jure liberatio contingit, quia & suum recepit, & debitor pupilli nomine tutoris qui debebat solvit; recurrendum erit ad extraordinarium auxilium Juris, nempe ad actionem Paulianam, vel quod in *hac nostra* L. dicitur, ad interdictum fraudatorium, quia nulla est adversus eum ex hac causa actio civilis vel prætoria. Dicimus ultimum illud auxilium superesse adversus creditorem tutoris: quamvis enim fraudem participaverit, non est tamen fraudator sed solus tutor fraudator dicitur: quare adversus creditorem non dabitur actio de dolo. Posset quidem adversus tutorem fraudatorem dari actio Pauliana; sed sufficit actio tutelæ, quæ cum sit bonæ fidei, sui natura & potestate actiones & exceptiones de dolo continet.

Objicies L. 1. *ff. Quæ in fraudem creditorum*, quæ ait *necessario Prætorem proposuisse hoc edictum*, nempe deficiente omni alio Juris auxilio: atqui diximus adversus tutorem fraudatorem civilem actionem tutelæ pupillo competere. Respondemus locum esse tantum actioni Paulianæ, postquam fraudatoris omnia bona distracta & vendita fuerunt, vel in ea causa sint ut distrahantur: quare & annus utilis præstitutus huic actioni & interdicto fraudatorio, computatur tantum ex die venditionis bonorum, ex quo primum datur experiundi potestas L. 1. & 6. §. *ult.* & L. 10. §. 18. *ff. Quæ in fraud. credit.* Illo itaque casu distractis & venditis bonis fraudatoris, per consequens omnibus actionibus civilibus vel Prætoriis ordinariis extinctis, quodammodo iniquum visum est actiones ordinarias dari in eum cui omnia bona fuerunt ablata, sicut post publicationem vel cessionem bonorum; nihilominus tamen in hujusmodi fraudatorem pœnæ causa datur actio Pauliana L. *ult.* §. *ult. ff. Quæ in fraudem credit.* & L. *ult.* *Cod. de Revoc. his quæ in fraudem.*

 Ad-

Adnotandum vero non tantum si tutor sciens propriam pecuniam pupilli vel ei debitam creditori suo in fraudem pupilli solvi jusserit, locum esse Paulianæ actioni, quod est æquissimum; sed etiam si suam vel sibi debitam pecuniam in fraudem pupilli vel aliorum creditorum solvi jusserit creditoribus suis. Idemque dicendum si vel tutor vel quilibet alius debitor quid in fraudem alienaverit, vel quid aliud gesserit. Generalia enim sunt edicti verba, & in se continent omne omnino in fraudem factum, vel alienationem, vel quemcunque contractum, vel distractum, sive res fuerint sive actiones. Et non solum dominia, verum etiam actiones restituuntur, & debitores qui in fraudem creditorum liberati fuerunt, revocantur in pristinam obligationem, utilibus actionibus datis a Prætore L. 1. §. 1. L. 2. & 3. L. 10. §. 22. & 23. & L. 14. & 17. *ff. Quæ in fraudem credit.* & L. 1. *Cod. Theodosiano de Restit. in integrum.*

Observandum etiam hujusmodi creditorem conscium & participem fraudis fuisse cum tutore: si enim quid moliretur tutor & quid ageret ignoravit, non datur adversus eum Pauliana neque interdictum fraudatorium; sicut nec adversus emptorem, qui bona fide & pecunia sua comparavit a fraudatore. Aliud, si quid ex lucrativo titulo possideatur, sive a majore sive a minore: licet enim ignoraverint fraudem, dabuntur tamen actiones hujusmodi rescissoriæ, in quibus detracta mentione scientiæ, inspicitur tantum, an creditores damnum fecerint: ignorantes tamen tenebuntur quatenus facti sunt locupletiores; non ultra L. 6. §. 10. & 11. L. 7. & 17. §. 1. *ff. Quæ in fraud. credit.* L. *penul. Cod. de Revoc. donat. his quæ in fraud. creditorum*, L. 19. *Ex promissione ff. de Oblig. & actio.*

Expressa vero fit mentio in *hac* L. 96. *hoc tit.* interdicti fraudatorii, sicut & in L. 67. *Si postulante ff. ad Trebellianum*, de quo interdicto multa præclare Cujacius ad *hanc* L. 96. in qua duas potissimum differentias exponit inter actionem Paulianam & interdictum fraudatorium. Prima actio Pauliana dominium rei vel pecuniæ alienatæ in fraudem debitorum revocat: interdictum possessionem. 2°. quæ summe notanda, in interdictum fraudatorium non veniunt fructus medio tempore percepti, nec usuræ debitæ medio tempore, idest post alienationem usque ad litis contestationem: in actionem vero Paulianam omnes omnino & fructus & usuræ veniunt, percepti vel percipiendi, statim post alienationem ante judicium acceptum. Qua ratione §. *Non solum* L. *ult. ff. Quæ in fraudem*, quem de interdicto recte accipit, ut convincunt ipsa verba interdicti (*in bonis*) proposita *initio* L. 10. *ff. eodem*, conciliat cum §. 19. *Per hanc actionem, & sequenti* L. 10. quos §. de actione Pauliana intelligit. Et frustra Glossa atque interpretes specialem titulum interdicti fraudatorii requirunt, cum ipsa verba extent in *d.* L. 10. *initio*; & explicentur tam in *dicta* L. *ult. eodem tit.* quam in aliis quibusdam *ejusdem tit.* a Cujacio diligenter notatis ad *hanc* L. *nostram* 96. *ff. hoc tit.*

In §. vero 1. *d.* L. 96. confirmatur quod supra diximus, tutorem transigere pro pupillo posse, nec adversus hujusmodi transactionem restitui, quamvis postea eam improbare voluerit; nisi dolus tutoris argua-

guatur. Ad cujus §. speciem præmittendum, Magistratus Municipales, qui per fraudem, latam culpam aut levem tutores vel curatores dederunt, vel non exegerunt omnino satisdationem, *rem pupilli vel adolescentis salvam fore*, subsidiaria in factum actione teneri pupillo in id quod servari non potuit a tutoribus, fidejussoribus, vel hæredibus eorum, vel etiam ab iis quibus tutores alienaverint in fraudem pupilli vel adolescentis. Unde & subsidiaria dicta, quia excussis universis bonis eorum, de quibus diximus, & revocatis quæ in fraudem sunt alienata, postremo datur L. 1. 4. & 5. *Cod. de Magistratibus conveniendis*. In qua L. 5. introducta dicitur hæc actio ex Senatus-consulto, quod factum est auctore Trajano & ejus oratione præcedente, ut fieri solebat. Datur autem hæc actio non tantum pupillis vel minoribus, sed & eorum hæredibus adversus Magistratus Municipales, Duumviros aut defensores in provinciis, & Scribas in urbe, aut alios quos Prætor ad excutiendas facultates tutorum delegabat; nunquam autem adversus Magistratus populi Romani L. 1. §. 1. 2. & 3. *ff. de Magistrat. conveniend.* §. *Sciendum est autem Instit. de Satisdat. tutor. L.* 2. & 3. *ff. Rem pupilli vel adolescentis*, & L. *ult. Cod. de Magistratib. conveniend.*

Actio vero subsidiaria licet pœnalis in hæredes Magistratuum datur, non quidem ex ipsis verbis Senatus-consulti, quæ Magistratus tantum comprehendunt, sed ex Prudentum responsis & ex Principum constitutionibus §. *ult. Instit. de Satisdat.* Nec tamen temere & omni casu adversus hæredes Magistratuum, sed causa cognita, propter dolum vel culpam evidentem sive latam & dolo proximam, sicut nec adversus hæredes tutorum; licet ipsi Magistratus & ipsi tutores ex levi etiam culpa teneantur *L.* 4. & 6. *ff. de Magistrat. conveniend.* & *L.* 2. *Cod. eodem* & L. 1. *Cod. de Heredib. tutor.* ut tandem agnovit dominus Cujacius *lib.* 13. *Observat. cap.* 39. Quare in *nostra Lege* proponitur Magistratus per fraudem tutores dedisse, ut pupilla hæres Magistratus teneri intelligatur.

His cognitis finge: Pupilla Magistratui hæres extitit, qui per fraudem tutores dederat pupillo: cum adolescente qui tutores non recte dati antea fuerant transigunt, & quod conventum est pupillæ nomine numerant de suo; postea pupilla non probat hujusmodi transactionem. Quæritur quænam actio competat Tutoribus. Et primo quidem ait Papinianus liberatam fuisse pupillam, quamvis solutionem improbet: nec enim tantum volente debitore, sed etiam eo ignorante & invito ejus nomine solutio facta valet L. 23. 40. 53. & 91. *hoc tit.* Quare non dabitur indebiti repetitio adversus creditorem, qui & suum recepit, & præterea nomine veri creditoris L. 44. *ff. de Condict. indeb.* Cujacius *lib.* 8. *Observatio. cap.* 9. Et hoc est quod innuitur in hac Lege: *nec tutores adversus adolescentem actionem, nec utilem habebunt*, idest condictionem indebiti, actio specialiter hoc loco pro condictione indebiti, sicut & in L. 3. *ff. Ratam rem haberi*, quæ est ejusdem Papiniani. Si vero tutor vel quis alius solverit nomine proprio, per errorem scilicet facti se debere existimans, habebit indebiti condictionem L. 19. §. 1. *ff. de Condict. indebiti*, L. 5. *Cod. eodem*, & L. *Qui hominem* §. *ult. hoc tit.* Pupillæ tamen quæ liberata fuit, tutor imputabit agenti directo judicio

Ad L. 23. 40. 53. & 91. *Dig.*

judicio tutelæ, vel etiam poterit contrario judicio tutelæ tutor repetere L. 1. §. 4. *L. pen. & ult. ff. de Contraria tutela*. Si vero adolescens, cum quo tutor transegerat, restitutus fuerit adversus transactionem, omnia in pristinum statum revocabuntur, pecuniam refundere debebit tutori adolescens, *L.* 14. *Codice de Transactio.* vel ei condictio indebiti utilis adversus adolescentem dabitur; quia pariter adolescenti utilis actio in pupillum hæredem Magistratus restituetur. Sed utiles tantum actiones, quia per transactionem Aquiliana stipulatione præcedente & acceptilatione secuta directæ fuerant extinctæ *L.* 4. *ff. de Transactionibus*.

Quæ diximus, ad veros tutores & curatores pertinent: si quis autem cum non esset verus tutor vel curator, v. g. non datus vel nominatus utiliter, vel incapax tutelæ, ut in *L.* 1. *&* 4. *ff. de Testament. tutela L.* 1. §. 2. *ff. De eo qui pro tutore*, *& Cod. tit. eodem*: Si quis, inquam, non sit verus tutor vel curator, administraverit tamen; adversus istos vel actio protutelæ, vel utilis negotiorum gestorum dabitur, & vicissim agent contraria. Quia tamen non sunt veri tutores vel curatores, agentes nomine pupilli vel adolescentis, poterunt exceptione summoveri *L.* 2. *Cod. Qui pro tutore*: itemque si eis solvant debitores pupilli vel adolescentis, non liberantur, quia verum est eis non fuisse concessam administrationem *L.* 28. *ff. hoc tit.* Duo tantum casus excipiuntur, si nummi salvi sint penes pupillum vel adolescentem; vel si locupletiores facti fuerint: tunc enim iterum agentes ex jure summo, repellentur æquitatis ratione per exceptionem doli *L.* 4. §. *Si quis non tutor ff. De doli mali & metus exceptio*

Ad L. 28 Dig.

Superest pars ultima, quæ ad pupillum pertinet, de quo in §. *ult. L.* 14. *in L.* 15. 44. §. 1. *L.* 47. 66. 95. §. *Aditio*, *&* §. *Naturalis hoc tit.* Observandum pupillum auctoritate tutoris tantum Jure Civili obligari posse (in quo pupillus differt a furioso, qui ne quidem curatoris auctoritate civiliter vel naturaliter obligatur) itemque hæreditatem adire, vel possessionem acquirere: quæ omnia in eo duntaxat pupillo qui major est infante, benigne admittuntur, *Instit. de Auctorit. tutor. L.* 6 *ff. eodem L.* 1. §. *Furiosum*, *& seq. & L.* 43. *ff. de Obligat.* §. *Furiosus & seq. Instit. de Inutil. stipulat. L.* 9. *ff. de Acquir. hæredit.* L. 70. *ff. de Verb. oblig.* Item pupillus civiliter non obligatur sine tutore, ad differentiam puberis qui sine curatore recte obligatur, L. *Puberes ff. de Verbor. oblig.* Alienare quoque sine tutoris auctoritate non potest: sed absque ea alios sibi obligare, & meliorem conditionem suam facere potest: dummodo hujusmodi lucrum non sit periculis obnoxium, ut infra diximus, *dicto tit. de Auctoritate Instit. &* L. 9. *ff. eodem*, §. *penult. & ult. Instit. Quibus alienare licet vel non.* L. 19. §. 1. *ff. de Reb. creditis*, L. 15. §. *ult. &* L. 15. *hoc tit.*

Ad § ult. L. 14. L. 15. 44. §. 1. & 66. Dig.

Quod si pupillus cum alio contraxerit, & factus locupletior fuerit, quamvis Jure Civili non obligetur, nec civilis obligatio nec actio nascatur; æquitatis tamen vinculum subest, ex quo naturalis obligatio dabitur: cujus hi sunt effectus, exceptio doli, deductio, retentio, compensatio, species quædam confusionis quæ pro solutione cedit; impedit etiam condictionem indebiti L. *Naturales ff. de Oblig. & act.* L. 25. *ff. de Condi-*

dictione indebiti, L. 6. *ff. de Compensat.* L. 4. §. 4. *&* 23. *ff. de Doli mali & metus except. &* L. 95. §. *Aditio*, *&* §. *Naturalis ff. hoc tit.* Et hoc ex Jure Civili obtinet. Postea vero ex *Constitutione* Divi Pii inductum est, ut quoties pupillus vel ex contractu vel quasi ex contractu locupletior fuerit, obligatio civilis inducatur, & concedantur utiles actiones ex contractu vel quasi contractu præcedenti adversus pupillum: cujus *Constitutionis* Divi Pii mentio extat in L. 3. §. *Pupillus ff. de Negot. gest.* L. 3. *ff. Commodati*, *&* L. 5. *ff. de Auctorit. & consensu tutor.* Et ad eam Constitutionem referendum, quod sæpe in Jure dicitur, civiliter pupillum obligari & adversus eum dari actionem, quoties factus locupletior fuerit ex contractu vel quasi ex contractu, L. 6. & 37. *ff. de Negot. gest.* L. 2. *Cod. eodem* L. 9. *& seq. ff. de Institoria act. &* L. *Furiosus ff. de Obligatio. & act.* Ante *Constitutionem* Divi Pii naturalis tantum obligatio nascebatur, nec dabatur ulla actio etiam utilis.

Verissimum autem est, quod sæpe notavit Dominus Cujacius, sæpissime Jurisconsultos tractare quæstionem de obligatione pupilli secundum Jus vetus, periode ac si Constitutio Divi Pii non intervenisset, in L. 127. *ff. de Verb. oblig.* L. 1. *ff. de Novatio.* L. 47. §. 1. *ff. hoc tit.* imo & Justinianus in §. *Præterea*, *quibus modis tollitur obligatio Instit.* ubi ait nullam esse obligationem, intellige secundum Jus vetus Civile, nullam esse obligationem civilem; sed naturalem tantum, quam necessario subintelligit illo loco Cujacius, quæ non appellatur proprie obligatio. Quod si pupillus locupletior factus non fuerit, nec civiliter nec naturaliter obligabitur: imo si quid solverit, postea etiam pubes condicere poterit & repetere L. 59. *ff. de Oblig. &* L. 41. *ff. de Condict. indebiti*. Quare quoties in Jure pupillus debere vel obligari dicitur, intelligere debemus secundum Juris ordinem, locupletiorem fuisse factum, *v. g. d.* L. 1. *ff. de Novatio. & in dicto* §. *penult. Præterea Inst. Quibus modis tollitur obligatio.* Intellige ex justa causa præcedenti promisisse stipulanti, puta pro suo creditore promisisse, & utiliter rem suam gessisse, sicut in L. 30. §. 1. *ff. de Pactis*, & in L. 7. *Item si filiusf. ff. de SC. Macedon. in* §. *penult.* Eadem enim est conditio pupilli & filiifam. quibus creditur pecunia: neuter enim tenetur, nisi utiliter in rem suam impenderit L. 44. §. 1. *&* L. 47. *ff. hoc tit.* Itemque L. 127. *ff. de Verb. oblig.* ponendum est pupillum, qui promisit solum se daturum, aliquid prius accepisse, & in rem suam vertisse, ab eo qui promisit. Idemque subaudiendum in L. 64. *ff. ad Trebellianum*, & in L. 44. §. 1. *ff. hoc tit.*

Ex regulis, quas præmisimus, constat non recte solvi pupillo sine tutoris auctoritate: nec eadem ratione solvere potest, vel suum debitorem delegare; omnino vero novare non potest ullo casu: periculosa enim nimis est mutatio debitoris, sicut & aditio hæreditatis, quamvis sub specie lucri blandiantur L. 20. *ff. de Novatio.* §. *Neque Instit. de Auctorit. tutor.* Si tamen pupillus nummos sibi solutos salvos habeat, vel locupletior factus sit, iterum agens per exceptionem doli repelletur §. *ult. Instit. Quibus alienare licet*, L. 15. *ff. hoc tit.* L. *Apud* §. 4. *ff. de Doli mali & metus exceptione.* Si vero male consumpserit, aut amiserit nummos pupillus, iterum debitor solvere compelletur, nec dabitur exceptio doli *dicto* §. *ult.* Solvere vero pupillus, sicut nec credere pecuniam, sine tutoris aucto-

auctoritate non potest: nullius enim rei alienatio sine tutoris auctoritate ei permissa est. Itaque nummi soluti si extent penes creditorem, vindicabuntur, si mala fide consumpti sint, eo casu dolus pro possessione habebitur, & extare fingimus licet consumptos: quare actio ad exhibendum dabitur adversus eum qui pecuniam accepit a pupillo sive ex causa mutui sive ex causa solutionis, §. *Ideoque si mutuam Instit. Quibus alienare licet*, L. 11. §. *ult.* & L. 19. §. 1. *ff. de Reb. creditis*. Quod si bona fide consumpserit ille qui accepit; si causa solutionis, liberatio sequetur; si ex causa mutui, quasi ex mutuo condictio dabitur, & nummi revera fient accipientis per consumptionem, qui per numerationem non uerant ejus facti L. 14. §. *ult. hoc tit.* & *d.* L. 19. §. 1. *ff. de Reb. credit.* ad quam omnino vide Cujacium in *Recitationibus ad Jul.* ubi tria exigit; ut bona fide accepta sit pecunia; bona fide consumpta; & praeterea versa in rem accipientis, quo adversus accipientem condictio ex mutuo vel quasi mutuo competat, aut liberatio sequatur: nam ut diximus, pecunia mala fide accepta, vel consumpta, datur actio ad exhibendum. Adde §. *ult. Instit. Quibus alienare licet*, L. *Si a furioso ff. de Oblig. & actio.* & L. 12. *ff. de Rebus creditis*, & omnino Theophilum ad *d. tit. Instit. Quibus alienare licet*. Consumpti autem nummi censentur, non solum si desierint esse in rerum natura, sed etiam si qui accepit vel eos solverit, vel impenderit in suos usus L. 13. *ff. de Reb. credit.* vel si ita permixti sint, ut dignosci non possint.

Et haec de obligatione pupilli, & legibus super ea materia in speciem pugnantibus diximus secundum Dominum Cujacium, qui licet fateatur desperasse aliquando de conciliatione illarum in *Posthumis ad Papinianum* in explicatione §. *Heres ad* L. 23. *ff. Quando dies legati vel fideicom.* in *prioribus Notis ad* §. *Praeterea Instit. Quibus modis toll. oblig.* constanter tamen permansit postea in explicatione & distinctionibus, quas plenius explanare coepit ad L. 127. *ff. de Verb. oblig.* ad quam nos remittit ad L. 6. *ff. eodem*: nec in eodem *commentario* vir summus secum pugnavit, ut male quidam notavit; semper vero praestitit. Vide eundem ad L. 4. *ff. de Usuris in fine*, & *ad dictum* §. *Aditio* L. 95. *hoc tit.* & *ad* L. 59. *ff. de Obligat. & act.* In qua merito refellit eorum solutionem, qui distinguebant inter pupillum pubertati proximum, quem ajebant obligari naturaliter, etsi locupletior factus non fuisset, & inter pupillum infantem vel infanti proximum, quem ne quidem naturaliter obligari dicebant. Haec enim distinctio nulla Juris auctoritate nititur in contractibus vel quasi contractibus, sed in delictis tantum, in quibus pubertati proximus sicut doli, ita & delicti capax intelligitur. Vide Cujacium *lib.* 17. *Observatio. cap.* 4. & *lib.* 3. *Notatorum Mercatoris cap.* 21. 22. & 23. Et prudenter Glossa ad L. 1. *ff. de Novatio.* agnovit non sufficere, ut pupillus naturaliter obligetur eum esse pubertati proximum: quod etiam nulla Juris auctoritate probari posse in hoc articulo supra diximus; sed praeterea requiri locupletiorem esse factum, quoniam aequitas juris naturalis haec est, ne quis cum alterius damno fiat locupletior: nec defectus aetatis ad lucrum captandum, nec subtilitas juris prodesse debet.

Locupletiorem autem aliquem fieri, vel aliquid pervenisse, & in rem nostram versum, ambiguum esse potest. Prima ratione pervenisse, versum in

in rem, locupletiorem factum esse ab initio & primo momento dicimus, quando nempe postea desiit res esse versa, desiit locupletior fuisse; v. g. re vel pecunia consumpta & deperdita, vel extincta ante litem contestatam: secunda ratione & cum effectu pervenisse, cum durat res versa & adhuc locupletiores sumus vel tempore litis contestatæ, vel etiam rei judicatæ. Quæ distinctio frequens est in Jure *L. 23. ff. de Petitione hæredit. & L. 36. §. penult. ff. eodem, & L. 2. §. Pervenisse versiculo illud tenendum ff. de Hered. vel actio vendita*, Brissonius in *lib. de Verb. signific.* in verbo *pervenire* exempla suppeditat. In hac autem quæstione nostra regulariter locupletiorem pupillum desideramus tempore contestatæ litis; utrum eo tempore quo petit, pecuniam vel ex ea aliquid habeat *L. 4. ff. de Exceptio. L. Litis contestatæ, L. 37. ff. de Negot. gest.* quæ quæstio accuratius expenditur loco valde notando in *L. In pupillo 47. ff. hoc tit.* cum qua conjungi debet L. 11. *Verum §. 4. Item non restituetur & seq. juncta* L. 34. *ff. de Minorib.* quibus etiam confirmatur, quod & innuitur in *d.* L. 47. pupillum cum minore esse conjungendum. *Ad L. 47. Dig.*

Ex locis illis omnibus conficimus pupillum aut minores etiam locupletiores fingi & intelligi tempore litis contestatæ, si semel & ab initio necessariam sibi rem emerint etiam ante litem contestatam, quam rem scilicet erant empturi de suo, v. g. servum necessarium emerint, domum refecerint, creditorem adversus quem nulla exceptione tuti erant dimiserint. Nec eventus nocet, si forte ante contestationem litis fugerit servus vel decesserit, ædes incendio consumptæ, prædia casmate perierint. Eademque ratione cessat SC. Macedonianum, si filiusfam. in res necessarias mutuam pecuniam acceperit, licet illam rem necessariam ex illa pecunia comparatam postea perdiderit *L. Sed Julianus §. 12. & seqq. ff. de SC. Macedoniano, & d.* L. 47. *in fine*, in qua Scævolæ auctoritate utitur Marcianus, qui fictione & colore quæsito hoc primum induxisse videtur, quasi locupletior factus sit, & maneat etiam tempore litis contestatæ illis casibus, quibus res necessaria emitur. Ait, *quasi locupletior*: & deinde; *hoc ipso quod non est pauperior factus, locupletior est*. Retro agit nempe & retroducit tempus litis contestatæ ad id tempus, quo auctæ fuerunt facultates pupilli: & ita habita ratione prioris patrimonii, non videtur pauperior factus, qui id postea amisit quod ante patrimonium auxerat, facto v. g. vel qua alia ratione, quam & diligentissimus quisque paterfam. vitare non poterat. Qua ratione nixus Scævola hanc fictionem subtiliter induxit, ut qui semel eo, quem diximus, modo factus sit locupletior, eum non desinere locupletiorem esse fingamus, & durare quod versum est semel intelligamus etiam usque ad tempus litis contestatæ. Et ita hunc locum doctissimus Cujacius explicavit ad Juliani *Edictum* in explicatione *L. 6. ff. de Negot. gest.*

Notandum aliquando eum etiam, qui rem necessariam emit, quam de sua pecunia erat empturus, non teneri tamen, nisi etiam tempore litis contestatæ sit locupletior revera, ut in *L. Si sponsus §. Concessa, & L. Quod autem §. 1. ff. de Donat. inter vir. & uxor.* in quæstione nempe de donationibus inter virum & uxorem. Ratio differentiæ, quia hujusmodi donationes, quamvis sint prohibitæ; jus tamen illud non amare neque a-

spere, & tanquam inter infestos tractatur. Aliquando etiam non inspicimus tempus litis contestatæ, sed rei judicatæ; adeo ut si medio tempore post litem contestatam ante sententiam desierit quis esse locupletior, non teneatur: quod in omnibus bonæ fidei judiciis generaliter servatur, in quibus ipsa formula actionis, intentio litis & æstimatio confertur in tempus rei judicatæ, in id quod ex bona fide & ex æquo Judex arbitrabitur L. 36. §. *penult. ff. de Petitio. hered. L.* 3. §. *In hac, ff. Commodati, & L. Rei judicatæ ff. Soluto matri*. Contra in strictis judiciis tempus præsens quo agitur & petitur, tempus litis contestatæ spectatur; postea nihil Judici permittitur.

Superest celebris quæstio, quis probare teneatur pupillum vel minorem locupletiorem fuisse factum; sufficiatne minori vel pupillo denegare se esse locupletiorem factum: emptor vero vel creditor onerabunturne semper & omni casu hujusmodi probationibus, pupillos factos fuisse locupletiores, & in rem eorum fuisse versum. Quæ quæstio tractari solet ad L. 10. & 16. *Cod. de Prædiis & aliis rebus minor*. Et quidem aperte in L. 14. & L. 16. emptor oneratur probatione, & in L. *Sine herede* 32. §. *Interposito ff. de Administ. & peric. tut. & in* L. 1. & 2. *Cod. Si adversus creditorem*. Certe in *d. Legibus* 1. & 2. *Cod. Si adversus creditorem* pecunia proponitur credita patrifamilias minori; qui contractus valet: Senatus consultum enim Macedonianum locum tantum habere in filiosam. notissimum est. In *dicto* vero §. *Interposito* repetendum ex jure communi & ponendum, ex decreto Prætoris vel Præsidis, & præterea Curatore auctore, adolescentem sive minorem fundum vendidisse; alioquin nullus fuisset contractus; nec opus esset restitutione, de qua nominatim tamen fit mentio in *d.* §. *Interposito*: frustra enim extraordinarium restitutionis auxilium desideraretur, si contractus ipso jure nullus fuisset.

Ex quibus manifeste refellitur communis solutio Glossæ & Interpretum ad *d. L.* 1. *Cod. de prædiis & aliis reb.* ubi male distinguunt inter contractum ipso jure nullum, & inter contractum qui valet, sed tamen propter fraudem, idest damnum quod passus est minor vel pupillus, rescindi potest per restitutionem in integrum: quo casu ajunt falso, pupillum vel minorem onerari probatione. Minus etiam probabilis est illa solutio, ut si solutum sit tutori vel curatori, emptor vel creditor probare teneatur locupletiorem factum fuisse minorem vel pupillum: si vero ipsi pupillo vel adolescenti numerata fuerit pecunia, pupillus vel minor teneatur probare, se consumpsisse & dissipasse pecuniam. Probabilius enim multo esset, emptorem vel creditorem qui Tutori vel Curatori numerat, prudentius & cautius egisse, quam qui pupillo vel adolescenti plerumque perdituro numeravit: & eo casu revera potius erat exonerandus probatione.

Sed indistincte dicamus, omni casu præsumptione Juris adjuvandum esse pupillum vel adolescentem. Præsumptio enim juris sumitur ex eo quod plerumque fit: rarissime autem contingit pupillum vel adolescentem utiliter pecuniam in rem suam vertere: rejicienda est itaque omni casu probatio in emptorem vel creditorem, qui sibi imputare debet, cur non præstiterit summam diligentiam. Nec sufficit si credat in res necessarias, sed præterea curam suscipere debet, utrum in hanc rem necessariam pecu-

pecunia fuerit erogata, ut doctissime Cujacius ad *d.* §. *Interposito d. L. 32. ff. de Administrat. tutor.* in Recitationibus ad *Modestini Responsa, & ad Africanum in explicatione Leg. ult. ff. de Exercitoria actio. & ad Leg. 17. ff. de in rem verso*. Quare merito delenda quæ Glossa & Interpretes, & ex iis postremo Gothofredus ad L. 1. *Cod. de Prædiis & aliis reb. minorum*. Melius quidem Molinæus in *Quæstione 37. numero 279. 280. & 281. in tractatu contractuum & usurarum* rejicit distinctionem, an contractus valeat ipso jure, vel rescindatur per restitutionem in integrum: peccat vero in eo quod contra juris præsumptionem & *Leges supra citatas* certis casibus onerat probatione minorem.

Postquam vero probaverit emptor vel creditor pupillum vel minorem locupletiores fuisse factos ex sua pecunia, restitutio in integrum erit reciproca: & sicut rem venditam recipit minor cum fructibus; ita & emptor recipiet pretium & usuras, ex quibus nempe locupletior factus fuerit minor vel pupillus, vel fructus cum usuris compensabuntur L. 24. *Quod si minor*, §. *Restitutio* (ad quam vide D. Cujacium) L. 27. §. *Prædium*, L. *Tutor* 47. *ff. de Minorib. & d.* L. 32. §. *Interposito ff. de Administ. & peric. tutor.* Paulus *lib. 1. Sententiarum* §. 7. *tit. de Minoribus*, & ibi Cujacius.

Ad exemplum minorum Civitas vel Ecclesia, quæ passim in Jure Civili & Canonico minorum jure uti dicitur, non tenebuntur ex contractibus Administratorum Civitatis vel Ecclesiæ, nisi creditores non tantum in necessarios usus crediderint, sed simul etiam probent in eos usus erogatam fuisse pecuniam, in utilitatem Civitatis vel Ecclesiæ L. *Civitas ff. de Reb. credit. Novel.* 120. *cap. 6. in fine*: sicut & non sufficit credi filiofam. vel servo in rem patris vel domini; nisi simul creditor probet in rem necessariam vel utilem versum. Excipiuntur tantum institores & exercitores, in quibus aliqua diligentia creditoris quidem requiritur L. *ult. ff. de Exercitoria actio.* sed non tanta. In reliquis casibus supra numeratis creditoris credulitas, vel calliditas debitoris qui decepit creditorem, minori Civitati, Ecclesiæ, patri vel domino non debuit nocere: curiosus enim debuit esse creditor quo vertatur L. 3. *initio &* §. 4. L. 5. & 18. *ff. de In rem verso*. Paulus *lib. 2. Sententiarum tit. 9.*

Ubi vero semel fuerit utiliter versum, licet non duret versum, v. g si servi moriantur, ædes refectæ incendio pereant, etiam ante litem contestatam; quod supra probavimus in explicatione L. 47. *ff. hoc tit.* & confirmatur valde L. 3. §. *Nec non & seqq. ff. de in rem verso*: sufficit utiliter cœptum, & sine vitio & culpa ejus, qui pecuniam ad id credidit, vel cujus pecunia res comparata fuerit, postea rem periisse quocunque tempore, etiam ut diximus ante litem contestatam, *arg.* L. 10. 12. *in fine &* 22. *ff. de Negot. gest.* Et eleganter eam in rem Cujacius in *Tractatibus ad Africanum ad* L. 17. *ff. de in rem verso*: *Non possit quidquam durare semper: durat versum satis, quod durat in extremam usque fortunam*. Proindeque eo colore quasi duraret adhuc tempore litis contestatæ, competunt actiones; quamvis in rei veritate eo tempore quo agitur, certissimum sit rem periisse, & pauperiorem esse, nec profuisse rationibus pupilli, minoris, civitatis, vel Ecclesiæ. In Procuratoribus vero cum mandato & voluntate nostra

constitutis non adeo curiosus esse debet creditor : sufficit sicut in institore & exercitore diximus, eo tempore quo ei creditur, in necessarios usus sumptam fuisse pecuniam: & dominus qui mandavit, tenebitur creditori *L. Liberto, ff. de Negot. gest.* Vide D. Cujacium *locis supra citatis ad Africanum*.

AD LEGES IX. §. 1. XVI. XVII. XXVII. XXIX. §. 1. XXX. XXXI. XXXIII. XXXIV. initio & §. 1. 2. & 10. XXXVIII. §. 3. XXXIX. XLV. initio, XLVI. L. LV. LVII. LXVII. LXIX. LXX. LXXII. LXXIV. LXXXV. XCII. XCIV. XCVIII. initio & §. 6. & 8. XCIX. & CII. ff. & ad Leg. VI. X. XVII. XX. XXI. XXIII. & XXIV. Cod. hoc tit. & ad Novellam IV. cap. 3. & Nov. CXX. cap. 6.

Superiori tractatu docuimus quis solvere, & cui recte solvi possit. Et quidem non tantum debitor qui obligatione, idest juris vinculo adstrictus est, sed etiam quilibet pro eo etiam invito & ignorante solvere potest liberationis gratia. At alteri solvi quam vero creditori absque ejus mandato vel ratihabitione non potest, nisi iis casibus, quos supra explicavimus. Aliud etiam similiter quam id quod deductum est in obligationem, non potest solvi invito creditori: formam enim quam initio accepit contractus, in solutione facienda observare debemus. Consentiente tamen & volente creditore aliud pro alio solvendo liberatio contingit.

In prima parte itaque hujus tractatus explicabimus hanc Juris definitionem, & quæstiones quæ in eam incidunt ejusque exceptiones. Et quidem regula statim proponitur *initio tit. Quib. mod. toll. oblig.* & ad eam pertinent L. 20. 27. 33. *initio* 38. §. 3. 46. 50. 55. 59. 60. 61. 69. 72. *initio* & §. 4. & 5. 80. 85. 92. 94. *initio* 98. *initio* & §. *Aream* & 99. & *in Cod. eodem tit.* L. 16. 17. 20. & 24. & *caput.* 3. *Novellæ* 4.

In secunda parte tractabimus, an ejus rei, quæ pro parte debetur, solutione facta vel volenti vel nolenti creditori liberatio pro parte contingat, & quis sit solutionis particularis effectus: de qua quæstione tractatur in L. 9. §. 1. & *seq.* 19. 24. §. 1. *ff. hoc tit.* & L. 6. & 21. *Cod. eodem.*

In tertia, quid si vel una vel plures res simul aut pure vel sub alternatione debeantur? De qua quæritur in L. 28. 33. 34. *initio* & §. 1. 2. & 10. L. 37. *initio* 67. §. 2. 72. §. 4. & *seqq.* & 95.

Sed ut ad primam redeamus, prima hæc regula notanda, liberationem regulariter contingere, quoties res soluta vel a me vel ab alio quolibet, nomine tamen meo, fuerit facta accipientis creditoris pro solido; sive res ipsa quæ debetur, sive alia res pro alia volenti creditori soluta fuerit L. 17. 46. 55. & 85. *hoc tit.* Fieri vero accipientis est ita dominium in creditorem transferri & possessionem, ut nullo casu avocari vel auferri possit, non tantum per evictionem, sed etiam per actionem hypothecariam a creditoribus, quibus pignoris persequendi gratia adversus quemlibet possessorem competit actio Serviana vel quasi Serviana, idest hypothecaria; quamvis dominium, imo & civilis possessio pignoris remaneat penes debitorem. Jus enim dominii & pignoris in eodem corpore & re

re simul consistere possunt; diversa quippe est intentio dominii & pignoris L. 1. §. 2. *ff. de Pignoribus*: Ideo in re pignerata jus habet creditor, quod persequi potest non tantum adversus debitorem, sed etiam adversus quemlibet possessorem. Nec interest utrum pignus re fuerit constitutum, idest per traditionem; aut per stipulationem res obligata fuerit; vel sine traditione & stipulatione, ut in L. *Solutam* 49. *ff. hoc tit.* nuda nimirum conventione & nudo pacto. Prætor enim etiam ex hujusmodi pacto actionem hypothecariam in rem dedit, quæ a Servio Prætore primum introducta est. Nam Jure Civili ex nudo pacto non datur actio §. *Item Serviana & seq. Instit. de Actio.* Prætor autem in omnibus speciebus pignoris, sive per traditionem, sive per stipulationem, sive nudo pacto pignus constitutum fuerit, concedit actionem hypothecariam: quare inter pignus & hypothecam, quantum ad hypothecariam actionem sive formulam, nulla est differentia: & quod in L. 5. §. 1. *ff. de Pignoribus* Marcianus ait *hypothecam a pignore sono tantum nominis differre*, non autem vi & significatione, restringendum est, ut inscriptio docet, sicut & L. 49. *hoc tit.* ad hypothecariam actionem.

Si tamen postea dissoluta fuerit pignoris obligatio, ex eventu liberatio continget, eo nempe casu quo certum erit rem perfecte remansuram apud creditorem L. 69. & 98. *ff. hoc tit.* Alioquin pristina obligatio & actio durat, & iterum liberum est agere creditori perinde ac si nihil solutum fuisset. Et quidem statim sine dilatione agere potest; nec expectabit eventum L. 27. 33. 38. §. 3. 69. & 98. *hoc tit.* Quia in re observanda differentia, quæ est inter obligationem ex causa stipulationis, legati, fideicommissi, noxæ deditionis aut reliquis causis similibus, ex quibus debitor obligatur ad dandum, idest transferendum dominium, & inter emptionem & venditionem. Nam emptori, etsi rem alienam vel pignori obligatam acceperit, non licet statim agere adversus venditorem, etiamsi quis comminetur controversiam se moturum; nisi in ipso contractus initio, vel in ipsa traditione immineat evictio L. 24. & 74. §. *Mota ff. de Evictio.* L. 3. & 24. *Cod. eodem*. Sufficit enim emptori habere licere possessionem vacuam rei venditæ; non autem tenetur venditor præcise rei dominium transferre. Aliud in obligationibus dandi, in quibus tenetur debitor rei solutæ facere dominum creditorem, non simpliciter, sed perfecte & in plenum. Quamdiu enim deest aliquid juri rei solutæ, adhuc ipsa res peti potest etiam post traditionem & ante evictionem: liberatio enim non aliter continget, nisi pro solido res fiat accipientis L. 35. *hoc tit.* quamdiu aliquid deest, durat obligatio pristina; sive ex contractibus sive ex testamentis & aliis ultimis voluntatibus debeatur *d.* L. 27. *ff. de Solutio.* Ubi hæc verba (*Si jus quoddam cautionis supererit*) confirmant quæ diximus, ante evictionem etiam peti posse cautionem de evictione, & peti posse pristina actione vel ex testamento, vel ex stipulatu aut condictione certi, si res certa obligatione contineatur, ut in hac specie: Aio te mihi debere dare fundum Tusculanum vel Stichum servum L. *Julianus* 131. *ff. de Verb. obligatione*, juncta L. 33. *hoc tit.* & in utraque recte Glossa notat fundum certum & specialem fuisse promissum: generalis enim stipulatio fundi, vel legatum non adjecto proprio nomine fundi, non valet, quia non constat quid actum sit L. 115. *Ita stipulatus ff. de Verbor. oblig.* con-

Ad L. 27. 33. 38. §. 3. Dig.

contra hominis stipulatio, vel legatum valet, quia hominis & servi certum pretium & certa definitio constitui potest; domus vel fundi incerta, quia pendet ex arbitrio singulorum.

Quod diximus, evictionis, conditionis vel temporis eventum non esse expectandum stipulatori, confirmat aperte L. 38. §. 3. *hoc tit.* quæ de statulibero loquitur. Statuliberi sunt qui statutam & destinatam in tempus vel conditionem libertatem habent, sive directam sive fideicommissariam L. 1. *ff. de Statuliberis*, Ulpianus in *regulis eodem tit.* Statuliberi autem causa vel conditio immutabilis est, & statuliber secum eam trahit *L. 9. ff. de Statuliberis*: medio vero tempore, quo in pendenti est conditio, vel tempus expectatur, statuliber servus manet *d. L. 9.* & Ulpianus *d. tit.* In hac vero quæstione nostra distinguendum: vel generaliter homo est promissus; vel certus homo, Stichus v. g. vel Pamphilus. Si generaliter, solutione statuliberi liberatio non continget, quia non solutus est qui debetur; manet integra obligatio & actio, ex qua alius homo poterit peti a promissore: & per consequens etiam condictio indebiti competet promissori adversus stipulatorem, ut repetat statuliberum. Sed exigimus ut bona fide & ignorans solverit statuliberum; v. g. eo nesciente ab alio statulibertas obvenerat: si enim sciens statuliberum, eum nihilominus solverit, non habet condictionem indebiti: nam qui sciens indebitum solvit, non repetit; nisi nominatim vel convenerit vel saltem actum fuerit inter utrumque, si apparuerit indebitum ut reddatur *L. 2. & 50. ff. de Condictione indebiti L. 9. Cod. eodem, & L. 7. Cod. de Condictione ob causam*.

Breviter qui hominem dare tenetur, quamvis ejus arbitrio relinquatur quem servum velit solvere, etiam vilissimum servulum; tenetur tamen eum solvere, quem creditor si velit ad libertatem perducere possit: itaque non statuliberum, præterea non vulneratum, non veneno imbutum, non noxæ obnoxium *L. 72. §. ult. & L. 33. §. 1.* non in quo usufructus est alienus *L. 69. hoc tit.* Et quidem hominis generaliter debiti exemplum extat in *d.* L. 33. *hoc tit. & in* L. 38. §. 3. cui opponitur L. 92. *hoc tit. &* L. 9. §. *pen. ff. de Statuliberis*. Verum species est diversa: ibi certus homo, Stichus puta aut Pamphilus debetur: itaque qualiscunque fuerit, statuliber, vulneratus, noxæ obnoxius, deterior factus citra factum aut culpam debitoris, liberatio contingit; & per consequens cessat condictio indebiti, quia solvisti eum quem debebas; nec alius peti poterit a creditore: hic enim servus specialiter debetur tantum. Quinimo si moriatur, vel manumittatur a domino ante solutionem sine facto debitoris, obligatio tota extinguitur.

Ad L. 69. 72. §. ult. & 92. Dig.

Obstat magis L. *Neratius 63. ff. de Condictione indebiti*, in qua casus singularis & paradoxum quoddam contra omnes Juris regulas refertur: qui certum hominem debet, Stichum v. g. vel Pamphilum, statuliberum eum dedit: dicitur non liberari, nec tamen condicere posse statuliberum tanquam indebitum, atqui debitum Stichum dederat; sed in plenum non fecit eum stipulatoris, ideoque non liberatur: non condicit etiam quia debebat illi hunc servum, non alium. Sed supplendum, ut recte Cujacius, illum ipsum servum fuisse factum statuliberum

rum a debitore: quare ſcienti & doloſe ſolventi debitori denegatur condictio indebiti. Ex æquitate tamen debitor per exceptionem doli recipiet Stichum; v. g. ſtipulatori iterum agenti adverſus debitorem, & petenti æſtimationem Stichi ſtatuliberi, quanti ſcilicet fuerit antequam ipſi ſtatulibertas data fuiſſet, exceptionem doli objiciet, niſi ſibi reſtituatur Stichus: quod confirmat L. 50. *Si cum aurum ff. hoc tit.* in cujus ſpecie, pro auro quod debet, ſciens æs, Corinthium v. g. quod ad auri ſpeciem proxime accedit, ſolvit debitor: non liberabitur, quia res alia pro alia nolenti vel ignoranti ſolvi non poteſt: non tamen condicet indebitum, quia cum ex æquitate naturali proficiſcatur condictio indebiti, indignus videtur illo beneficio qui ſciens fallit. Itaque creditor ex priſtina obligatione iterum petet aurum; ſed æquitatis majoris ratione (plures enim ſunt æquitatis gradus, ut in eleganti ſpecie L. *Bona fides ff. Depoſiti*) debitor per exceptionem doli recipiet illud æs, L. *Eleganter* §. 1. *ff. de Pignerat. act.* & L. 94. & 99. *ff. hoc tit.* Ex quibus apparet ſive reprobi nummi, ſive alieni fuerint ſoluti, non contingere liberationem; reſtituendos tamen eſſe a creditore reprobos nummos, ærosos ut in L. 102. *ff. hoc tit.* adroſos, ſive attonſos, lacunoſos, per exceptionem ſcilicet doli. Nec diſtinguimus utrum ſciens vel ignorans debitor ſolverit. *Ad L. 50. 94. 99. 102. Dig.*

Notavimus etiam regulariter ab iis, qui ſolutione facta non liberantur, rem datam aut ſolutam, quia non profecit ad ſolutionem nec liberationem, propter quam obtinendam ſolutio facta ſit, repeti poſſe condictione indebiti, vel condictione propter cauſam & ob rem dati, re vel cauſa non ſecuta: ſicut vice verſa ſi ſequatur ſolutionem liberatio, ceſſat condictio indebiti vel ob rem dati L. 26. §. *Qui filiof.* & §. *Si decem*, L. 32. §. 1. *ff. de Condictione indebiti*, & L. 34. *Qui hominem* §. *ult. ff. hoc tit.*

Quod ſi quis ſciens ſolvat indebitum mala fide & doloſe, ideo non habet actionem ſive condictionem indebiti, quia præſumitur donaſſe; habet tamen exceptionem: nam hujuſmodi præſumptio & ſubtilitas, vel potius fictio juris per exceptionem doli removebitur; quoniam ſemper veritas præſumptionem excludit: verum eſt autem eum qui habuit animum ſolvendi, non cogitaſſe de donatione *d.* L. 50. *hoc tit.* & *d. L. Eleganter* §. 1. *ff. de Pignerat. actio.* Quare prudenter Cujacius ad L. *Neratius* 62. *de Condictione indebiti* ſupplendum eſſe vult ſupereſſe ultimum Juris auxilium, ideſt doli exceptionem. Simili ratione quamvis in §. *Certe illud Inſtit. de Rerum diviſione* dicatur ei, qui ſciens in alieno ſolo ædificaverit, denegari exceptionem doli, ut recipiat impenſas & ſumptus, & ei poſſe objici a domino, quod temere & ſciens in alieno ædificaverit: benignius tamen eſt etiam malæ fidei poſſeſſori ſollicito de damno eo uſque ſuccurri, quatenus dominus ſoli locupletior factus eſt, vel qua alia ratione, quæ non noceat domino. Nec enim malitiis indulgendum L. *Plane ff. de Petitione hæredit.* L. *Julianus* 57. *ff. de Rei vindic.* & prævalere debet æquitas naturalis, quæ doli exceptionem induxit; ne ſcilicet dolus ſuus cuilibet per occaſionem juris civilis proſit contra naturalem æquitatem L. 1. §. 1. *ff. de Doli mali & metus except.*

Ita-

Itaque si solvatur servus statuliber, aut vulneratus, vel veneno imbutus, pecunia reproba, falsa vel excisa; restituenda sunt illa omnia debitori, quando iterum solvere compellitur. Nam & ipsi nummi reprobi vel falsi ad aliquid utiles esse poterunt; puta vendi alicui Collybistæ possunt: & olim peregrini nummi erant in merce, Volusius Metianus in eleganti *lib. de Asse:* quod mirum videtur, ut nummus qui est omnium rerum mensura, in mercem convertatur, Brissonius L. 1. *cap.* 8.

Verum ut in quæstione de pecunia consistamus; alienæ, sacræ, reprobæ, ærosæ, vel adrosæ solutio non liberat debitorem *Legibus supra citatis:* quare in *L. certa ff. de Reb. creditis* quindecim proba recte dari stipulatur creditor, & in L. *Titius* 24. *ff. de Constituta pecunia* probos reddi: & contra reprobi nummi in L. *Eleganter* §. 1. *ff. de Pignerat. actio.* Quod ut plane intelligamus, tria potissimum in pecunia spectamus, materiam, figuram, pondus: quæ tria simul eleganter junguntur in *Novella* 52. Leonis. Nam habere debet formam non adulteratam, *qu'elle ne soit pas a faulx coin*; materiam probam, *de bon aloi;* & pondus justum, *& de poids.* Materia apud veteres antiquissima terra ipsa exculta politius, & igne solidata, certis quoque expressionibus figurata. Deinde formatos e coriis orbes auro modico signaverunt: postea æs validum ipso pondere pretiosius, cujus scilicet species pro qualitate ponderis esset diuturnior. Auctor anonymus in fine Notitiæ Imperii Romani, *de Rebus bellicis cap. de Inhibenda largitate*, ait: *potentiam regalem pro licentia speciem suam tantum, in auro argentoque signasse, quæ pro reverentia figuræ nullis usibus proficiens, ad honorem Regum sacrata permaneret:* qui etiam addit *Constantini tantum temporibus aurum pro ære vilibus commerciis assignatum:* quod parum vere dictum videtur. Et quidem argenteos denarios usurpatos fuisse Volusius Metianus in *libro de Asse* docet; nec tamen aureæ monetæ meminit: sed multo ante Constantinum solidorum qui aurei erant, frequens mentio. In *libris ff.* & aliis auctoribus solidus & aureus idem sunt.

Materiam Jurisconsulti nostri appellant etiam naturam & substantiam, idest temperaturam & crasim metallorum. Hujusmodi vero materiæ æris, argenti, vel auri publica forma percutiuntur, & æstimatio constituitur commercii causa, ut æqualitate quantitatis, idest æstimationis quæ publica ac perpetua esse dicitur in L. 1. *ff. de Contrah. emptione*, difficultatibus permutationum subveniretur. Perpetuam æstimationem ait, non simpliciter: variis enim mutationibus obnoxia est mutatio pecuniæ; sed comparative & respectu reliquarum rerum omnium, quarum pretia magis sunt incerta, v. g. vini, olei, frumenti L. *Et ideo ff. de eo quod certo loco.* Forma vero, sive species, typus, icon sive iconium, unde *le coin, la marque*, character, figura nummorum, quæ omnia vocabula idem significant, (moneta etiam specialiter appellatur) publica auctoritate imponitur; vultus Principis imprimitur, sæpe insignia, crux vel aliud quodlibet signum. Quæ forma indicat valorem nummi, dummodo species proba sit, *d'un bon & vray coin.*

Quamvis autem forma indicet valorem: quod in nummis quidem asperis

asperis verum esse solet, idest recens percussis: pondus tamen inspicitur, quia sæpissime solent circumcidi, excidi & diminui. Proprium verbum hujus cupiditatis, *adrodere*, ait *Lex* 2. *Cod. Theodosiano de Ponderatoribus*: ex qua Cujacius recte emendat *tit. Cod. Theodosiani*, *Si quis solidi circulum exteriorem adroserit*. Quam in rem auctoritate publica argentarii & collybistæ, *Changeurs*, instituebantur ad probandam & spectandam pecuniam, de quorum officio in *Paratitulo* plura diximus: nec enim differunt Mensularii, sive Trapesitæ ab Argentariis, quamvis varia sortiantur nomina secundum varias functiones & partes unius & ejusdem officii. Postea specialiter zygostates, sive ponderatores publica auctoritate constituti fuerunt ad dirimendas contentiones, quæ in commerciis & negotiationibus frequenter occurrere solent *L.* 1. *Cod. Theodosiano Cod. Si quis solidi circulum*, L. 2. *Cod. Theodosiano de Ponderatoribus*, & L. *ult. Cod. Justin. eodem*, & *Edicto* 11. *Justin.* Ex quibus etiam locis (quod *dictæ Novellæ* Interpres non intellexit) ponderatores signa nummis singulis imprimebant, ex quibus cujusque nummi pondus & valor denotabatur. Pondus itaque accurate spectabatur.

Ex pondere autem colligimus facultatem, potestatem, æstimationem, *la valeur*, ἀξίαν Græci vocant, quæ etiam quantitas appellatur; imo & pretium in *L.* 1. & 2. *ff. de Contrah. empt.* vocatur & summa *L. Si pœna*, §. *Si falso*, *ff. de Condict. indeb.* Quantitas inquam, idest publica æstimatio nummorum, qua quanti sit habenda pecunia, definitur. Et ita recte in *d. L.* 1. *ff. de Contrah. empt.* quantitas accipitur: quæ in nummis potius spectatur quam corpus, Duarenus *lib.* 1. *Disputat. cap.* 6. cujus interpretationem pluribus confirmavit Cujacius ad *d.* L. 1. *ff. de Contrah. empt. in Post.*

Mirum itaque non est alienæ formæ nummos, dum sint ejusdem æstimationis & valoris, solvi posse, v. g. argenteos pro aureis, vel contra *L.* 99. *ff. hoc tit.* & confirmatur *L.* 65. *ff. de Verb. oblig.* L. *un. Cod. de Collatione æris* & L. *un. Cod. de Argenti pretio lib.* 10. *Cod.* Quod si in aliam formam creditor accipere nolit, moram fecisse intelligitur; & oblatio, ut deinde dicemus, a periculo debitorem liberabit: hoc amplius, depositio sive consignatio eum etiam ab usuris eximit. Excipit *d. L.* 99. nisi aliquod damnum inde patiatur creditor, v. g. si nummi qui crediti sunt tempore solutionis, pluris fuerint, & alios eorum loco velit solvere, ut *cap. Olim extra de censibus*. Sufficit tamen eosdem nummos solvi qui promissi fuerint, licet debiliores & leviores sint pondere, tempore solutionis, sive eorum pretium auctum sit, sive diminutum, Itemque sufficit eadem qualitate & quantitate res alias solvi, quæ pondere, numero mensuraque constant, licet earum rerum pretium auctum sit vel imminutum *L. Vinum ff. de Rebus creditis*. Vide Cujacium ad *L.* 59. & 69. *ff. de Verbor. obligat.* & ad L. 22. *ff. de Reb. credit. in Posthumis circa finem*.

Verum ut redeamus ad propositum nostrum, non aliter solutio liberationem parit, quam si id quod solutum est fiat accipientis pro solido. Solidum autem intelligimus, non tantum quoties nihil deest substantiæ vel naturæ rei quæ solvitur, sed etiam latissime quantum ad

ad omnes causas & accidentia, quæ sicut obligationibus inseri solent, ita per consequens in solutionibus observanda sunt. In obligationibus quatuor causæ solent intervenire, dies, conditio, modus, ut in alternativis obligationibus; accessio rei vel personæ L. *obligationum ff. de Oblig. & act.* quibus addi potest locus qui est sæpissime magni momenti L. *Et ideo*, & passim *ff. De eo quod certo loco*; itemque pœna. Minus itaque solvisse dicitur, quoties non satisfit plenissime omnibus illis causis a debitore: sicut contra plus petere dicitur debitor, qui non tantum re vel quantitate, sed etiam tempore, loco vel causa plus petit §. *Plus petere Instit. de actio.* causam vocat ibi Justinianus, usurpato nomine generis pro specie singulari causæ illius, quæ proprie in *d.* L. *Obligationum* appellatur modus; v. g. quando diversæ res duæ vel plures sub alternatione promittuntur, puta *Stichum aut fundum aut domum dare spondes*: quo casu electio est promissoris. Parendum est itaque, ut diximus, a debitore, alioqui solutio non pariet liberationem; quoniam eam formam accepit obligatio, quam invito altero ex contrahentibus amplius immutare non licet, quia talis est lex obligationis L. 12. §. 3. & 108. *ff. hoc tit.* & aliis supra citatis.

Aliquando tamen & ex eventu & ex postfacto liberatio sequitur; nempe ubi quod deerat rei vel ejus juribus tempore solutionis, post solutionem accedit & suppletur, v. g. si res communis soluta fuerit, vel ante pignerata, vel in qua alienus ususfructus erat, vel quæ legato vel fideicommisso conditionali erat obnoxia, vel si pater rem filii sui, quæ erat castrensis vel quasi castrensis peculii solverit: his omnibus casibus solutio non parit liberationem; durat pristina actio, ex qua creditor iterum potest agere, & quidem statim etiam antequam res evicta sit. Si tamen vel partem socii acquisiverit debitor, vel quocunque modo dissoluta fuerit pignoris obligatio, ususfructus interierit, aut legati vel fideicommissi conditio defecerit, vel si filiusfamil. non utatur privilegio suo de re castrensi vel quasi, nec alienet inter vivos, nec de ea testetur; his omnibus casibus procedit liberatio: liberamur ex eventu, & post facta declarant & explicant quæ prius facta fuerant, sed in pendenti tamen & in suspenso manebant: declarant etiam cum effectu retroductionis; ita ut licet ea omnia impedimenta quæ diximus, longo post solutionem tempore evenerint, fictione tamen juris intelligimus jam olim, idest statim atque solutio facta est, liberationem contigisse, & rei solutæ dominium translatum, quod pluribus infra explicabimus, *L. 16. 27. 38. §. 3. 69. 98. initio & §. 1. & 3.* 104. *ff. hoc tit.* Idemque dicendum a contrario sensu si debitor per errorem plus solverit vel in re ipsa, vel tempore, loco vel causa, condictionem indebiti habebit; existente tamen postea die vel conditione cessabit indebiti condictio, & quod solutum est remanebit penes creditorem

Ad L. 16. *Dig.* L. 16. *ff. hoc. tit.* juncta L. 38. §. 3. Ex his itaque & aliis plerisque similibus juris speciebus, singularibus, certis & constitutis regula confecta est, quam supra retulimus, & apertius proponitur in *L. 15. ff. de Rebus dubiis*: *Quædam sunt in quibus res dubia est, sed ex postfacto retroducitur, & apparet quid actum est*: quæ lex desumpta est ex *lib. 2. Reg.* Modestini; ubi & aliis exemplis confirmatur, quibus adde L. 10. *ff. de*

ff. de fundo dotali, & *L.* 25. §. 1. *ff. de Usufructu*.

Observandum vero in specie L. 98. *ff. hoc tit.* ubi evicta res fuerit, quæ in solutionem dotis fuerat data; duplicem actionem dari; utilem actionem ex empto pro evictione, quia datio in solutum comparatur emptioni, sed nascitur tantum post evictionem *L.* 4. *Cod. de Evictio.* vel etiam, ut in *hac* L. dicitur, competit actio propria de dote, quæ hoc habet singulare, ut non tantum post evictionem, sed etiam ante evictionem exerceri possit; sicut & in specie L. 69. *hoc tit.* Manet enim integra obligatio dotis, nec intelligitur solvisse, qui in plenum accipientis rem non fecerit. Verum hæc ita procedunt, si ex causa antiquiore, idest præcedente contractum aut solutionem res evicta fuerit, vel in ea causa fuerit ut possit evinci. Aliud, si posterior & nova: tunc enim liberatio nihilominus sequitur, nec semel parta revocatur. Nec enim futuri casus evictionis, idest supervenientes post contractum & ex causa subsequenti præstantur L. *Lucius Titius ff. de Evictio.* L. 3. & 24. *Cod. eodem*. Duo exempla proponuntur in L. 98. §. *diversum* & §. *huic applicatur ff. hoc tit.* Primi hæc est species. Si in fraudem legitimæ, quæ patrono a liberto debetur, libertus pecuniam vel rem aliquam in solutum dederit, valet solutio & parit liberationem; quamvis patronus postea per actiones Fabianam & Calvisianam a creditore revocet quod solutum est: quod facere potest, licet bona fide creditor acceperit, nec conscius fuerit doli: sufficit enim solius liberti dolus malus, & ex eo dolo damnum datum patrono L. 1. §. *dolum ff. Si quid in fraudem factum sit*. Nec tamen rescissa hujusmodi solutione restituetur creditori pristina actio adversus hæredem liberti; quoniam hujusmodi causa rescissionis nota est post solutionem & liberationem partam. Nec enim ante mortem liberti debetur legitima: quod significatur his verbis in *Dicto* §. *Diversum*, *patronus post mortem liberti aufert*: defuncto nempe liberto nascitur hæc actio L. 2. *Cod. Si in fraudem patroni*.

Secundum exemplum in §. *huic applicatur minor*, idest similis est minor. Species vero est in minore circumscripto, qui aliquid in solutum dedit & a creditore est deceptus. Et quidem supra docuimus minorem recte solvere, & ei recte solvi: itaque liberatur & extinguitur obligatio. Si tamen postea circumscriptum se doceat, *il obtienne Lettres de restitution*; v. g. si fundum vel aliam rem magni pretii creditori dederit in solutum pro multo minore summa vel quantitate debiti (nisi enim sit manifesta circumscriptio, sola ætatis ratione non restituuntur minores L. 11. §. 3. & L. 24. §. 1. *ff. de Minorib.* & *tit. Cod. Si adversus solut.*); minori debet res sua restitui. Nec tamen pristina actio creditori adversus minorem dabitur; quia ex nova causa, quæ post factam solutionem supervenit extra ordinem per restitutionem in integrum, evincitur. Hoc tamen casu æquitati naturali conveniens est, creditori restitui utiles actiones, quatenus nempe minor alieno damno non fiat locupletior *arg.* L. 27. §. *Prædium ff. de Minorib.* & *L.* 2. *Cod. Si adversus transactio*. Sed quia ipso jure liberatio contingit, si creditor cui solutum major fuerit, quamvis adversus minorem restituantur utiles actiones; non tamen restituentur accessiones, v. g. actiones adversus fidejussores vel correos: imo nec pignora restituen-

Ad L. 94. Dig.

tuentur. Quod tamen in contrarium dicendum esset, si minori solutum fuisset, quando adversus solutionem restituitur *d.* L. 27. §. *Si minor ff. de Minoribus*.

Diximus quoties liberatio est in pendenti, si postea ex eventu, v. g. conditione existente, confirmetur, retroduci liberationem & liberatum debitorem a tempore solutionis factæ; itemque rem antea solutam factam fuisse accipientis creditoris in L. 16. *hoc tit.* idest ante eventum conditionis, a die solutionis statim translatum esse dominium. Obstat L. 38. *Absenti* §. 1. *ff. de Acq. vel amitt. possess.* quæ ait expresse, *Res sub conditione traditas non aliter accipientis fieri, quam conditio extiterit*, sive illa conditio sit expressa sive tacita, ut recte ad *d.* L. Cujacius in *proprio Tit.* & ad *Digest. Juliani*. Respondendum, quod dicitur in *d.* L. 16. *Ante factam esse ejus pecuniam*: intelligendum esse secundum ea quæ initio legis proponuntur, non pure & simpliciter dominium fuisse translatum, sed sub conditione. Nam initio *d.* L. 16. dederat pecuniam debitor sub conditione, ut si auditio extitisset, in solutum cederet: conditionis itaque eventus expectandus est, ut perfecte dominium transferatur; alioqui deficiente conditione remanet ejus qui solvit. Itaque in *d.* L. 16. quod dicitur non obstare rem antea factam fuisse accipientis, sic intelligendum sub conditione factam fuisse; inspecta tota specie Legis: nec enim tantum pure, sed etiam sub conditione dominus rei suæ dominium transferre potest, ut in specie L. 1. §. 1. *ff. de Donatio.* qua ratione & legatum, & venditio a domino rei sub conditione facta valent §. *ult. Instit. de Empt. & vendit.* Ad id tamen prodest solutio facta a sciente ante conditionem, nec possit interim agi pendente conditione, & repeti tanquam indebitum quod solutum est: ignoranti autem data fuisset condictio indebiti, ut supra diximus. Nec tantum hæc locum habent, si ex causa obligationis conditionalis debeatur, sed etiam si dies incertus fuerit appositus: quod pluribus exæquandum.

Duplex est conditio, alia quæ formam & figuram conditionis habet, effectum & potestatem non habet; v. g. quoties conditio & omnimodò extitura & certa. Et hæc quidem conditionis non habet effectum; nihilominus obligatio nascitur & præsens est. Alia est conditio, quæ & formam & vim conditionis obtinet, vel quæ licet non habeat verba conditionalia, incertum tamen eventum in se continet, & est hujusmodi, ut incertum sit an impleatur. Duobus istis casibus obligatio est in pendenti, nondum nata est, nondum est ullus debitor; & quia nulla est adhuc obligatio, solutum ex illis causis repeti potest ab ignorante per errorem facti ante conditionem existentem: superiori vero casu quando conditio omnino extitura est, quia nata est obligatio, solutum semel non repetitur, licet dies & tempus petendi & agendi nondum venerit; sufficit natam esse obligationem & te esse debitorem: mora enim & dilatio petitionis non parit condictionem indebiti L. 10. 16. 18. 48. 56. *ff de Condict. indeb.* L. *Quod quis ff. de Oblig. & actio.* L. 38. §. *Inter incertam ff. de Verb. oblig. qui* §. quod notandum, contextus est ex duobus locis Celsi Jurisconsulti: quorum alter in *dicta* L. 48. *ff. de Condict. indeb.* alter in L. 70. *ff. hoc Tit.* Adde L. 30. & 98. *Qui res* §. *Mihi dare ff. hoc tit.* & L. 22. & 51. *ff. Mandati* & L. 31. *ff. de Fidejussoribus*.

Et

Et quidem in quæstione de conditionali obligatione, quam explicavimus, constat inter sectas Jurisconsultorum, Sabinianorum & Proculeianorum convenisse: in quæstione vero de die incerto observandum est diligenter dissidium fuisse inter Sabinianos & Proculeianos; Sabiniani indistincte condictionem indebiti denegabant quoties debebatur in diem: quæ regula generaliter proponitur in L. 10. *ff. de Condict. indeb.* quæ quidem sumpta est ex *libris* Pauli *ad Sabinum*. Non distinguebant quippe, utrum dies certus vel incertus esset, nec inter diem incertum, qui ita tamen incertus est & in suspenso, ut possit existere vel non existere, vel quam certum est omnimodo extiturum, quando vero extiturus sit incertum est, v. g. *cum moriar, dare spondeo*, ut in L. 17. *ff. de Condict. indeb.* In hoc casu nata statim & præsens est obligatio, quamvis ex ea ante mortem meam non possit agi; mora tantum & dilatio obligationi injicitur: & hujusmodi dies prima fronte quidem incertus, potest dici certus ratione diei, quem certum est exturum fore. *Aliud ubi dies ita incertus est, ut possit existere vel non existere*, v. g. *Cum pubes erit, cum Consul erit, uxorem duxerit, vel aliquod opus fecerit Titius, decem dabo*, ut in L. 48. & 56. *ff. de Condict. indeb.* & L. 38. §. *Inter incertam ff. de Verb. oblig.* Potest enim contingere ut moriatur Titius, antequam pubescat, Consul fiat, uxorem ducat, vel opus factum sit: quibus casibus non existente die, sicut non existente conditione, non obligabitur debitor, nec debuisse intelligimus. Quare ex his caussis si ante diem solvatur per errorem, repetetur ex sententia Proculeianorum, quæ prævaluit adversus Sabinianos.

Hæc quæ Italico charactere excusa sunt deerant in MS. idemque addita sunt ad sensus integritatem.

Inter Proculeianos vero istius sententiæ vindex & assertor citatur Celsus ex locis supra citatis: Sabinianorum vero contrariæ sententiæ vestigia supersunt in *d.* L. 16. *ff. hoc tit.* & in L. 51. *ff. Mandati*, quæ sumpta est ex libris Jaboleni *ad Cassium*, & in L. 10. & 16. *ff. de Condict. indeb.* Hujus auctor Pomponius Sabinianus, in qua constituere videtur differentiam inter conditionem & diem incertum. Et quidem *initio Legis*, pendente conditione solutum interim repeti potest, si solutum fuerit ante conditionem. Sequuntur hæc verba: *Quod autem sub incerto die*: quæ videntur differentiam significare; nempe ut pendente die incerto, *solutum, indebiti condictione repeti non posset* indistincte, sive dies incertus esset tantum primo modo, sive etiam secundo modo; quando incertum esset an aliquando dies extiturus esset. Et ita in hoc conveniebat *cum Celso: ut repeti non posset*, si primo modo dies esset incertus, idest omnimodo quidem exciturus esset, quando vero exiturus erat incertum; v. g. *Cum moriar, vel cum morietur Titius, decem dabo*, ut in exemplo L. 17. cujus est auctor Celsus Proculeianus: dies enim ille incertus pro certo habetur, & tantum prima fronte incertus videtur. Quibus ita explicatis, nihil immutandum erit in textu *d.* L. 17. *ff. de Condict. indeb.* contra quod Cujacius tentaverat in *dictis locis* & *lib.* 13. *Observat. cap.* 20. propter non observatum dissidium inter Proculeianos & Sabinianos.

Hæc quoque deerant in MS. ideoque sunt addita.

Vide num ita se res habeat, & superflua sit revera Cujacii mutatio

Sicut autem prævaluit opinio Proculeianorum, qui diem incertum secundo modo conditionem facere admittebant, & solutum pendente die incerto repeti posse per condictionem indebiti *d.* L. 48. *ff. hoc tit.* juncto §. *Inter incertam d.* L. 28. *ff. de Verb. oblig.* Ita etiam quoties incertum

tum est, utrum dilatoria sive temporaria exceptio possit fieri perpetua; si debitor interim per errorem ex ea causa solverit, repetere potest, ut in eleganti specie L. 56. *ff. de Condict. indeb.* hoc ideo quia qui exceptione perpetua tutus est, quamvis ipso jure sit obligatus & debeat; per exceptionem tamen inutilem & irritam reddet hujusmodi obligationem. Hoc amplius debitori condictio indebiti dabitur interim, quamdiu incertum est an exceptio perpetua futura sit ex L. 24. 26. §. 3. 40. 41. 42. 43. *&* 54. *ff. de Condict. indeb. &* L. 34. §. *ult. ff. de Solutio.* In quibus proponitur & explicatur hæc regula: *Qui per errorem solverit, ignorans se habere exceptionem perpetuam, potest repetere per condictionem indebiti quod solvit.* Idemque dicendum si exceptio temporaria speretur perpetua, & ut ait Papinianus in *d.* L. 54. condictioni indebiti locus est tam ex causis quæ jure non valuerunt, quam ex iis quæ cum ipso jure extitissent, per exceptionem tamen perpetuam eliduntur: quæ exceptiones ideo peremptoriæ dicuntur, quia semper agentibus obstant, §. *Perpetua & peremptoriæ Instit. de Exceptio.* Cui adde L. 13. 53. 66. *&* 113. *ff. de Reg. Jur.*

Ad L. 34. §. ult. Dig.

Exempla hujusmodi exceptionum perpetuarum plura proponuntur *dicto tit. Instit.* & in *Legibus* supra citatis. Et quidem in §. 2. L. 40. pactum de non petendo proponitur, quo non omnimodo dissolvuntur obligationes, & superest efficax actio adversus debitorem: defendet se tamen exceptione pacti, quia iniquum est damnari eum contra pactionem: per consequens si ex ea causa solverit, ex qua haberet exceptionem perpetuam, repetet tanquam indebitum. Non desiisse debitor intelligitur, idest fingitur, qui nactus est exceptionem justam, nec ab æquitate naturali abhorrentem *d.* L. 76. *ff. de Reg.* Quod enim dicitur non liberari eum qui habet exceptionem in §. *ult.* L. 34. *hoc tit.* intellige ut supra, non omnimodo dissolvi obligationem, idest ipso jure; quia pactum non est legitimus modus tollendæ obligationis. Quia vero non ipse liberatus fuit nec etiam correus liberatur per pactum de non petendo; & hoc casu solutio ideo non dissolvit obligationem, quia per condictionem indebiti potest solutio rescindi, & quia pactum correo non prodest, pactum enim personale de non petendo ei qui pactus est, proficere debet, non autem alteri, licet una & eadem obligatione teneri dicantur duo correi debendi L. 3. §. *ult. ff. de Duobus reis constituend.* Eadem ratione reo principali non prodest, si fidejussor pactus sit ne ab eo peteretur, L. 32. §. 1. *ff. de Condict. indebiti*: durat enim obligatio.

Pactum autem illud de non petendo personale fuisse diximus, quod quidem pactum non egreditur personam paciscentis; adeo ut nec ad hæredem pertineat: excipe nisi qui pactus est socius fuerit correi *L.* 27. *de Pactis.* Aliud dicendum si pactum sit generale & in rem *L.* 17. §. 3. 4. *& seqq.* L. 21. §. *ult.* 22. 23. 24. *&* 25. *ff. de Pactis.* Quando vero pactum sit reale vel generale, non tantum ex verbis: sed etiam ex mente contrahentium intelligimus L. 7. §. *Pactorum quidem ff. de Pactis.* Pactum itaque personale non aliter proficit correo debendi vel reo principali, nisi socii fuerint, vel nisi fidejussor in rem suam spoponderit *d.* L. 24. *&* 25. *ff. de Pactis*, L. 1. *&* 14. *ff. Rem ratam haberi*, *&* L. *eandem* §. 1. *ff. de Duobus reis*, L. *Qui hominem* §. *ult. ff. hoc tit.*

No-

Notandum præterea in hac quæstione, quamvis in Jure eadem sit vis juramenti & pacti, tamen juramentum correi vel fidejussoris prodesse vel nocere alteri ex correis; quia hujusmodi juramentum pro solutione habetur L. 27. *&* 28. *L. ult.* §. 1. *ff. de Jurejur.* jurat enim se dare non oportere, se solvisse: de ipso contractu, de re tota interponitur juramentum: Juramentum autem pro veritate habetur; & sicut vera solutio extinguit omnem obligationem, ita & juramentum. In pacto vero de non petendo constat inter utrumque creditorem & debitorem deberi, sed stipulator certæ personæ in ejus gratiam vel liberalitatis causa remittit: quare pactio de non petendo personalis non potest haberi pro solutione, & multum differt a juramento. Vide Cujacium *Lib.* 22. *Observ. cap.* 6. *&* 7. quæ duæ observationes sumptæ sunt, & plenius explicantur in *Recitationibus ad Edictum* Pauli III. *explicatione d. L.* 27. *ff. de Pactis*. Juramentum itaque quia pro solutione habetur, parit eosdem effectus juris, & sicut solutio omnem obligationem etiam naturalem tollit L. 95. §. 4. *ff. hoc tit.* L. *ult. ff. de Jurejur.*

Dixi *etiam naturalem*: ex quo exceptio nostræ regulæ nascitur: nisi enim exceptio quæ perpetua est, tollat etiam naturalem obligationem; quod solutum fuerit, postea non poterit repeti *d.* L. 40. *ff. de Condict. indeb.* quæ sumpta est ex *libro* 3. *Regularum* Modestini. Tollunt itaque etiam naturalem obligationem perpetuæ exceptiones pacti de non petendo, & doli, & Senatus-Consulti Vellejani: non tollit autem exceptio Senatus-Consulti Macedoniani, quamvis sit perpetua; quia non in gratiam debitoris, sed in odium creditoris Macedonianum SC. inductum est pœnæ loco. Idemque dicendum de exceptione rei judicatæ, de exceptione quod quisque juris: quæ sola publica auctoritate nituntur, & contrariæ sunt ac adversantur naturali æquitati, ex qua nascitur obligatio naturalis quæ sufficit ad denegandam condictionem indebiti; quoties nempe per errorem & illis causis solvitur: nec enim superest vel concurrit cum Jure Civili ratio naturalis ex qua inducta est condictio indebiti L. 19. *ff. de Condict. indeb.* juncta *L.* 9. *§. ult. &* L. 10. *ff. de SC. Macedon.* Cujacius ad *L.* 66. *ff. de Condictione indebiti*, in *Recitationibus ad Papin.*

Redeamus ad obligationem in diem vel tempus certum, ex qua qui debet, si solvat ante tempus, quamvis per errorem, non poterit tamen repetere ante tempus tanquam indebitum; & per consequens quia non potest condicere, liberatur L. 61. *hoc tit.* Volenti tamen creditori intelligendum ante tempus solvi: & ita debet accipi L. 70. *ff. hoc tit. &* L. 38. §. 16. *&* 137. §. 2. *ff. de Verb. oblig. &* L. 50. *ff. de Obligatio.* Volenti, inquam, creditori solvi potest, licet non possit peti ante diem: volenti, inquam: potest enim creditor recusare solutionem ante diem, & eo recusante oblatio vel depositio pecuniæ vel alterius rei debitæ periculo non liberat debitorem, nec cedit pro solutione: oblatio enim, sicut & depositio, quamvis diversi sint & distincti effectus, in hoc tamen conveniunt, ut opportuno tempore & loco fieri debeant L. *Si soluturus* 39. *ff. hoc tit.* Nec enim moram facit creditor, qui die non veniente recusat accipere L. 18. *ff. de Constit. pecunia*: & fingere est in statulibero, ut oblata pecunia, non expectata die perveniat ad libertatem L. 3. §. *Quid si servus ff. de Statuliberis*; favore scilicet libertatis, sicut hæc verba innuunt: *beni-*

Ad L. 30. 39. 70. *&* 72. *D. g.*

benignius est, &c. Si tamen non intersit debitoris, vel si ultro acceperit rem oblatam, purgatur mora, & debitor liberatur; licet antea interpelletur debitor dare: sufficit si hodie offerat L. 72. L. 30. *ff. hoc tit.* L. 73. §. *ult.* & L. 100. *ff. de Verb. oblig.* Vide Cujacium *lib.* 23. *Observat. cap.* 23. quæ observatio desumpta est ex ejusdem *Recitationibus ad Edictum* Pauli in L. 19. *ff. de Constit. pecunia*.

Effectus vero oblationis recte factæ sunt hujusmodi: periculo rei debitæ liberat; purgat moram: manet tamen integra obligatio, debitor non liberatur omnino, non liberatur censu usurarum; pignora, fidejussores non liberantur: sunt enim hi effectus proprii depositionis recte factæ. Notandum tamen quæ ex mora debentur usuræ, ut solet in bonæ fidei judiciis; nuda oblatione sisti; non autem quæ ex stipulatu: depositio enim necessaria est, quæ pro vera solutione cedit. Ea itaque & fidejussores & correi & pignora liberantur, creditori tantum superest actio utilis depositi, non amplius adversus debitorem, sed tantum contra depositarium & ipsas pecunias vel rem depositam L. 2. 6. & 19. *Cod. de Usuris* L. 9. *Cod. de Solutio.* L. 6. *Cod. de Pig. act.* & *d. l.* 39. *hoc tit.* Ex quibus præterea colligimus quid desideretur ut depositio recte facta censeatur.

Sicut oblatio debet fieri tempore & loco opportuno: posteaquam oblatam pecuniam vel non accipere detrectaverit creditor, testes adhibendi sunt, & pecunia deponi debet vel in loco publico, vel apud quem Judex competens aut partes elegerint, & res si pondere, numero & mensura constet, certo loco obsignari: eaque omnia solemniter ut diximus, per acta insinuari & annuntiari creditori debent, ut quotiescunque ei libuerit, res depositas recipere possit eadem quantitate & qualitate, qua fuerunt depositæ. Reliquas differentias inter oblationem & depositionem pecuniæ dominus Cujacius explicavit ad *d.* L. 39. *hoc tit. ad Africanum sub finem*, & ad L. 122. §. *Seja ff. de Verb. oblig.* & *Consultatione* 57. In qua tamen verum non videtur, quod ait hodie non esse opus oblationem & depositionem in scriptis redigi: ordinatio enim generaliter loquitur, & contractus & distractus scribi debent, si excedant summam centum librarum: consignatio autem & depositio est inter distractus, & pro solutione, ut diximus, babetur: itaque sicut solutio in scripto fieri debet, ita & depositio.

Oblatio itaque & depositio rei debitæ recte factæ liberant periculo debitorem, & creditorem constituunt in mora; quia per eum stetit: æquum enim non est debitorem qui bona fide obtulit, teneri re amissa: quia non teneretur si creditor accipere voluisset L. 9. §. *ult.* L. 72. & 92. *ff. hoc tit.* L. 45. *ff. de Oblig.* & *actio.* L. 9. §. 2. *ff. de Statuliberis*, L. 23. L. 51. 69. 83. §. 3. & 91. *ff. de Verb. oblig.* L. 47. *ff. de Leg.* 1. quarum duæ postremæ, juncta L. 45. *ff. de Oblig.* excerptæ sunt ex *variis libris* Pauli, & pertinent ad explicationem *d.* L. 92. & celebris §. *Aream* L. 98. *hoc tit.* Ex parte vero debitoris mora plerumque dicitur fieri post litis contestationem; quia scilicet qui patitur secum litem contestari, non potest amplius inficiari quin fuerit in mora. Imo & mora contrahitur plerumque post denuntiationem, interpellationem, vel conventionem a creditore factam opportuno tempore & loco. *Plerumque* dixi, & etiam *post litis contestationem*: cum enim in facto consistat ex variis facti circumstantiis a Judice

Ad L. 92. & 98. §. 8. Dig.

Judice potius æstimatur, quam ulla juris auctoritate generaliter possit definiri, quibus casibus aut quando mora fiat, *L.* 14. 24. *&* 32. *ff. de Usuris*, *L.* 23. *&* 91. *ff. de Verbor. oblig.*

Itaque tam ex parte debitoris quam creditoris mora spectatur, quamvis sæpius ex parte debitoris contingere soleat: neutri enim eorum frustratio sua, idest dilatio frustratoria sive moratoria prodesse debet, *L.* 37. *ff. Mandati*: ad quam vide Cujacium, & ad *L.* 27. *ff. de Usuris ad Africanum*, & ad *L.* 23. *& L.* 91. *ff. de Verb. oblig.* in qua recte Martini sententia sequitur, & ita distinguit, debitorem post moram factam non liberari, itemque post culpam: species enim culpæ, ut deinde dicemus, est mora. Culpa autem dicitur perpetuare obligationem, si res pereat postea; nisi eodem modo res debita peritura fuisset omnimodo apud creditorem. Quid enim si eam rem creditor non fuisset sibi servaturus, sed statim distracturus, *L.* 14. §. *ult. ff. Depositi*, *L.* 47. §. *ult. ff. de Leg.* 1. *L. Illud* 40. *ff. de Petitione hæreditatis?* Quam distinctionem plenius explicat, & habere locum probat tam in judiciis bonæ fidei quam stricti juris, in rem vel in personam, sive actiones oriantur ex contractibus inter vivos, sive ex ultimis voluntatibus, & tam ex parte debitoris quam creditoris *Leg.* 108. §. 11. *ff. de Leg.* 1. *&* 47. *ff. eodem*. Excipiuntur quatuor casus in odium furum, abactorum, prædonum, & eorum qui vim & metum intulerunt; ii enim re perempta post moram omnimodo tenentur indistincte, etiamsi eodem modo peritura fuisset apud dominum, v. g. fato suo & morte naturali, quo periit apud ejusmodi personas; quod odio hujusmodi personarum inductum est: sunt enim plusquam moratores, non tantum ex mora vel culpa, sed etiam ex maleficio & delicto tenentur *L.* 14. §. *Quatenus L.* 1. *ff. Quod metus causa* L. 34. *Rectissime*, *& L. penult ff. de Vi & vi armata*, *&* L. *ult. ff. de Condict. furtiva*.

Quæ hactenus diximus, locum habent quoties res certa debetur, certum corpus, v. g. domus certa, fundus Sempronianus, Stichus servus; speciem Jurisconsulti nostri vocant. Aliud si genus vel quantitas indefinite, v. g. homo, certa quantitas vini, frumenti, olei; & hoc est quod vulgo dicitur, genus non perire nec interire, sed tantum species sive individua: v. g. Stichus servus promissus, morte naturali vel fato suo perire potest, potest occidi: quo casu si nulla culpa, dolus, vel mora promissoris possit argui, ut si ab alio quam a domino occidatur; imo etsi dominus ipse etiam promissor merentem servum occiderit, obligatione liberatur debitor: nam si immerentem occidat, propter culpam tenebitur, scilicet ad æstimationem præstandam. Occisio culpæ annumeratur, non autem moræ: culpæ enim duæ sunt species, mora & occisio, ut probat Cujacius ad *L.* 23. *ff. de Verb. oblig. sub. finem*, L. 91. *&* 96. *ff. hoc tit.* L. 32. §. *ult. ff. de Usuris*.

Manumissio autem differt, atque morti comparatur: itaque si ab alio pure manumissus sit servus, liberatur promissor, tanquam servo mortuo: alius enim homo natus videtur post manumissionem L. 25. *ff. de Adimendis legatis*; & per manumissionem adeo liberatur debitor, ut nec si postea manumissus reciderit in servitutem, extincta in perpetuum obligatio restitui possit: & ex illa nova servitute novus servus intelligitur, & alius quam qui promissus fuit ab initio L. 9. §. 2. *ff. de Statuliberis*, L. 23. 35. 51. *&*

51. & 69. *ff. de Verbor. oblig.* & L. 92. & 98. §. *Aream verf. nec admissum ff. hoc tit.* in quo loco Paulus nominatim reprehendit Celsum, cujus opinio rejecta est, quamvis in Pandectas relata sit in L. *Si chorus* 79. *ff. de Leg.* 3. Nec alia solutio requirenda est. Junge L. 23. §. *Sacram*, & L. 91. *ff. de Verbor. oblig.* L. 26. & 27. *ff. de Adimendis legat.* & L. 45. *ff. de Oblig. & actio.* quæ Leges auctorem habent Paulum & mutuo sese explicant. In postrema manumissio a promissore facta ante moram, idest antequam peti possit, ei tamen non nocet, si decedat manumissus antequam conveniatur debitor.

Postremum ut absolvamus explicationem celebris §. *Aream* L. 98. *ff. hoc tit.* in eo Paulus distinguit & separat præsentem obligationem & actionem a cessante, & ab extincta. Cessans obligatio vel quæ dicitur in pendenti, expresse fieri potest; petitio tantum differtur: quæ vero extincta est, in perpetuum restitui & resuscitari non potest. Utriusque exempla suppeditat; cessantis, v. g. si ex mente promissa navis vel domus dissoluta fuerit, ut reficeretur; si aliquid in diem promissum fuerit; si servus vel quæ alia res promissa fuerit; ab hostibus capta eo tempore quo promittitur, vel postea dummodo sit ex numero earum, in quas cadit jus Postliminii, de quibus *Lex* 20. *ff. de Captivis & postlim. reversis.* Iis casibus differtur rei præstatio, valet obligatio ex quacunque causa, L. *ult. ff. de Actio. empt.* Res tamen hostium non possunt promitti, & nulla est obligatio L. 103. *ff. de Verb. oblig.* Cessat etiam obligatio, si rem meam ita stipuler cum mea non erit: quamvis enim quamdiu mea est, non possim petere, nec ejus æstimationem; postquam tamen eam alienavero, agere potero. Item si stipuletur centum modios frumenti ex illo fundo expectare debeo donec nascatur sive hoc anno, sive sequentibus, & per vices cessabit aut valebit stipulatio L. 83. §. *Sacram ff. de Verb. oblig.*

Extinctæ vero obligationis exempla proponit, si servus promissus manumittatur vel moriatur, quem casum supra explicavimus; si navis dissolvatur ea mente ut tabulæ in alios usus convertantur; si domus usque ad aream destructa fuerit.

Aliud dicendum si per partes refecta sit domus vel navis: eadem enim numero intelligitur manere L. 76. *ff. de Judiciis*. Idem dicendum si sine dolo & culpa debitoris res promissa, sacra vel publica facta sit: itemque si ex causa lucrativa mea facta sit: Nec extincta obligatio aliquo ex illis modis restitui potest, licet in eum casum res postea devenerit, a quo potuit incipere, v. g. manumissus iterum fiat servus, res sacra vel religiosa profanetur, publica in privatos usus revertatur: tunc enim alia res intelligitur, nec æstimatio debetur; quinimo non valet illa conditio, *cum servus erit, cum profana erit, vel privata*: inhumanæ enim & impiæ hujusmodi species & conditiones censentur. Aliud, si rem meam stipuler, cum mea non erit: nihil enim illa conditio insolitum continet *d. L.* 83. §. *Sacram*, & L. 91. *ff. de Verb. oblig.*

Aliquando vero præsens est obligatio & actio, licet cessare prima fronte vel extincta videatur; v. g. in specie *nostri* §. *Aream*, si areæ vel solo impositum sit ædificium, vel qua alia materia sit injuncta ædificio meo, area mutavit faciem, videtur non esse amplius area, sed ædi-

ædificium: manet tamen area & extat, imo & potissima pars & præcipua ædificii; ideoque vindicari potest etiam. Utroque tamen casu propter utilitatem publicam, ne ruinis urbes deformentur, deponi ædificium, solvi tignum prohibetur, sed æstimatio præstanda erit *dicto* §. *Aream*.

Sequitur ut quæramus, an aliud pro alio solvi possit, idest vel res alia quam quæ promissa fuerat, vel aliud factum. Ad quam quæstionem pertinent §. 1. *Inst. Quib. mod. toll. oblig.* L. 31. 46. 88. 98. §. *Mihi Romæ ff. hoc tit.* L. 10. 16. 17. 20. & 24. *Cod. hoc tit.* & *Novella* 4. *cap.* 3. in quibus Legibus hæc regula generalis proponitur tam in obligationibus quæ in dando, quam quæ in faciendo consistunt, maxime in *dicto* §. 1. *Instit. Quibus modis tollitur obligatio*, & in L. 17. *Cod. hoc tit.* aliud pro alio volenti & consentienti creditori solvi posse, non autem invito. Quemadmodum autem probavimus supra non aliter ex solutione liberationem contingere, nisi res quæ promissa est præstetur, & fiat pro solido accipientis creditoris, & si quid desit, non sequi liberationem nec tolli obligationem pristinam; adeo ut statim non obstante hujusmodi solutione quæ fuit inutilis, agi possit, non expectata evictione: idem dicendum quoties aliud pro alio consentienti creditori solutum est: Præterea quia datio in solutum quodammodo vel emptioni vel permutationi comparatur; veluti quando pecunia pro re debita solvitur, vel fundus aut domus pro pecunia quæ debebatur: sicut in emptione & permutatione evictione facta datur actio; ita & in datione in solutum re evicta, quæ in solutum data fuerit, dabitur utilis actio de evictione, L. 4. *Cod. de Evictionib.* L. 38. §. 3. & 69. *ff. hoc tit.* Idem dicendum si aliud quam quod promissum & solutum fuerit volenti creditori, nempe si res illa soluta, sit aliena, vel ejus juri aliquid desit; in electione esse creditoris utrum statim velit agere ex pristina obligatione, an vero velit expectare post evictionem L. 46. *ff. hoc tit.* L. *Eleganter* 24. *ff. de Pig. actio. arg. d.* L. 38. §. 3. L. 69. & 98. *initio ff. hoc tit.* L. 45. *ff. de Jure dot.* & L. 29. §. *Si heres ff. de Leg.* 3. Quamvis enim datio in solutum emptioni comparetur, retinet tamen propriam suam naturam, quæ est hujusmodi, ut solutio non pariat liberationem, nisi pro solido fiat res accipientis: & id semper potestate & natura solutionis continetur, & intelligitur actum ex voluntate creditoris. *Ad L. 38 §. 3. 46. 98. initio Dig. & ad L. 17. & 20. Cod.*

Quare Paulus in L. 98. *Qui res hoc tit.* ait, *rerum solutio non potest nisi ex eventu liberare; scilicet quo casu certum erit remanere eas*, & pro solido fieri accipientis, ut supra diximus. Cessante hoc eventu remanet antiqua obligatio d. L. 46. *ff. hoc tit.* quæ concurrit cum utili actione ex empto de evictione Utili, inquam, d. L. *Eleganter ff. de Pig. actio*. Directa non competit, quia paululum demutat ab emptione datio in solutum. Notandum tamen in d. L. *Eleganter* pristinam actionem, idest contrariam pigneratitiam denegari creditori, & superesse solum utilem ex empto de evictione: & hoc ideo quia, ut ait Jurisconsultus finita erat pignoris obligatio: recesserat a pignore creditor, qui impetrarat a principe ut jure dominii pignus possideret, & in eum casum res devenerat a quo non potuit incipere: nemini enim res sua po-

poteſt eſſe & pignori ſimul. Itaque extincta pignoris obligatio meo conſenſu non poteſt reſtitui, ſicut nec quælibet alia obligatio *d. §. Aream L. 98. hoc tit. L. 3. Cod. de Luitione pignoris, & toto tit. de Remiſſione pignoris*; maxime in *L. ult.* Atqui in datione in ſolutum probavimus hoc agi tacite, ne ante prior obligatio extinguatur, quam res ſoluta, fuerit facta in ſolidum accipientis. Nec erit inutilis harum duarum actionum concurſus: nam ex antiqua obligatione ſtatim agi poterit non expectata evictione; ex utili vero actione ex empto, poſtquam res mihi jure judicioque evicta & ablata fuerit, poſtquam eam mihi habere non licuerit, non antea L. 24. *ff. de Evictionibus & L. 3. & 24. Cod. eodem*.

Objicitur L. 1. *Cod. de Rerum permutatio.* quæ Accurſium primo, & poſtea Cujacium deduxit in errorem *lib. 19. Obſervat. cap. 38.* Mævius cum poſſeſſionem venalem exponeret, Titius pretii loco aliam poſſeſſionem dedit non definita quantitate: & in eo paululum demutat hic contractus ab emptione, in qua pretium certum eſſe debet. Poſtea evicta ex Titio poſſeſſio, quam a Titio acceperat: quæritur qua evictione acturus ſit Titius, qui poſſeſſionem inæſtimatam dederat: & dicitur utilem ex empto de evictione in id quod intereſt competere, perinde ac ſi venditio contracta foret. Accedit enim propius hujuſmodi negotium ad emptionem: res enim venalis fuit expoſita, & pro pretio fundus inæſtimatus tamen datus fuit. Nec repetet tamen Titius fundum quem pro pretio dedit, licet incerto. Sicut enim in emptione qui tradidit rem alienam, contrahit emptionem; ita & in hoc contractu innominato qui proxime accedit ad emptionem. Et hæc eſt prima ſpecies *d. Legis*. Quod ſi poſſeſſio venalis non fuerit propoſita, ſed ſimplex poſſeſſio pro poſſeſſione fuerit data; recedit hic magis contractus ab emptione, quia ab initio inter contrahentes non fuit cogitatum de emptione & venditione: permutatio tamen contracta eſt: quo caſu ex utraque parte traditione facta & permutationis cauſa, ſi alteri res aliena data fuerit, & evicta deinde; qui rem ſuam dedit & implevit contractum, electionem habet utrum præſcriptis verbis agat in id quod intereſt pro evictione, vel ſi malit repetet quod dedit condictione cauſa data, cauſa non ſecuta. Ei vero qui rem alienam dedit, non datur actio præſcriptis verbis ex permutatione, ut compellat tradere permutantem, quia non implevit contractum, licet ante tradiderit rem quæ aliena erat: claudicat enim hujuſmodi contractus ex parte ejus, qui rem alienam tradidit. Et hoc eſt quod dicitur in L. 1. *ff. de Rerum permutat. rem alienam dantem non contrahere permutationem*. Poterit tamen ex æquo & bono repetere & condicere quod tradidit, ut tandem explicavit recte Cujacius *lib. 23. Obſervat. cap. 28. & ſequenti*: quæ obſervationes deſumptæ ſunt ex ejuſdem *Recitationibus ad edictum Pauli*.

Sed non convenit hæc ſpecies poſtrema cum diſtinctione, quam a Gloſſa accepit in L. *Libera Cod. de Interlocut. & ſentent.* Vel alia res pro re data eſt in ſolutum, vel res pro pecunia: in primo caſu re alia data, ſicut non intelligitur contracta permutatio ex parte ejus qui rem alienam dedit; ita nec liberatio ſecuta intelligitur, & per conſequens

quens remanet antiqua actio, ut diximus, ex qua statim agi potest, etiam ante evictionem; vel post evictionem creditor agere poterit de evictione utili actione ex empto *d.* L. 4. *Cod. de Evictionibus*. Quod si pro pecunia debita res æstimata data sit, ait Cujacius cum Glossa solutionem valere, licet aliena res data fuerit in solutum; quia, inquit, proxime ad emptionem accedit, quæ re aliena data consistit, & per consequens solutio rei alienæ parit suum effectum & liberationem, & extinguit antiquam obligationem.

Verum ut initio diximus, multum differt hæc species ab ea quæ in prima parte *dictæ L.* 1. proponitur. Initium cujusque actus diligenter inspiciendum est. In *d. L.* 1. qui rem venalem exposuerat, animum vendendi habuerat; qui vero dat in solutum pro pecunia, & qui accipit, non habet animum emendi vel vendendi: sed qui dat, distrahendi animum habet; qui accipit, in se dominium transferri vult, nec aliter recedere præsumitur ab antiqua obligatione, quam si in plenum & pro solida factus fuerit dominus rei, quæ in solutum data est. Et tandem vir magnus rediit ad priorem sententiam, quam in *tractatibus ad Africanum* exposuerat in *explicatione* L. 47. *Si duos ff. de Evictionib.* Rediit, inquam, in *explicatione Legis Qui res* 98. *initio ff. hoc tit. ad quæstiones Pauli*. Itaque sive eadem res, sive alia pro re vel pecunia debita soluta fuerit volenti creditori, non tantum quæ aliena sit, sed etiam cujus juri aliquid deest, antiqua obligatio durat, ex qua nihilominus iterum agi potest, non expectata evictione vel conditione: solutio enim non liberat, nisi res vel pecunia quæ solvitur perfecte & in plenum accipientis fiat *d.* L. *Cum quis* 38. §. *Qui hominem ff. hoc tit.*

Consentienti creditori aliud pro alio solvi diximus. Excipe mutuum in quo non eadem res specie, ut Jurisconsulti loquuntur vulgo, Philosophi eadem res numero sive individuum redditur, sed alia ejusdem naturæ & qualitatis, ejusdem generis; hac nempe ratione, quia res, in quibus consistit mutuum, recipiunt functionem in genere suo per solutionem *L.* 2. §. 1. *ff. de Reb. cred.* idest res in quibus consistit mutuum, ejus sunt naturæ, ut si ejusdem generis & bonitatis reddantur, idem prope individuum numero quod creditum fuerit, restitutum videtur; fingitur alia res pro alia, idest in locum & vicem succedit.

Excipe secundo nisi lege speciali aliud pro alio solvi permissum sit, v. g. ut æstimatum fundum, vel domum, vel quam aliam rem immobilem debitoris creditor compellatur accipere pro pecunia quam debet: qualis fuit Lex Julia, de qua Suetonius in *Julio cap.* 42. *Decrevit tandem ut debitores creditoribus satisfacerent per æstimationem possessionum quanti quasque ante civile bellum comparassent; deducta summa æris alieni, si quid usura nomine numeratum aut perscriptum fuisset*, idest usuras solutas imputavit sorti numeratæ. Hoc est de domo privatim & de area solvere, ut in L. *Lecta ff. de Reb. credit.* ad differentiam solutionis quæ publice de mensa argentarii per scripturam fiebat. *Perscribere* ait Suetonius pro *rescribere*. Scribere est nominibus factis per obligationem literarum se adstringere: apponitur perscribere, sive rescribere, idest contrariis literis & nominibus factis se liberare, sicut in *paratitulo* diximus.

mus. Eadem forma *permittere* pro *remittere & tollere* usurpatur in L. 3. *ff. de Publicis judiciis* in *Pandectis Florentinis*, male in vulgatis, *perimitur*. Vide Cujacium *lib.* 21. *Observat. cap.* 29. & in *præfatione ad librum* 60. *Basilicon*.

Illius vero Legis a Julio Cæsare latæ sæpius fit mentio apud Ciceronem, ut notaverunt Antonius Augustinus & Cujacius in *Posthumis hujus tit. in Cod. initio*, ubi æstimationem accipere explicant recte secundum Legem Juliam, fundum vel domum æstimatam pro pecunia debita accipere in solutum invito creditore. Veterem Legem Juliam revocavit pro parte Justinianus *Novella* 4. *cap.* 3. & *Novella* 120. *cap.* 6. ex quibus *Novellis* sumptæ sunt *Authentica Hoc porrectum ad* L. 14. *Cod. de Sacrosanct. Eccles. & Auth. Hoc nisi debitor ad* L. 16. *Nisi hoc debitor Cod. hoc tit.* in quibus *Novellis* statuitur, si pecunia debeatur sive ex causa mutui sive ex qualibet alia, nec tamen habeat debitor chirographarius, (idest qui personali tantum actione tenetur absque pignore vel hypotheca, & etiam absque fidejussoribus) pecunias vel res mobiles, ex quibus facile confici possit pecunia; hoc casu res debitoris immobiles, quas eliget creditor, Magistratus æstimabit, & postea vel addicentur creditori in solutum, interposita tamen a debitore cautione de evictione, etiam datis fidejussoribus si possibile sit, aut etiam nuda promissione Judicis arbitrio, ne Legis beneficium sit inutile. Vel si creditor paratus sit emptorem offerre, qui justum pretium numerare velit, debitor invitus tenebitur vendere, simili cautione de evictione Judicis arbitrio interponenda: & in continenti pretium persolvetur creditori, non autem venditori. Prudenter enim Cujacius rejicit interpretationem Juliani in *Epitome d. Novellæ* 4. *cap.* 3. *sub finem*, quam tamen Imerius male sequitur in *d. Auth. Hoc nisi debitor Cod. hoc tit.* nempe eo casu quo creditor non emit quidem, sed paratus est præstare emptorem, caveat debitor qui vendit pecuniam ex emptione perceptam se soluturum creditori, & post cautionem hujusmodi præcedentem liceat ei venditionem contrahere. Quid enim aliud esset quam litem ex lite serere? cum in promptu sit pretio, ut diximus, ab emptore creditori statim numerato liberare debitorem. Imo in *Novella* 120. non aliter emptor dicitur habere plenam securitatem, nisi pretium pro ipso debito persolutum fuerit statim. Nec de illa cautione quidquam in *integra Novella*; nam sive creditori pro soluto, sive emptori extraneo res addicantur eædem cautiones de evictione scilicet tantum præstari verba *integræ Novellæ* suadent, ut rectissime Glossa in *d. capitul.* 3. *Novellæ* 1. verba hæc: *dare possit*.

Ad Nov. 4. *cap.* 3. & *Nov.* 120. *cap.* 6.

Per hujusmodi autem addictionem in solutum dominium transfertur in creditorem, si debitor dominus fuerit; vel si non fuerit dominus, præbebitur occasio & justus titulus usucapioni pro soluto, quem titulum *Novellæ Græcæ* retinent. Auctoritate nempe & potestate Legis introductus hic titulus *d. Novella* 120. *cap.* 6. in qua præterea hoc amplius conceditur Ecclesiæ quam privatis, ut nempe creditor non eligat optima prædia, sed mediocria assignantur, quorum præterea veræ æstimationi additur decima pars; v. g. si fundus dignus sit mille aureis, centum addentur vero pretio, & in solutum addicentur creditori. Julianus apertissime, *justa & sub-*

& subtili æstimatione facienda, & adjicienda pretio decima portione æstimationis totius; & sic in ea quantitate creditorem capere rem pro solutione firmo dominio subjiciendam. In qua opinione tandem ad *d. Novellam* 120. *Accursius acquiescit*, quem sequitur dominus Cujacius ad *Novellam* 7.

Observandum præterea quod supra explicavimus pluribus, creditorem Ecclesiæ eum tantum intelligi, qui probaverit pecuniam in utilitatem Ecclesiæ versam fuisse: quod repetitur in *d. Novella* 120. *cap. 6*. Excipiuntur Argentarii & obligationes & actiones eorum, quæ vel eis vel adversus eos dantur ratione utilitatis publicæ, ut ex eorum contractibus debita pecunia per æstimationem possessionum non possit solvi. De officio autem Argentariorum, de quibus sæpius *hoc tit.* diximus, quorum in *Leg.* 88. *hoc tit.* mentio singularis extat. Vide D. Cujacium ad L. 27. *ff. de Pactis*, & *lib.* 10. *Observat. cap.* 14.

Pertinent etiam ad hunc tractatum L. 10. & L. 24. *Cod. hoc tit.* si minores in solidum pro pecunia rem mobilem vel immobilem majoris pretii dederint, esse locum restitutioni; majores restitui non posse, sicut nec adversus emptionem venditor restituitur. In *d.* vero L. 24. notandum quod dicitur, creditori qui pluris distraxit industriam atque eventum meliorem prodesse, non autem debitori qui dedit in solutum: idest etiamsi vel plus dimidio creditor distraxerit, vel quia stultum emptorem repererit, vel quia fundum suis operis & industria excoluerit, non rescindetur datio in solutum; sicut nec iisdem casibus resciinderetur venditio. Nec enim alio modo beneficium rescissionis competit, nisi dimidio justi pretii res fuerit vendita L. 3. 6. 7. & 15. *Cod. de Rescindenda venditione*. Quibus ex locis, maxime ex *d.* L. 24. *Cod. hoc tit.* verum & justum pretium intelligimus non definiri ex singulorum opinione, sed ex communi usu & commercio; & iterum, æstimatur tempore venditionis quanti res fuerit; non autem spectatur tempus quo agitur ad rescindendam venditionem. Aperte etiam ex contrario sensu *d.* L. 24. colligimus beneficium *d. Legis* 3. *de Rescindenda venditione* habere etiam locum in datione in solutum, sicut in venditione. *Ad L. 10. & 24. Cod.*

Pertinet etiam ad dationem in solutum L. 45. *ff. hoc tit. initio*, quæ longe difficilior est quam videatur prima facie. Et quidem distinguendum primo inter varia pacta, quæ pignoribus solent adjici: & similia inter se sunt valde. In L. 34. *ff. de Pignerat. act.* convenit inter creditorem & debitorem, ut pignus creditor sibi emptum haberet: In L. 1. *Cod. de Pactis pignorum*, debitor promittit si intra certum tempus non solvat, se pignoribus cessurum: in *nostra* vero *Lege* 45. prædia pro dote pignori obligata debitor spopondit in solutum dare. Primo casu valet emptio, & acquiritur res vendita creditori: potest enim debitor rem pignori obligatam vendere creditori, sicut & alii cuilibet L. *Rescriptum ff. de Distractione pignorum*: Semel autem perfectus venditionis contractus rescindi non potest, etiamsi debitor offerat postea sortem & usuras, *d.* L. 34. Qui vero tantum promisit se pignoribus cedere, valet quidem conventio, nec reprobatur, ut male Glossa & Interpretes: sed id tantum intelligitur actum, ut jure communi creditor utatur, & distrahat pignora. Quod si in solutum dare spoponderit res pignori obligatas pro dote, accedit illa conventio principali contractui de dote; nec tamen per hujusmodi *Ad L. 45. initio Dig.*

modi stipulationem contractus dotis novatus intelligitur: quare adhuc integrum est marito, vel offerre pecuniam dotalem secundum primum contractum, vel res obligatas pro dote in solutum dare juxta stipulationem.

Nec distinguimus in specie L. 45. utrum pignus corporaliter sit constitutum, inducta uxore v. g. in possessionem ab initio in constituendo pignore, vel utrum nudo consensu tantum. Generaliter *Lex nostra* 45. loquitur, ut confirmat L. 17. §. 1. *ff. ad SC. Vellejanum*, & tandem Cujacius docuit improbata sententia Pauli Castrensis ad *d.* L. 45. Vera ratio differentiæ assignanda est. In L. 34. *ff. de Pig. act.* agitur de emptione pignoris; in *nostra* L. 45. de datione in solutum, quæ licet habeat multa similia cum emptione & venditione, tamen in plerisque differt. Quod autem diximus si ita convenerit, *nisi intra certum tempus solvatur, debitorem pignoribus cedere*, *d.* L. 1. *Cod. de Pactis pignorum:* ita accipiendum, scilicet non impedire debitorem quominus creditor utatur jure communi tam in persequendo quam distrahendo pignore. Diximus etiam valere & justam esse illam conventionem.

Si vero ita convenerit; *Si intra certum tempus pecunia non fuerit soluta, dominium pignoris pleno jure maneat penes creditorem pro debito:* hæc conventio est illicita & improbata, & vulgo appellatur Lex Commissoria L. *ult. Cod. de Pactis pignorum:* sæpissime enim debitor res etiam pretiosissimas obligat pro minima quantitate pecuniæ debitæ. Valet tamen illa conventio pignori apposita: *Si intra certum diem solutum non erit, res empta sit creditori certo pretio, tunc constituendo*, L. *Si fundus* §. *ult. ff. de Pignoribus:* tunc enim omnis fraus & dolus summovetur, quia rei pignori datæ & venditæ justum pretium arbitrio boni viri constituetur postquam finitum erit tempus facultatis redimendi: & ita conditionalis erit venditio, quæ permittitur si fraus cesset §. *penult. Instit. de Emptio. & vendit.* Atque ita diligenter distinguendæ sunt quinque illæ species conventionum, quæ pignoribus apponi solent.

Ad L. 31. & L. 98. §. 6. *Dig.* Sicut autem aliam rem solvi non posse pro alia quæ fuit promissa probavimus supra; ita aliud factum pro alio quod promissum fuit solvi non potest L. 98. §. *Mihi Roma ff. hoc tit.* quamvis & in hoc articulo plures intercedunt differentiæ inter obligationes quæ in facto, & inter eas quæ versantur in dando; quia scilicet parum interest creditoris, quis det quod promissum fuit, vel debitor vel alius; multum vero, quis faciat, præsertim quoties industria certi artificis est electa *Leg.* 31. *ff. hoc tit.* Itemque si alibi detur pecunia quam ubi promissa est, liberatio contingit, & agitur in id tantum quod interest: aliud si in facto versetur obligatio: nec enim liberatio contingit, & iterum peti potest propter inutilitatem præstationis L. 2. §. *Idem Julianus ff. De eo quod certo loco.*

Præterea distinguere debemus inter facta. Alia aliquod opus post se relinquunt; v. g. si spopònderim me domum ædificaturum aut navem, vel quid aliud effecturum, ita ut post operationem supersit aliquod opus, & ex opere facto aliquod corpus vel absolutum, quod ἀποτέλεσμα vocant L. 5. §. *ult. ff. de Verb. sig.* vel etiam imperfectum L. *In executione* 25. §. 2. L. 11. §. *penult. ff. de Leg.* 3. L. *Qui insulam* §. *Qui ædes ff. locati.* Aliquando post operationem nihil remanet, v. g. si stipulatus fuero me pro-

profecturum aliquo, me facturum ne prohibearis ire, agere, habere; nullum opus post hujusmodi facta superest, sicut nec in saltatione vel cantu. Quoties autem aliquod opus remansurum est post operationem, potissimum illud opus spectasse videmur: itaque etiam per alium vel per hæredem potest impleri. Potius enim opus ipsum quam artificem spectavimus, nisi nominatim a promittente illud opus fieri convenerit L. 31. *ff. hoc tit.* & L. 11. §. *ult. de Leg.* 3. Quoties vero facta sunt hujusmodi ut sint dum fiunt; postquam vero facta sunt, amplius non sint: necessario solam personam agentis spectamus, quia nullum opus relinquitur, in quo intendisse videamur: ideo per alium hujusmodi facta non possunt explicari, non per fidejussorem, non per hæredem *d.* L. 31. *junctis* L. 43. 45. & 57. *ff. de Verb. oblig.* & ad eas Dominus Cujacius.

Supersunt duæ reliquæ partes hujus Tractatus, quas supra attigimus. Prima quidem, si res plures simul pure vel sub alternatione debeantur, quomodo recte solvi possunt. Secunda generalis est, sive una sive plures res aut facta, seu pure seu sub alternatione promittantur, utrum & quibus casibus solutio pro parte pariat liberationem pro parte. De prima præcipue in L. 21. §. 1. 33. §. 1. 34. *initio* §. 1. 2. & 10. 57. 67. §. 2. 72. §. 4. & 93. §. *Mihi Romæ ff. hoc tit.*

De secunda potissimum in L. 90. §. 1. & *seq.* 29. 34. *initio*, §. 1. & 2. & L. 6. & 21. *Cod. hoc tit.*

Ad primam respondeamus. Vel plures res ejusdem vel diversi generis, aut facta plura, vel simul res & facta promissa fuerunt, aut pure aut sub alternatione. Itemque vel debentur uni & eidem, aut pluribus correis; vel etiam solvi possunt adjecto solutionis gratia, de quo supra diximus. Subjiciemus etiam quasdam species, quæ licet videantur similes obligationi alternativæ, tamen ab alternativis differunt; v. g. *Si fundus Titianus datus non erit, vel si domus ædificata non fuerit, centum dari*. Vel contra, *si centum data non erunt, domum aut navem ædificari*; vel etiam *decem in melle dabo*, de quibus agitur in L. 57. *hoc tit.* L. 89. §. *penult.* L. 105. & *ult. ff. de Verbor. oblig.* L. 44. §. *penult.* & *ult. ff. de Oblig.* & *act.*

Deducuntur res plures in obligationem & pure sub hac forma: *Stichum & Pamphilum dare*; vel *Stichum & decem*, *domum & fundum dare*, & *opus aliquod facere*, *sortem & usuras*. His casibus quia exprimuntur singillatim & distincte in stipulatione corpora singula vel facta; tot erunt stipulationes, quot res vel facta. Alioquin si non fuerint designatæ & expressæ singulæ res, sed sub uno nomine collectivo comprehensæ, unica intelligitur stipulatio; quamvis sub uno communi nomine plura corpora comprehendantur; v. g. si servorum familiam, lecticarios, servos, equorum quadrigam vel bigam, peculium, vestem, supellectilem, acervum tritici vel pecuniæ promisero; quamvis plura sint corpora, unica erit stipulatio & unum legatum L. 29. 75. §. *Qui sortem*, & 86. *ff. de Verb. oblig.* & L. 6. *ff. de Leg.* 2. Quoties autem debentur res plures seorsim enumeratæ, sæpius agi potest, peti alia, relinqui & sperni. Si in stipulatione singillatim contrahenda de rebus pluribus aut factis, de quibusdam respondero & promisero, de reliquis tacuero; obligabor tantum ad præstationem earum quas promisero: plures enim intelliguntur stipulationes esse. Quod si unica foret stipulatio; quia responsio non conveniret interrogationi, nihil actum cen-

feretur §. *Quoties plures res Instit. de Inutil. stipulat.* & *d.* L. 29. *ff. de Verb. oblig.* & ad eam Cujacius.

Ad L. 29. §. 1. *Dig.* Ad hujusmodi stipulationes pertinent L. 29. §. 1. & 67. *ff. hoc tit.* multum ab interpretibus vexatæ. Et quidem ad interpretationem *d.* L. 29. sperandæ sunt tres obligationum formæ: *Stichum & Pamphilum dari*: aut adjectione numeri, *duos Stichos aut duos Pamphilos dari*: vel indefinite, *duos homines*, *decem homines*. Duas postremas comparat Jurisconsultus cum ista formula, *decem denarios dari*, *decem dolia vini*, *vel olei*, &c. Iterum quæritur quomodo divisio fieri debeat, si pluribus debeatur sub illis formulis; v. g. ut in L. 29. communi servo stipulante, quomodo solutio fieri possit pluribus dominis, quibus per servum communem pro partibus dominicis jus in obligatione quæsitum est; vel etiam defuncto stipulatore relictis pluribus hæredibus, quomodo inter plures hæredes solutio & divisio facienda sit: plures enim hæredes cum pluribus dominis servi communis in hac quæstione conjungi probant evidenter L. 54. & 117. *ff. de Verb. oblig.*

Et quidem divisio duplex est, vel numero, quæ dicitur commodior promissori stipulatoribusve, In nostra Lege, quia per unam discedit ab omni communione; divisio fit pro diviso & corporaliter. Alia est divisio, quæ pro indiviso est, & specie fieri dicitur, nempe quando partes singulorum corporum singulis pro indiviso assignantur; tunc enim non receditur ab omni communione: hujusmodi quippe divisio pro indiviso est intellectualis, non corporalis. Divisio autem, quæ fit numero, habet locum quoties genera vel quantitates relinquuntur: quamvis enim & genera & quantitates de individuis pluribus & de corporalibus constent, intellectu tamen solo consistunt, sicut & jura quæ incorporalia sunt, licet in corporibus subsistent. Per consequens genus & quantitas, cum sit incorporalis, non potest dividi corporaliter, sed intellectu tantum; ideoque numero, non autem specie & corpore, sive per partes singulorum corporum. Decem itaque hominibus indefinite promissis, numero fiet divisio: homo enim est nomen generis specialis, quod sub se continet compendio verborum plura individua. Idem dicendum, si quantitas debeatur: sicut enim genus; ita quantitas mente percipitur, nec corporibus æstimatur: itaque fiet divisio numero inter plures dominos vel hæredes, ut in Legibus citatio, si centum denarii, centum modii frumenti, certum pondus olei, promittantur, numero fiet divisio: quod Jurisconsultus ait semper intelligi actum in iis quæ communi specie continentur *d.* L. 29. *hoc tit.* idest quæ ita sunt inter se similia, ut eadem prope individua videantur, quamvis neutra divisa sunt: quæ & dicuntur functionem recipere, idest unum alterius loco sine ullo detrimento posse subititui. Idem & in operarum obligatione inter plures patronos dividenda: operæ enim, sicut genera, & quantitates, non sunt in rerum natura, sed futuræ sunt, postquam patronus eas indixerit. Dividentur, inquam, non in partes, sed in numerum, L. 9. & 15. *ff. de Operis libertorum*, juncta L. 64. §. 1. *ff. de Verb. oblig.* Quod si species certa, idest individuum relictum sit, Stichus v. g. aut Pamphilus, per corpora fiet divisio, pro indiviso tamen, non numero: nec enim Stichum solvere licet uni ex dominis aut hæredibus, alteri vero Pamphilum, sed dimidiæ singulorum partes pro indiviso præstari debent *d.* L. 29. *hoc tit.*

Ubi

Ubi vero quis duos Stichos vel duos Pamphilos debet ambigua est significatio illorum verborum propter adjectionem notæ numeri, utrum fiat numero divisio, vel utrum pro indiviso; quia certa corpora nominatim, Stichus & Pamphilus, designata sunt. Et quidem expeditum esse ait, si decem denarii promissi fuerint, vel quid aliud quod pondere, numero & mensura constet; nempe numero fieri divisionem, scilicet propter naturam hujusmodi rerum, quæ communi specie contineri dicuntur in *d. L. 29.* idest ita inter se sunt similes, ut una pro alia substituta & reddita eadem numero esse videatur. Difficilius in duobus Stichis aut Pamphilis: alter enim altero pretiosior esse solet. Adjectio tamen numeri in illa obligatione tantæ est potestatis, ut in solutione retineatur, & secundum eam fiat divisio; quia in dubio commodior est & promissori & stipulatoribus hujusmodi divisio. Quare in *d. L. nostra*, *versiculo Idemque*, recte Cujacius negationem, quæ abundabat *initio Legis*, ad *versiculum Idemque non est*, &c. reponit. Et recte etiam subintelligit conclusionem istam: sicut decem denariis debitis divisio numero fit, ita etiam hominibus decem, vel duobus Stichis vel duobus Pamphilis promissis, divisio fiet numero, non autem pro indiviso; alioquin manifeste pugnaret *d. L. 29.* cum *L. 54. & 117. ff. de Verb. oblig.* Vide Cujacium ad L. 54. *& lib. 15. Observat. cap. 24. & Notata* Mercatoris *lib. 2. cap. 21.*

Nec minus difficilis *Lex 67. ff. hoc tit.* in qua definitur duobus hominibus promissis vel legatis indefinite, vel summa centum, obligationem dissolvi posse, vel unicum Stichum bis dando, v. g. Si contingat Stichum quem primo solvi, iterum in meum dominium redire: vel si qui centum debet, eadem decem quæ prius numeravit, novies postea numeret. Et quidem in pecunia nullam esse dubitandi rationem Marcellus ait. Ratio dubitandi tam in legato quam in stipulatione, quia sicut quod meum est inutiliter ab initio in stipulationem deducitur; ita quoties in eum casum devenerit a quo non potuerit incipere, v. g. si dominus effectus fuero semel, irrita stipulatio constituetur, & liberabitur debitor §. *Item contra Instit. de Inutil. stipulat.* §. *Si res aliena Instit. de Legatis*, *L. 16. ff. de Verb. oblig. juncta L. 72. §. 4. hoc tit.* Per consequens quod meum semel factum est, amplius non poterit solvi. Verum hæc regula plures habet exceptiones, v. g. si non ex lucrativa causa debeatur: itemque si res pervenerit ad creditorem facto promissoris, sicut in specie hujus Legis, in qua eutema Marcelli proponitur; in quo qui duos vel plures homines debet, unius Stichi solutione repetita sæpius, & qui centum debet, eorumdem decem præstatione decies repetita volente creditore liberatur, perinde ac si duos vel plures homines vel solida centum solvisset; quamvis donationis & liberalitatis plurimum admixtum habeat hujusmodi solutio, & videatur potius donatio quam solutio. Ideo autem per solutionem debitor liberatus intelligitur, tum quia ab initio solvendi animum habuit, tum etiam quia revera creditor vel Stichum vel decem postremo numerata novissime retinet, quasi in principio & fine solutio & numeratio intervenerit. Quare creditor non potest dici donasse; sed contra debitor solvi dici potest, licet non duos homines, sed unum; non centum, sed decem tantum solverit: sicut aliquando contingit donationis speciem & figuram quandam inesse in emptione, societate, locatione, *Ad L. 67. Dig.*

Fff 2 quo-

quoties vel dicis causa (*par maniere de dire*) vel vili pretio addicitur eo colore, ut possis dicere te aliqnid numerasse: qui contractus non habentur pro donatione; & admittuntur hujusmodi fictiones Juris secundum voluntatem contrahentium, expediendorum negotiorum gratia; dum ne per hujusmodi fictiones color & prætextus quæratur ad fraudandas Leges: v. g. qui prohibetur donare, imaginariæ venditionis commentum quærere prohibetur L. 20. *ff. de Reb. cred.* L. 4. *ff. Commodati.*, L. 55. *ff. de Contrah. empt.* L. 16. *ff. de Reg. jur.* & L. 66. *ff. de Jure dot.*

In fine vero *Leg.* 67. varietas lectionum occurrit. In Florentinis, *solvisse potius quam decessisse*, legitur. In vulgata, *dedisse*. Florentinam ita explicat Merilius *lib.* 3. *Variantium ex Cujacio cap.* 7. Titium debitorem, qui eadem decem decies creditori solverit, non tam solvisse centum quæ debebat quam decessisse, idest ut subintelligit, ab obligatione discessisse voluntate creditoris; ita ut hic tertius modus sit inter acceptilationem quæ sine numeratione fit voluntate creditoris per imaginariam solutionem & verbis tantum, & inter solutionem quæ in solidum & in plenum fieri solet: non autem eo animo ut solutos nummos statim retro acciperet debitor L. 55. *ff. hoc tit.* Merito vero re-

Ad Leg. 55. Dig. jicit hanc dubitandi rationem Marcellus, ut diximus supra; sicut & in L. 38. *ff. de Contrah. empt.* & *in* L. 8. *Cod. de Rescind. vendit.* Non ideo minus intelligitur emptio valere, quod viliori pretio fiat. In *d.* vero L. 55. ideo non valet solutio, quia nihil remansit penes creditorem, & quia eo animo solvit debitor ut reciperet, lusisse videtur.

Dominus vero Cujacius aliter accepit in *Paratitulo ff. hoc tit.* & *ad* L. 20. *ff. de Reb. creditis in posthumis*, prædicta verba: ubi rejecta Florentina, prætulit vulgatam, *solvisse potius quam dedisse*: hoc nempe sensu, ut ad creditorem ea verba referat. Et ita explicat, creditorem qui accepit nummos a debitore eo animo, ut eos retro redderet debitori, donasse potius videri quam solvisse, idest absolvisse & liberasse debitorem: liberandi enim & solvendi verba communia sunt debitori & creditori L. 91. *hoc tit.* idest creditorem potius animum habuisse donandi quam absolvendi. Quam explicationem prætulero posteriori emendationi ejusdem Cujacii In *Explicationem* §. 3. *Mævius ff. de Leg.* 2. *ad. Quæst. Pap.* & etiam explicationi Merillii: quia præcedentia *d.* L. verba innuunt, controversam illam clausulam ad creditorem potius esse referendam quam ad debitorem.

Veniamus ad obligationem alternativam, in qua nempe duæ res vel plures, aut facta, vel permixtim res aut facta sub alternatione promittuntur. Sive unus sit debitor & creditor, sive plures creditores in solidum, vel debitores; tunc dicimus licet alternative promittantur, utrumque, rem & facta poni ad obligationem, non ad solutionem L. 128. §. 1. *ff. de Verb. oblig.* L. 44. §. *Modus*, *ff. de Obligatio.* L. *Illud aut illud ff. de Constituta pecunia.* Non ita si quis duas res stipuletur, *sibi decem, aut Titio Stichum dari*, utraque res non est in obligatione, sed decem tantum; Stichus vero est tantum in solutione: nec enim in persona Titii adjecti consistere potuit obligatio: imo nec ipso jure alia res in persona Titii de-

Ad L. 34. §. 2. 57. §. 1. & 98. §. 6. Dig. signari potuit. Quare solutio Sticho Titio, non ipso jure, sed per exceptionem tantum liberatur promissor L. *ult.* §. *Cum mihi aut Titio ff. de Verb. oblig.* juncta L. 34. §. 2. & L. 98. §. *Mihi Romæ ff. hoc tit.* in quibus

bus quod dicitur liberari debitor, & liberationem contingere, intellige secundum *d. L. ultimam* non ipso jure, sed per exceptionem, quæ ideo competit, quod in utroque casu electio debitoris sive promissoris completur, subtilitate Juris rejecta; idest jus &. facultas solvendi, quæ debitori competit, etsi res diversæ sint, in persona tamen contrahentium voluntatum & conventionum fidem implet, & ad effectum perducitur; perinde ac si eadem res vel diversæ, quæ sub alternatione promissæ fuerunt stipulatori primum, repetitæ fuissent deinde in persona Adjecti. Quoties tamen adjecto fit solutionis gratia, si patiatur debitor a se peti & litem contestari, non potest amplius eligere & solvere Adjecto *d.* L. 44. §. 2. *&* L. 57. §. 1. *ff. hoc tit.*

Aliud in alternativis, quia in his utraque res in obligatione posita est; in Adjecto una tantum est in obligatione, alia in solutione. Eademque ratione stipulator quod sibi promissum fuit petere potest, nulla mentione facta Adjecti: itemque si alia res sit designata in persona Adjecti, non tenetur illius facere mentionem; quamvis in alternativa utramque debeat petere sub alternatione: nam si alterum tantum olim petiisset, causa plus petebat, & causa cadebat, §. *Si quibus agens Instit. de Actio.* L. 44. §. *Modus ff. de Oblig. & actio.* in qua recte additur hæc limitatio, *quamdiu utrumque est*. Quid enim si perierit, vel extinctum sit sine dolo & culpa promissoris *L.* 9. §. 1. *&* L. 72. *ff. hoc tit*. Tunc enim ad unam rem deducetur obligatio. Nam si culpa debitoris aut creditoris versetur, qui forte oblationem opportune factam recusavit, debitor liberabitur, ita ut nec alteram quæ superest, teneatur præstare, vel ipso jure secundum Sabinum, vel per exceptionem L. 16. *&* 105. *ff. de Verb. oblig.* Quamvis autem in una re consistat obligatio, si alterutra res perierit, sive facto debitoris, ante oblationem scilicet, sive facto creditoris; poterit tamen electio competere debitori, nempe ut rei extinctæ æstimationem adhuc præstando liberetur L. 47. §. *Sed si Stichus ff. de* L. 1. ibi: *Aut absentis æstimationem*: & postea: *fortasse vel mortui pretium*. Cujacius ad L. 16. *&* 105. *ff. de Verb. obligatio.* Adeo enim in alternativis ad debitorem pertinet electio, ut etiam sæpius variare possit, nisi tempus expressum sit intra quod eligat L. 106. 112. *&* 138. *ff. de Verbor. oblig.*

Ad L. 9. §. 1. 34. initio §. 1. 2. & 10. Dig.

Tenetur invicem debitor alterutrum præstare, & quidem in solidum, nec deterius factum nec dimidiam unius rei partem solvendo, alterius rei dimidia liberabitur; imo nulla ex illis partibus proficiet ad solutionem: electio enim ejus arbitrio tantum relicta est: alterutram autem convenit in solidum præstari L. 9. §. 1. 34. *initio, &* §. 1. 2. *&* 10. *ff. hoc tit.* L. 17. *ff. de Acceptilationibus*, juncta L. 26. *Nam si rem* §. *penult. & ult. ff. de condict. indeb.* Quod si pars tantum soluta fuerit, quamvis solutio partis vel acceptilatio partis volenti creditori facta obligationem pro parte perimere dicatur *Instit.* §. 2. *Quib. mod. tollitur oblig.* & L. 9. §. 1. *ff. hoc tit. & in L.* 17. *ff. de Acceptilationibus*; ita intelligendum, si reliquam postea partem ejusdem rei debitor solvat, v. g. si prius solverit quinque, reliqua deinde quinque solvere debet, vel prius Stichi parte soluta, ejusdem Stichi partem solvere tenetur; non autem alterius servi, sive ab uno & eodem debitore, sive a duobus correis debendi, sive a duobus fidejussoribus petatur, sive etiam ab hære-

hæredibus. Nec enim possunt facere, ne consequatur debitor quod sibi dari stipulatus est: alterutrum autem stipulatus est in solidum L. 85. §. *Pro parte ff. de Verb. oblig.* Quod si solutæ fuerint rerum diversarum partes ab uno vel a pluribus, integra manebit obligatio, nec ullus liberabitur *d.* L. 9. §. 1. L. 34. §. 10. *ff. hoc tit.* & L. 26. §. *ult. ff. de Condict. indeb.* Si tamen pars rei quæ superest solvatur, liberatio continget, & alterius rei pars repeti poterit per condictionem indebiti: quinimo qui debebat decem aut Stichum, si primo quinque numeravit, mutata postea sententia poterit Stichum integrum solvere, & quinque repetere: & ita ex alternativis obligationibus ex eventu colligimus, utrum partis solutio proficiat ad liberationem. Quam quæstionem ad condictionem indebiti etiam pertinere *d.* L. 26. *ff. de Condict. indebiti* significat. Nec pugnat cum L. 17. *ff. de Acceptil.* ut apertissime D. Cujacius explicavit ad §. 1. L. 34. *ff. hoc tit.* Alioqui partis solutio volenti creditori facta parit liberationem: ejusdem tamen rei, non autem alterius pars postea solvi debet.

Duabus autem rebus sub distinctione sive alternatione, seu disjunctione promissis; ut creditor utriusque in petitione mentionem facere debet; ita etiam partium quæ supersunt petitionem sub alternatione instituere, v. g. quinque reliqua vel dimidiam partem Stichi *d. L.* 17. *ff. de Acceptilat.* quo casu volenti & petenti creditori alterutram partem solvere potest, quamvis debitor dimidiam partem alterutrius rei diversæ offerendo non liberaretur. Nec obstat quod dicitur in *L.* 85. §. *pro parte ff. de Verb. oblig.* si inter plures cohæredes divisa sit obligatio & exactio pro parte, nihilominus tamen petenti creditori partes rerum diversarum sub alternatione a singulis hæredibus pro portionibus hæreditariis, debebit vel præstari Stichus integer vel solida decem, ne melior fiat conditio hæredum quam defuncti ipsius, a quo alterutrum in solidum potuit consequi creditor; cui nihil potest objici quod partes sub alternatione exegit: id enim non sponte sed coactus fecit auctoritate Legis duodecim Tabularum.

Observandum etiam dissensisse Jurisconsultos in quæstione quæ proponitur in §. *ult. d.* L. 26. *Si non fortem*, & L. 32. *initio*, & . *ult. ff. de Condict. indebiti*, & *in* L. 19. *ff. de Leg.* 2. cujus auctor est Celsus; nempe quando debitor qui sub alternatione debet, per errorem utramque rem solverit, utrum iterum eligere possit quam velit ex illis per condictionem indebiti repetere; an vero electio referri debeat ad creditorem. Quam controversiam explicavit rectissime dominus Cujacius *lib.* 8. *Observat. cap.* 35. Sabiniani electionem debitori dabant: quamvis enim existimabant per errorem privari debitorem electione, quæ ei competebat ex Lege dicta in contrahendo: quorum opinionem sequitur Julianus, ut constat ex *d.* L. 32. *initio*, & §. *ult. ff. de Condict. indeb.* Contra vero Proculeiani, Celsus & Marcellus. L. 19. *ff. de Legat.* 2. putabant electionem creditori datam videri a debitore, qui utrumque solvisset, hac ratione, quia in condictione indebiti qui ante fuerat creditor, incipit esse debitor: itaque in eum translatam dicebant electionem. Subtilior tamen visa est Justiniano ratio ista Proculeianorum, & æquius visum est formam in contrahendo appositam sequen-

quendam esse, & ignoranti debitori qui certat de damno, veniam dandam, *L. penult. Cod. de Condict. indeb.* quæ est una ex 50. *Decisionibus* Justiniani in *Codicem* 2. *editionis* relatis, in quibus jus controversum inter antiquos Jurisconsultos diremit: *veteris Juris altercationes placasse* dicit Justinianus §. *& dedititios Instit. de Libertinis*, & ibi Cujacius, & in *præfatione Paratitulorum Codicis*. In Constitutionibus vero specialiter dictis jus quod certum erat emendatur.

Perstrinximus aliquid de divisione solutionis, quæ non ex voluntate stipulatoris, sed eo invito auctoritate & potestate *Legis* 12. *Tab.* inducitur inter plures cohæredes vel debitoris, vel creditoris pro parte, qua quisque hæres est. Nomina enim ipso jure inter hæredes Lex ita dividit, ut non veniant in judicium familiæ herciscundæ. Quod de personalibus actionibus intellige: pignoris enim & hypothecæ jus individuum est. Itaque pro parte exactio & solutio fieri debet. Observandum tamen naturam rerum aliquando impedire divisionem. Quid enim si servitus, si opus aliquod aut factum debeatur? Hoc casu a singulis solidum necessario petitur & solvitur, quia pro parte præstationem non recipiunt. Aliquando contra pars quidem petitur, solidum vero solvi debet. Ponamus plures cohæredes vel plures correos debendi, aut fidejussores plures hominem debere indefinite. Sane diversorum hominum partes solvi non possunt: aliud enim quam quod promissum est solveretur. At si certus homo promissus sit, pars peti debet, & qui partem solvit, ipso jure liberatur: cohæres tamen, aut correus, aut confidejussor tenentur residuam partem Stichi præstare, non autem alterius servi L. 9. L. 34. *initio* §. 1. *&* 10. *hoc tit.* L. 85. §. *Pro parte ff. de Verbor. oblig.* Item in alternativa si unus aut plures decem aut hominem promiserint, vel si plures cohæredes debeant, a singulis cohæredibus sub alternatione partes quidem petentur, sed alterutrum in solidum solvendum erit a cohæredibus *d.* §. *Pro parte & d.* L. 34. §. 10. *hoc tit.* alioqui melior esset conditio hæredum quam defuncti. Solidum vero aliquando petitur a cohæredibus; partis tamen solutio parit liberationem, & in solutione admittitur sectio, v. g. in stipulatione de evictione omnes hæredes in solidum denuntiari debent; unicuique tamen pro parte hæreditaria præstatio injungetur, quia dimin[u]tio in certam summam resolvitur, quæ facile divisionem recipit inter cohæredes *d.* L. 85. §. *In solidum*, L. 4. §. *ult. &* L. 139. *ff. de Verb. oblig.*

Observandum etiam partis solutionem volenti creditori factam perimere tantum obligationem pro parte, ut diximus, in reliquum integram obligationem & exactionem remanere; licet creditor qui partem tantum recepit, profiteatur in apocha se recepisse solidum L. 6. 21. & 23. *Cod. de Solutio.* Quid enim si spe futuræ numerationis caverit, vel si qua alia ex justa causa, ut in specie *Legis* 23. *Cod. hoc tit.* his casibus residui petitio manet integra, quia in solutione corporalis numeratio requiritur: & sicut in mutuo non quatenus dictum vel scriptum, sed quatenus est numeratum, contrahitur L. 11. §. 10. *ff. de Reb. credit.* L. 9. *Cod. de non numerata pecunia*: & locus erit exceptioni non numeratæ pecuniæ adversus opponentem exceptionem. Excipe

Ad L. 6. 21. 23. *Cod.*

cipe nisi donationis vel transactionis causa partem debiti solvi convenerit, & in scripturam solidum conferri : itemque si parte pecuniæ soluta naturaliter, pro residuo per acceptilationem debitorem liberari placuit : acceptilatio enim est imaginaria solutio, nec desiderat numerationem. Quare adversus eum non potest opponi exceptio non numeratæ pecuniæ, quia hoc agitur in acceptilatione ut verbis liberemur ; in apocha corporalem solutionem spectavimus: quam differentiam inter acceptilationem & apocham fusius in *Paratitulo* explicavimus.

Quia vero solutio partis non minima habet incommoda L. 3. *ff. Familiæ hercifcundæ*, invito creditori partis solutio fieri non potest ; nisi convenerit ut particulatim solvere liceret L. *Tutor.* §. *Lucius ff. de Usuris ;* vel nisi Lex permiserit : nam ut supra diximus, inter plures cohæredes *Lex* 12. *Tab.* nomina divisit ; vel ex *eadem Lege* dos recte solvitur annua, bima, trima die, & ex constitutionibus Canon fundorum emphyteuticorum & fiscalium tribus per singulos annos vicibus & pensionibus solvi permittitur L. *Placuit* 4. *Cod. de Collatione fundorum patrimonialium*. His casibus exceptis partis oblatio vel depositio nolenti creditori facta, nec ab usuris, nec a pœna, nec a periculo liberat : nec enim pignus luitur pro parte *d.* L. *Tutor* §. *Lucius* L. *Trajectitia ff. de Oblig. & actio.* L. 4. §. *Omnis*, *ff. de Pigner. actione*.

Objicitur L. 21. *ff. de Reb. credit. &* L. 8. *Permittendum ff. Si pars hæredit.* Utraque ex *lib.* 48. *Digest.* Juliani, in quibus Legibus sive agatur actione in rem universali, v. g. petitione hæreditatis, sive actione in rem speciali, idest rei vendicatione fundus vel domus petatur, & possessor hæreditatis vel fundi vel domus paratus sit partem hæreditatis aut domus aut fundi offerre vel cedere, nec controversiam facere ; reliquam tantum partem defendere & ad se pertinere contendat : Julianus ait humanius esse permitti possessori partem offerre & cedere, sicut & si centum petat actor, & debitor 50. tantum dare paratus sit ; humanius Prætorem facturum ait, si actorem compellat ad accipiendum quod offertur, & de residuo tantum actionem dare. Prætoris enim officium ait esse lites diminuere. Particularis itaque solutio invito creditori vel domino fieri potest contra regulas Juris.

Et quidem Glossa ad *d.* L. 21. *ff. de Reb. credit.* varias solutiones excogitavit, quas merito dominus Cujacius singillatim refutavit ad *d.* L. 21. *ff. de Rebus credit.* in *Commentario ad eum tit.* & aliam verissimam affert, nempe Prætoris auctoritati summæ *dictam Legem* 21. singulare jus illud attribuere : quod ita pluribus explicandum. In Jure & apud Prætorem, quamdiu judicia solemnia fuerunt, prima disceptatio & contestatio apud Prætorem facienda erat : ab eo erat impetranda actio, quam componebat Prætor, eique actioni Judicem addicebat (*il donnoit la commission & inseroit le nom du Juge*). In prima autem illa disceptatione apud Prætorem actor & reus, ambo præsentes erant, adhibitis testibus: in Jure pro tribunali desiderium & intentionem suam exponebant actor ; reus vero exceptiones suas allegabat ; si quid offerendum habebat, solebat etiam offerre: Prætor vero, qui æquitatis summus est arbiter, pro sua jurisdictione & potestate, si justa causa subesset, vel in totum denegabat actionem, ut in L. 30. *ff. hoc tit. &* toto

toto tit. ff. quarum rerum actio non detur : vel aliquando pro parte tantum actionem dabat, & partis solutionem cogebat admittere creditorem *d. L.* 21. *ff. de Reb. credit.* juncta *L. Permittendum ff. Si pars hereditatis.* Sed hæc summa potestas summis tantum Magistratibus permittitur, qui tribunal habent & præsunt jurisdictioni, qualis est Prætor in urbe, Proconsul & Præses in provinciis: Judicibus vero datis scindere actionem non licet, nec admittere particulares solutiones: sicut multo minus oblatio partis facta extra judicium non prodest debitori. Idque Prætorum & summorum Magistratuum proprium est, ut verissime docuit Cujacius ad *d.* L. 21. rejectis Glossæ & Interpretum solutionibus, & ad *Edictum* Juliani.

Ad alternativas obligationes, de quibus supra tractavimus; in quibus nempe licet plures res sub alternatione vel disjunctione ponantur, omnes tamen sunt in obligatione, non autem in solutione, accedunt tres obligationum formulæ, in quibus diversarum rerum præstatione & solutione debitor pro arbitrio suo defungi potest; nec tamen res illæ diversæ simul una & eadem obligatione continentur, sicut in alternativis. V. g. *Stichum dare, aut domum aut insulam ædificare promittis; vel si Stichum non dederis, vel domum aut insulam non ædificaveris, centum dare promittis.* Secunda formula statim incipit a conditione, *si Stichum non dederis, centum dabis.* Tertia, *centum in melle*, vel *in vino*, aut *tritico dare promittis*, ut in *L.* 57. *ff. hoc tit.* Hoc habent commmune tres illæ species cum alternativis obligationibus, ut in electione sit debitoris, quam ex illis rebus velit solvere; quamvis, ut deinde dicemus, duret magis electio in aliquibus: distant enim inter se plurimum hujusmodi formulæ, de quibus non tantum in stipulationibus, sed etiam in legatis quæritur in *L.* 44. §. *penult. & ult. ff. de Oblig. & actio.* L. 8. & 10. 84. 85. & 115. *ff. de Verbor. oblig.* & Cujacius ad *L.* 9. & 115. *ff. eodem titulo:* quibus adde L. 46. *ff. Mandatis*, L. 1. *ff. de Penu legata*, & L. 19. & 24. *ff. Quando dies legati cedat.* *Ad L. 57. Dig.*

Ita autem distinguendæ sunt tres illæ formulæ. In prima formula duæ sunt obligationes, ut puta *Stichum dari, vel domum ædificari*. Secunda conditionalis, *si non dederis Stichum, vel domum ædificaveris, centum dari.* Ex prima statim agi potest, ubi commode potuerit Stichus dari a promissore, vel domus ædificari: quinimo etiam post moram poterit promissor offerre Stichum, domum ædificare, licet amplius non sit in obligatione, sed sola centum; extitit enim conditio, & nata est obligatio in centum: quamvis in solutione tantum sit Stichus, vel domus; idest promissor liberari potest post moram, dummodo lis non fuerit contestata: post litis enim contestationem frustra Stichum offeret vel domus ædificationem L. 84. *ff. de Verb. oblig. L.* 1. *ff. de Penu legata*, & *L.* 57. *ff. hoc tit.* Prior enim obligatio transfusa & translata est in secundam quæ conditionalis, & centum deberi incipiunt. Prior obligatio quasi per novationem extincta est, proindeque Stichus vel domus non est in obligatione. Diximus post moram centum deberi; quia conditio extitit. Idemque dicendum si per promissorem effectum sit ne conditio existeret L. 85. §. *ult. ff. de Verg. oblig.*

Ex conditionali itaque sola centum debentur, nisi actum proponatur

tur ut utrumque deberetur, Stichus & centum: quod evenit in stipulationibus pœnalibus, in quibus pœna est extra rem quæ debetur, & utrumque præstandum est. Et hoc est quod vulgo dicitur pœnalem obligationem, quæ est accessio tantum, non novare primam sive principalem obligationem. Apponitur scilicet ex alia causa quam principalis, v. g. cessationis, contumaciæ vel indevotionis debitoris, vel legatarii coercendæ gratia, qui revera non coerceretur, nisi simul cum re principali pœnam etiam persolvat L. 28. *ff. de Actio. empti*, & L. 122. §. *Flavius ff. de Verbor. oblig.* In formula autem quam explicavimus, secunda stipulatio non est accessoria, non est pœnalis etiam: utraque est principalis, nec irrogatur pœna, sed quædam conditio infertur, ut diximus, sub qua prior obligatio resolvitur in secundam, & quasi novatio fit prioris obligationis, ut nominatim ait L. 44. §. *ult. ff. de Oblig. & actio.* sicut tandem Dominus Cujacius agnovit in *explicatione d.* L. 44. *in Recitationibus ad edictum* Pauli, aliter quam ad L. 115. *ff. de Verbor. obligatio. in Commentario* & in *Recitationibus ad Papinianum*: quibus in locis non recte solverat hunc nodum. Quamvis enim in *dicto* §. *ult. d.* L. 44. dicatur tantum fieri novatio; non est tamen vera novatio: novatio enim proprie tantum fit, cum mutantur quidem personæ debitoris vel creditoris aut utrinsque, vel quando mutatur causa & titulus debendi; sed tandem eadem res continetur in secunda obligatione quæ in priori. In specie vero quam tractamus, rei debitæ in prima obligatione, Stichi nempe vel domus, mutatio fit in sequenti, in qua pecunia tantum debetur. Sed ita nodum non solvit. Nam perinde per quasi novationem extinguitur prior stipulatio, sicut per veram novationem. Et ita remanet objectio, per pœnalem obligationem priorem & principalem non novari. Quare tandem agnovit hic non agi de pœnali stipulatione: nec enim, quod necessarium, pœnæ facta fuit mentio, vel actum fuit ut utrumque peteretur L. 115. §. *ult. de Verbor. oblig.* quod ita aliquando solet exprimi in transactionibus, ut rato manente pacto pœna petatur L. 17. *Cod. eodem.* Sive autem id actum sit ut utrumque petatur, vel alterutrum tantum. Papinianus in *d.* §. *ult.* ait idem defendendum, ut nempe ex posteriori stipulatione statim agi possit secundum Sabini sententiam in hoc articulo, idest statim atque moram fecerit promissor in dando Sticho, vel ædificanda domo, cum copiam & commodum habuisset juxta L. 1. *ff. de Penu legata*, & L. 84. *ff. de Verbor. oblig.*

Secunda formula est hujusmodi, *si Stichum non dederis, centum dabis*: quo casu non duæ, sed unica est tantum obligatio, & quidem conditionalis. Præterea una res est in obligatione, nempe centum: Stichus autem non est in dispositione aut obligatione, sed in conditione tantum & in solutione; idest unius obligationis & rei debitæ duæ sunt solutiones & præstationes: poterit enim debitor vel etiam ejus fidejussor vel Stichum vel centum solvendo liberari L. 44. §. *ult. ff. de Oblig. & act.* & L. 46. *ff. mandati*. Notandum præterea non committi istam stipulationem & ex ea peti posse, statim atque commode Stichus dari vel domus ædificari poterit; sed tantum postquam desierit per rerum naturam Stichus dari vel domus ædificari: eaque etiam ele-

electio ei manet integra post litis contestationem, aliter atque in prima formula; quia in ea & Stichus fuit in obligatione & centum; nisi dies appositus fuerit in conditione §. *Si quis ita Instit. de Verbor. oblig.* L. 8. 10. 115. *ff. de Verbor. oblig.* Stichus tamen & domus, idest id quod positum est in conditione & solutione, in solidum præstari debent; partis solutio nihil proficit L. 85. §. *penult. ff. de Verbor. oblig.* ne quidem inter cohæredes divisio fiet, si individua res debeatur L. 5. §. *ult. ff. de Verb. oblig.*

Superest tertia, *decem in melle, decem in frumento dare promitto:* in qua pariter decem sunt tantum in obligatione: mel tamen, vinum & frumentum non sunt in conditione, quamvis sint in solutione: facultatem enim debitor habet alterutrius rei præstandæ. Quæ tamen facultas tamdiu durat, quamdiu commode præstari potuit mel aut frumentum a debitore, ante litis contestationem scilicet: post litis contestationem amplius præstari non potest *d* L. 57. Quoties vero aliquid ponitur in conditione, facultas eligendi tamdiu durat, quamdiu potest præstari; sicut in alternativis obligationibus, in quibus res diversas non simpliciter ad solutionem tantum, sed etiam ad obligationem poni & applicari docuimus. Conditio pariter inseri, injici obligationi & actui dicitur, & perpetuo eam ita comitatur, ut ab ea separari non possit: quare mirum non est etiam post litis contestationem adimi non posse eam facultatem & optionem rei alterutrius præstandæ, cum ea facultas insit ipsi obligationi, & per consequens actioni & condemnationi, dummodo adhuc præstari possit, ut diximus.

Postremo id quod diximus, pœnalem stipulationem, quæ est accessoria, non novare præcedentem sive principalem, nec si quid exactum fuerit ex pœnali imputari in principalem, confirmatur L. 74. *hoc tit.* quæ desumpta ex *lib. 3. Regular.* Modestini. Quin nec si postea debitor solidum solverit quod principali obligatione continebatur; poterit compelli creditor ei restituere quod pœnæ nomine debitor dependit per condictionem indebiti L. 42. *ff. de Condict. indebiti. &* L. 46. *ff. de Regul. jur.* Aliud exemplum ad regulam propositam in *d.* L. 74. repeto ex L. 22. *ff. de Pigner. act. &* 79. *ff. de Furtis*, ad quam Cujacius alia plura exempla suppeditat. Nec tamen in eo sequendus quod dicit condictioni furtivæ inesse vindictam quandam & pœnam: continet enim condictio furtiva meram tantum rei furtivæ prosecutionem, vel ea consumpta aut extincta, veram æstimationem §. *ult. Instit. de Furtis, &* L. 55. §. 1. *ff. de Administ. & periculo tutor. in fine*, quasi specie condictionis aut ipsam rem, & ejus æstimationem. *Ad L. 74. Dig.*

AD LEGES XXXVIII. XLIII. LXXV. XCIII. XCV. §. 1. & 2. CIV. & penult. hoc tit. & Leg. II. Cod. eodem.

IN illis Legibus tractatur de confusione, quæ per aditionem fit L. 95. §. *Aditio ff. hoc tit.* & pro solutione habetur L. 50. *ff. de Fidejussoribus*, & inter species liberationum refertur L. 43. *ff. hoc tit.* Comparatur etiam acceptilationi in L. 75. *& penult. hoc tit.* ad quam etiam propius accedit quam ad solutionem. Acceptilatio civiliter obligationem tollit: Ita & per confusionem jure civili tollitur obligatio *dicto §. Aditio*; ad differentiam solutionis, quæ naturaliter tollit obligationem *d. L.* 107. Nec tantum confusio, sed etiam quæ differunt ab ea, compensatio & depositio pecuniæ pro solutione habentur. Quia tamen comparantur cum solutione, colligimus pluribus differentiis eas distingui a vera solutione & ab acceptilatione. Notandum est enim certos & legitimos esse modos tollendæ obligationis; eosque proprios veluti solutio & acceptilatio, de quibus *tit. Instit. Quib. modis tollitur oblig.* in quo *tit.* enumerantur proprii modi tollendæ obligationis, & in quo notandum nihil de confusione, compensatione vel depositione pecuniæ.

Definitur autem confusio concursus debiti & crediti in unam & eandem personam. Confusio porro inter tres aditionis effectus primus numeratur in *d. §. Aditio d.* L. 95. Præterea quia in confusione debiti & crediti jura in unam personam deveniunt, & idem fit debitor & creditor simul L. *penult. hoc tit.* distinguendæ sunt primo personæ debitorum & creditorum. Debere primum dicuntur qui principaliter obligantur, sive unus sive sint plures correi debendi. Debere etiam dicuntur fidejussores, sive adpromissores, mandatores, quamvis propter alterius contractus fidem accipiantur, sicut & hypothecæ & pignora, quæ tamen separari a personis obligatis in hoc tractatu de confusione, postea dicemus L. 38. §. *ult. &* L. 43. *ff. hoc tit. L.* 30. *ff. de Fidejussoribus, &* L. 59. *ff. ad S. C. Trebellianum*, L. 2. *Cod. de Fideicom. hereditat.* Contra vel unus est debitor, vel plures quibus in solidum debetur.

Generaliter autem observandum, confusionis effectus cum pendeat ab aditione, & hæreditarii juris pars sit, pro ea tantum parte fieri confusionem, pro qua parte quis hæres extitit. Quod in solidum & ex asse aliquis sit hæres & adeat, omnium omnino obligationum præcedentium confusio fit, & per consequens extinctio, exemplo acceptilationis generalis Aquilianæ, quæ omnes omnino obligationes præcedentes ex quacumque causa & in eum usque diem quo acceptilatio facta est, extinguit L. 75. *ff. hoc tit. d.* L. 1. 2. 5. *& 6. Cod. de Hæreditariis actio. &* L. 50. *ff. de Fidejussorib.* In quibus etiam notandum, hypothecas & pignora semper separari ab hæreditariis actionibus: & ut institutum ordinem repetamus, si debitor hæres existat creditori, non tantum debitoris, sed etiam fidejussoris obligatio perimitur, sive civilis sive naturalis sit, quia nemo pro

pro eodem apud eundem potest esse obligatus: quod eveniret, quia per aditionem debitor incipit esse creditor L. 21. *ff. de Fidejussoribus* L. 43. 75. & 95. §. *Aditio ff. hoc tit.* & L. *Debitor* 59. *ff. ad SC. Trebellianum*.

Idem dicendum si creditor debitoris hæreditatem adierit *d.* §. *Aditio*: tunc enim revera sibi solvisse intelligitur creditor & a se exegisse *L. Debitori ff. de Fidejussoribus*. Et hoc quoties vel unus debitor tantum, vel unus creditor tantum hæredes in solidum extiterint.

Quod si duo vel plures sunt correi stipulandi, vel debendi; si quidem unus ex reis stipulandi alteri extiterit hæres, non confunditur nec extinguitur obligatio, quia utraque est æque principalis, & major tantum & plenior obligatio potest confundere & extinguere minorem. Itemque dicendum si plures sint rei debendi, & unus alteri hæres extiterit: utraque obligatio subsistit: imo si uni ex correis debendi creditor hæres extiterit in solidum, adversus correum remanebit obligatio, nisi socii fuerint quo casu pro parte extincta censebitur obligatio: fidejussoris autem obligatio indistincte, sive sit socius, sive non, pro parte extincta censetur per confusionem, quia est accessoria principali. Idemque de mandatore L. 71. *ff. de Fidejussorib.* junge L. 13. *ff. de Duobus reis*, *L.* 5. §. *ult. ff. de Fidejussoribus*, & L. 93. *ff. hoc tit.* in cujus §. 1. *Item si duo*, sensus & consequentia suadet addi debere negationem. Vide Cujacium *lib.* 11. *Observationum cap.* 34. Notandum vero in hoc articulo differre confusionem a solutione, quamvis aliquando dicatur pro solutione haberi: nam uno ex pluribus correis solvente omnis omnino obligatio dissolvitur, omnes correi, fidejussores, mandatores, pignora & hypothecæ dissolvuntur.

Huc pertinet etiam L. 2. *Cod. hoc tit.* quam confirmat Lex 1. *Cod. Ne fiscus rem quam vendidit evincat*, in qua si fiscus duobus successerit, debitori & creditori, extinguetur confusione obligatio tam fidejussoris quam principalis, *d.* L. 71. *ff. de Fidejussoribus*; quamvis ex diversis stationibus debeatur fisco: ratione enim diversarum causarum, personarum & locorum fiscus dividitur quodammodo in plures fiscos sive in stationes fisci complures. Ideo vero confusio admittitur hoc casu, quia licet debeatur stationibus diversis, vel debeant diversæ stationes; unicus tamen fiscus & summa est, quæ ad unum Principem pertinet. Notandum aliud esse si privatus successisset; tunc enim non admitteretur confusio, ne continuentur diversorum efficiorum rationes inter diversos rationales *L.* 1. *Cod. de Compensatio.* Hactenus de confusione inter principales personas, qua tolluntur tam obligationes principales quam fidejussorum & mandatorum *d.* L. 71. *ff de Fidejussorib.*

Itemque notandum non tantum civiles, sed etiam naturales obligationes extingui per confusionem, & ad id tantum remanere obligationem naturalem, ut pignus conservet vel hypothecam, ut infra dicemus. Nam in aliis casibus extinguitur obligatio naturalis: v. g. diximus fidejussores per confusionem liberari, & mandatores etiam: atqui si per confusionem non extingueretur naturalis obligatio, fidejussor obligatus remaneret, qui & ab initio non tantum propter civilem, sed etiam propter naturalem

lem obligationem, ficut pignus & conftitutum, accipi potuit L. 6. §. *ult.* & *L. fequenti ff. de Fidejufforibus*. Præterea natura non patitur, ut idem homo pro duobus fumatur, idem fit debitor & creditor.

Quod fi fidejuffor vel mandator hæres inftitutus fuerit a creditore, vel contra creditorem hæredem inftituerit, ut in L. 43. *ff. hoc tit.* tunc facta confufione reus principalis non liberatur, quia nihil impedit quominus acceffione fublata, principalis obligatio, quæ major eft, maneat. Quod fi fidejuffor a debitore fuerit hæres inftitutus in totum vel pro parte, eadem ratione fidejuffor vel mandator liberatur in totum vel pro parte, & incipit principali actione tantum teneri. Idem dicendum, fi fidejuffor vel mandator debitorem hæredem inftituerint: prævalere enim debet Rei, ideft debitoris principalis obligatio L. 50. & 71. *ff. de Fidejufforibus*, L. 38. §. *ult.* L. 43. *in fine* & 95. §. *Quod vulgo ff. hoc tit.* in quo §. proponitur exceptio regulæ, quam propofuimus, nempe fi fidejufforia obligatio plenior fit & major quam principalis; non extinguetur per principalem. Quid enim fi reus principalis natura tantum fit obligatus? Ita enim legendum in *d.* §. *Quod vulgo: nam fi reus natura duntaxat fuit obligatus*. Sane fidejuffor qui civiliter & naturaliter fimul obligatus erit, quamvis hæres exiftat debitoris, qui naturaliter tantum eft obligatus, non tamen liberabitur ex caufa fidejuffionis.

Quid fi vero pro minore quis fidejufferit, eritne plenior obligatio fidejufforis qui hæres extitit minori, ex eo quod ex perfona minoris in integrum reftitui poteft? Poteritne efficere beneficium extraordinarium reftitutionis, ut contra regulas retineatur obligatio fidejufforis, nec per confufionem intelligatur extincta? Recte Papinianus fidejufforiam extingui ait a principali: nihil enim deeft principali obligationi. Quod enim proponitur de reftitutione, beneficium eft extraordinarium, extrinfecum, plerumque incertum & fragile: potuit enim Prætor denegare omnino hujufmodi beneficium L. 13. *ff. de Minoribus* & *L. Si Titius ff. de Fidejufforibus*. Prævalebit itaque principalis, & fecundum etiam eam fidejuffori hæredi minoris dabitur, reftitutio in integrum intra tempora conftituta.

Nec obftat juris ordinarii & veteris fuiffe regulam, qua dicitur principalem obligationem extinguere acceflioriam, quando in unam perfonam concurrunt; hodie vero cum omnia judicia fint extraordinaria, vel directa, vel utili, vel principali, vel accefforia liberum effe uti L. *Actio ff. de Negot. geft.* Cujus rei exemplum notandum in L. *Quamvis* §. *Si mulieri ff. ad SC. Velleianum*; ad quam vide Cujacium *lib.* 15. *Obfervat. cap.* 11 Refpondendum ex *dicti* §. verbis hoc ita licere, dummodo non interfit debitoris qua actione experiatur, fidejufforia vel principali. In fpecie *d.* §. *Quod vulgo* plurimum intereft fidejufforis, qui hæres extitit minori, agi tantum principali, non etiam accefforia, ne amittat beneficium reftitutionis, quod ei competit tanquam minoris hæredi. Aliud dicendum fi jus aliquod certum, exceptio aliqua ex Senatus confultis introducta competat reo principali, v. g. SC. Velleiani vel Macedoniani, quæ non poffit competere fidejuffori. Diftinguenda enim funt ea quæ funt Juris certi, a quibus Prætor & Magiftratus non poffunt recedere, ab illis

lis quæ pendent ex arbitrio & cognitione causæ Prætoris, qualis est restitutio minorum.

Quod de fidejussore hærede minoris diximus, ita intellige, si bonæ fidei sit creditor, ut loquitur Papinianus *d. §. Quod vulgo*, idest bona fide crediderit pecuniam suam non consumpturo, non perdituro adolescenti. Nam si consumpturo, non nascitur obligatio, nec tenetur fidejussor. Itemque notandum quoties liberato minore fidejussor tenetur, non esse locum huic nostro §. Nempe quid si fidejussor consulto consilio, sciens minorem esse, cum creditor adolescenti fidem haberet, fidejussor tamen accesserit? Si fidejusserit pro eo, eritne justum per subtilitatem Juris, per confusionem fidejussori subveniri in damnum creditoris? L. 13. *In causæ ff. de Minorib.* Paulus *lib. 1. Sententiarum tit. 9. §. 6.*

Quod autem per confusionem extinguantur obligationes civiles & naturales, id de personalibus actionibus hæreditariis intelligi debet: reales enim, v. g. hypothecariæ propter pignora vel hypothecas remanent; propter quas tantum nominatim dicitur remanere obligatio naturalis L. *Debitor* 51. *ff. ad SC. Trebellianum*. Tollendi enim pignoris vel hypothecæ potestas specialiter veræ tantum solutioni tribuitur: quamvis enim vulgo dicatur confusio haberi pro solutione; verumtamen est non esse solutam pecuniam *d. L. Debitori:* quæ exceptio ad L. 43. *hoc tit.* addenda est ex §. *ult.* L. 38. *ff. hoc tit.* ad quam vide Cujacium ad Africanum. Hactenus de confusione, quæ non tantum fit per aditionem, sed etiam per acquisitionem, de qua agitur ad §. *penult.* L. 21. *ff. de Fidejussoribus*.

Præter confusionem alios duos notat effectus aditionis Papinianus ad §. *Aditio d. L.* 95. Nam aditio pro solutione fungi dicitur, & obligationem naturalem confirmare, de qua alibi diximus, ubi de pupilli obligatione naturali, cujus nulla erat ante constitutionem divi Pii civilis obligatio, sed naturalis tantum quatenus pupillus locupletior factus fuisset. Hoc, inquam, casu aditio hæreditatis pupilli pro solutione habetur: ac si pupillus ipse solvisset, quia hæreditas videtur hæredi solvere, quod pupillus debuit naturaliter. Qui casus diversus est a confusione, quæ desiderat civilem obligationem, ut possimus dicere actorem & reum, creditorem & debitorem eundem occurrere: nam ex obligatione naturali nullus est actor, nulla datur actio. Alter effectus, inanis actio, quæ quidem Jure Civili nititur, inefficax tamen constitui potest per exceptionem, confirmatur per aditionem: quod duobus exemplis confirmat Papinianus, v. g. hæres Titius rogatus est restituere hæreditatem; post restitutionem fideicommissi nihilominus tamen manet hæres, & adversus eum possunt agere creditores hæreditarii: adjuvatur tamen exceptione Trebelliani, quam appellant restitutæ hæreditatis; quæ exceptio est hujusmodi, ut actiones activæ & passivæ transferantur in fideicommissarium: si tamen ille qui restituit, postea hæres existat fideicommissarii, cui prius restituerat, auxilium exceptionis de restituta hæreditate amittit. Secundum exemplum, ex SC. Vellejano mulier quæ intercessit pro alio, beneficium habet SC. Vellejani, quo prohibetur mulier pro alio intercedere, & actio datur: quod si ea mulier hæres extiterit debitori pro quo intercesserit, amittit beneficium exceptionis: nam ex eo quod hæres extitit,

titit, suo nomine, ut ait Papinianus, periclitatur, & ita ei denegatur beneficium exceptionis; quod frustra etiam ei indulgeretur: nam hæreditario nomine quasi principalis debitrix conveniri posset, quo casu locus non est exceptioni Vellejani.

FINIS SECUNDÆ PARTIS.

INDEX

INDEX AVCTORVM,

qui illustrantur aut emendantur.

Concilia particularia.

Gesta

INDEX

RERUM ET VERBORUM.

B

C

Con-

Do-

Ele-

Epi-

Exar-

F

Fidei

G

H

Pars Secunda.

I

Judi-

K

L

Le-

de

de

Pere-

T

Tri-

FINIS INDICIS RERUM ET VERBORUM.



E R R A T A.

IN PRIMA PARTE.

Pag. 9. *lin.* 1. *lege* incidere.
P. 13. *l.* 28. *lege* concertet.
P. 30. *ante verbum*: scripsit enim, *pone*].
P. 31. *notam initio paginæ excusam refer ad lineam* 19.
P. 128. *l.* 31. *post verbum*, Germaniam, *adde*, misit.
P. 145. *l.* 32. *lege*, & Joa. fabrum, *pro*, & Joc.
l. penult. adde & lege, celebrari consecratio debet, *pro*, celebrari consecratio.
P. 163. *l.* 9. *lege*, liberalitate, *pro*, libertate.
P. 167. *l.* 6. *lege*, Mareschallum, *pro*, Mareschal Hum.
P. 211. *l.* 1. *notæ* 1. *lege βωμα*, *pro βωμαα*.
P. 227. *l.* 3. *ante verbum*: quamvis, *pone*].
P. 272. *l.* 27. *lege*, Gregorii M. *pro* Gregorii M. S.
P. 281. *l.* 37. *lege*, a qua, *pro* a quo.
P. 295. *l. antepenult. lege*, tales, *pro* tale.
P. 299. *l.* 34. *lege*, decimo *pro* decano.
P. 322. *l.* 40. *expunge hæc verba*: vide orig.
P. 332. *l.* 33. *lege*, in suis legibus, *pro* suis legibus.

IN SECUNDA PARTE.

P. 279. *lin.* 24. *infirmam lege* in *firmam*.